3 1761 08824371 2

Toronto University Library

Presented by

University College London

through the Committee formed in

The Old Country

to aid in replacing the loss caused by

The disastrous Fire of February the 14th 18

I.aL.D
E714kx

LEXICON TECHNOLOGIAE LATINORVM RHETORICAE

CONGESSIT

ET ANIMADVERSIONIBVS

ILLVSTRAVIT

IO. CHRIST. THEOPH. ERNESTI

PHILOS. PROF. LIPS.

LIPSIAE

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH

MDCCXCVII.

10257

6

PRAEFATIO

Cum primum technologiae Graecorum rhetoricae accuratius illuſtrandae conſilium cepiſſem, multa iam tum ſubibant animum meum, quae Latinorum quoque Rhetorum diſciplinae eodem modo aliquando tractandae vel neceſſitatem commonebant, vel commendabant vtilitatem. Vtriusque doctrinae quam propinqua affinitas eſſet, facile videbam; quod Latini non omnem ſolum artis rhetoricae formam ſuam ex Graeca expreſſiſſent, ſed in rerum quoque ſignificatione ea, quae transferenda ſimilitudine fieri ſolet, ex qua maior technologiae pars nata eſt, et in omni prope cogitandi modo, ita ſe ad Graecorum imitationem comparaſſent, vt ſaepe nec horum acumen ſine illorum lumine peruideri, neque ad Latinae doctrinae intelligentiam, niſi Graecorum preſſis veſtigiis, perveniri poſſe videretur. In ſumma autem copia et difficultate rerum illarum, quas vna Graecae artis inueſtigatio ſuppeditabat, intelligebam fieri nullo pacto poſſe, vt vtraque opera in vno eodemque libello coniuncta abſolueretur. Praeterea, Graeciae et Latii opibus rhetoricis com-

parandis, Latinos cognoſcebam ita pependiſſe a Graecis, vt tamen in quamplurimis ſuum iudicium ſequerentur, ſaepe inchoata ab illis perficerent, relicta repeterent, ſaepe nouas cogitandi et iudicandi vias inſiſterent, artis virtutisque oratoriae rationem et cauſas altius indagarent, metaphorarum, quibus res maxime ſubtiles et reconditas explicarent, nouos fontes aperirent, atque omnino, cuius aedificii fundamentum Graeci poſuiſſent, id ipſi ſuis opibus inſtruerent, ſua arte expolirent, ſua ſupellectile explerent. His accedebat, quod Rhetorum Latinorum, Ciceronis inprimis et Quintiliani, quos principes diſciplinae rhetoricae auctores habemus, interpretes quidem recentiores et notos in nulla re minus, quam in technologia rhetorica explicanda elaboraſſe, vſu ſatis longo edoctus, ſciebam: antiquiorum autem, vt Melanchthonis, Strebaei, Sev. Boetii, Vallae, Ioh. Viſorii, Barth. Latomi, Hieron. Capiduri, commentaria, in quibus multo maiora illius intelligendae praeſidia ſunt, perpaucis cognita, plurimis ne fando quidem audita, nedum verſata manibus, arbitrabar. Sed harum omnium rerum cogitatione animum meum, a natura diffidentem ſui, illo tempore magis perturbatum, quam excitatum ſentiebam. Vrgebat labor ſuſceptus et praeſens; futuri, qui poſt illum, et acriori fortaſſe contentione, repetendus eſſet, obliuiſci etiam cupiebam. Illo autem opere tandem abſoluto, faciebam id, quod prudentiſſimos

mos quosque in ſimili re facere animaduerteram. Quid vero iſti? Nempe requieſcunt, emiſſi libelli fortunam exſpectant; ſi ſecunda ſit, vt ſcribere pergant: ſin adverſa, vt deſinant. Itaque ego, cum Lexicon technologiae Graecorum rhetoricae euulgarem, nec publice quicquam promiſi, nec priuatim verbum vllum dixi, quo edendae aliquando Latinorum technologiae rhetoricae conſilium ſignificarem. Interea, dum foris erat libellus, et incerta fortuna vagabatur, Rhetores Latinos, tacito et tranquillo ſtudio, animi cauſa, tractabam. Nam, ille ſi leuis et nullius pretii libellus iudicaretur, calamum ponere potius, quam duplicem ſcribendi culpam contrahere, conſtitueram. Sed eueniebat id, quod, cum ſperare ſine magna leuitate non poſſem, honeſtius optaueram. Quem emiſeram libellum, eruditis hominibus non prorſus displicere videbam, et, quam honeſtam pariter atque humanam laetitiam puto, laetabar. Iam vero, quae antea de Rhetorum Latinorum, technologiae cauſa excutiendorum, neceſſitate atque vtilitate cogitaueram, ſponte ad animum recurrebant; iam ad illum laborem, cui hactenus leui et intermiſſo ſaepe conatu me dederam, totis viribus incumbebam. Atque in eo labore, cum adiutum leuatumque me ſentirem quadam familiaritate rerum illarum, quibus Graeca diſciplina animum memoriamque inſtruxerat: tum vero propriis Latinorum bonis, quae tradenda arte oratoria declararunt, ita

captus ſum, vt ex Graecorum Rhetorum dumetis quibusdam in Latinorum amoeniſſimos hortos immigraſſe mihi viderer. Omnino Graeci Rhetores in arte tradenda minutam aliquam diligentiam ſectati ſunt, quae cogitantis quidem animum ſatis exerceret, memoriamque diſcentis expleret, non multum autem adferret, quod lectorem elegantem et politum iucunde tenere poſſet. Eandem docendi rationem propagatam videmus ad nonnullos Latinorum, qui Hermagoram, Hermogenem, Zoilum, ſimilesque artifices ſequebantur: e quo genere, praeter Cornificium, ſeu quisquis Librorum ad Herennium auctor eſt, omnes propemodum illi Rhetores ſunt, quorum libellos a Pithoeo coniunctim editos habemus. Ipſe Cicero, quae in libris Rhetoricis, Hermagorae veſtigia premens, et adoleſcentulus, de inuentione ſcripſerat, ex commentariolis ſuis inchoata et rudia ſibi excidiſſe, vixque digna iudicabat eo vſu, quem prouectiori aetate ex multis magnisque cauſis conſecutus eſſet. (v. de Orat. 1, 2.). At cum in his cauſis diu multumque verſatus, iam arcem teneret eloquentiae, cum et philoſophiae ſtudio, et quouis maximarum artium literarumque genere excelleret, vt non modo ſummus orator, ſed maximus etiam vir in ciuitate haberetur; tum demum de Oratore Libros tres, de Claris Oratoribus, et Oratorem, ad Brutum, ſcripſit: qui libri, ſi ſoli, caeteris perditis, ſupereſſent, ſatis tamen declarare

clarare poſſent, quantum ille ingenio, quantum doctrina, prudentia, arte, elegantia, ſapientia valuiſſet. In nullo enim alio genere ſcriptorum, quod quidem in diſputando diſſerendoque verſaretur, ſubtilitatem praecipiendi, tanta rerum pulcherrimarum grauiſſimarumque ſuauitate et varietate temperauit. Ea autem re vnus omnium, qui de ratione dicendi ſcripſerunt, illud conſecutus eſt, vt ad eloquentiam commendandam et docendam non plus ipſis praeceptis, quam eo modo, quo haec praecepta tractavit et elocutus eſt, contuliſſe videretur. Ego certe, cum eos libros legiſſem, ſentiebam me non artis ſolum rhetoricae rationem et ambitum intellexiſſe, ſed et didiciſſe ea, quae vitae prodeſſe poſſent, quae ſenſum pulcri excitarent et acuerent, quae doctrinae elegantiam commendarent; vt non commemorem alia, quae ad varias literarum artiumque partes pertinerent. Omnino, quemadmodum philoſophiam primus literis latinis illuſtrauerat, ita primus quoque Cicero rationem doctrinamque dicendi ornauit. Neque enim illud curauit ſolum, vt de arte dicendi, hoc eſt, de inuentione, de conſtitutionibus cauſarum, de variis partibus orationis, de tribus dicendi generibus, de formis et luminibus orationis, quae σχήματα Graeci vocant, ea ſcriberet, quae a Graecis doctoribus accepiſſet, ſed et cum vſu dicendi propemodum quotidiano, tum ingenio philoſophia ſubacto, et doctrina conſecutus eſt,

vt de his ipſis rebus acute, copioſe, et ornate ſcribere poſſet. Quam varie, quam eleganter, quam verbis ac ſententiis illuminate in Libris de Oratore, in Oratore, in Bruto ea ipſa docuit, quae in Libris de Inuentione, in Topicis, in Partitionibus, ex arte, hoc eſt, ſubtiliter, aride, ieiune, disputauerat! In vno Oratore, libello vere aureo, quam prope diuinitus omnem eloquentiae ſummae vim et naturam, nullis praeceptis, nulla ſubtilitate ſcholaſtica vſus, explicauit! elocutionis varietatem, virtutes, vitia, adfectiones, non ex vulgaribus Rhetorum cantilenis, ſed ex naturae fontibus, et iudicio literis artibusque exculto, docuit! formarum et luminum orationis, quorum nominibus et exemplis Graeci et Latini Rhetores tota librorum volumina explerent, non nomina vulgaria, ſed multo illis rectius et vtilius vim et naturam et ſenſum tradidit!

Sed mittamus haec, quae nota omnibus eſſe debent, quibus Cicero cognitus eſt. Ad ea explicanda veniamus, quae ex his conſequuntur. Illa igitur artis tradendae vel ratio vel elegantia, quam Ciceronis propriam eſſe diximus, verborum technicorum non copiam ſolum auxit, ſed et genera quaedam peperit, quae, etſi Graecis Rhetoribus non ignorata vel praetermiſſa, tamen a Cicerone frequentius vſurpata, multis partibus nouata, atque expreſſioribus ingenii acuminisque notis diſtincta reperimus. In parte quidem Rhetorices ea, quae

in

in materia orationis explicanda verſatur, ita non ceſſit Graecis vbertate et ſubtilitate technica, vt ſaepe etiam vtramque ſua variandi frequentandique facultate ſuperaret. Sed vberrima laetiſſimaque metaphorarum technicarum ſeges enata eſt ex altera parte, in qua forma et character elocutionis oratoriae quaeritur. In eo genere doctrinae, quantum Cicero et eum ſectatus Quintilianus, ceteros omnes ſcriptores artis cum Graecos, tum Latinos, acumine, ſubtilitate, et elegantia antecelluerint, facile intelligetur, ſi quis ea, quae de technologia Graecorum ſcripſimus, cum his Latinorum copiis comparare velit. Exempla enim nunc non ponimus: notamus locos, quorum facilior in ipſo opere inueſtigatio erit iis, qui animum aduertant. Quemadmodum autem alibi diximus, in Graecorum technologia inveſtiganda cautionem fuiſſe adhibendam, ne metaphorarum illud genus, quo vel ornandae orationis cauſa, vel ingenio ſuo indulgentes nonnulli vterentur, cum ceteris vere technicis confunderemus, ita et apud Ciceronem et Quintilianum, vt metaphoras perpetuam orationem ornantes, ab his quae ad artis inſtitutionem pertinerent, diſtingueremus, magnum vtriusque generis delectum habendum exiſtimauimus. Sed in eo delectu, quoniam ſaepe debebamus noſtrum ſenſum quendam ſequi, recte id an temere fecerimus, aliis iudicandum relinquimus. Vno exemplo vtamur, quo ſen-

tentiae noſtrae rationem declaremus. Latini Rhetores nonnunquam vocabula Graecorum ſine dubitatione technica ita expreſſerunt, ut tamen latinae interpretationes pro meris metaphoris ornantibus habendae ſint, nec poſſint in technologiam referri. Ad hanc technologiam pertinere, quas ἔννοιας σπερματικὰς quidam Graeci appellarunt, in Lexico graec. technologico docuimus. Rem eandem Quintilianus expreſſit Lib. 4, 2. 53. „*non fuerit inutile, ſemina quaedam probationum ſpargere.*“ Haec metaphorice dicta ſunt: Res ad artem rhetoricam pertinet: ſed illud *ſemen ſpargere* technicum non eſt. Cicero de Orat. 2, 7. cum ita praecipit: „*exordium debet effloreſcere ex cauſa*,“ translate et ornate, non τεχνικῶς loquutus eſt. Omnino autem in talibus dicendi formis vel deligendis vel ſeparandis, non ſenſui ſolum noſtro, ſed etiam illis legibus obtemperauimus, quas iam antea in praefatione Lexico graeco praemiſſa nobis ſcripſeramus.

De Quintiliano, politiſſimo ſcriptore, et acutiſſimo artifice, non videtur opus eſſe, vt ſeparatim multa verba faciamus. Nam, quae de Cicerone diximus, in hunc quoque quodammodo conueniunt. Non ille quidem ita, vt Cicero, de induſtria Rhetoricen ornauit: hunc enim inter ceteros fere omnes vnum nouimus, qui, cum non minus ingenio ad dicendum, quam doctrina ad praecipiendum valeret, Rhetorum non modo doctiſſimus, ſed et eloquentiſſimus

videri

videri vellet. Sed Quintilianus, quae bona vel a natura acceperat, vel ſtudio comparauerat, minus ambitioſe ſcribendo exſerebat. Erat in eo homine non mediocre ingenium, ſingulare acumen, multa doctrina, rectiſſimum iudicium, inſignis elegantia latini ſermonis. Omnes omnium Rhetorum, Graecorum et Latinorum, Artes cognouerat: ex omnibus, quae optima viderentur, in vſum ſuum conuerterat: eorumque doctrinam ita amplectebatur, vt ſaepe ipſum Ciceronem, ad cuius imitationem ſe maxime comparauerat, moneret, reprehenderet, corrigeret. Itaque accurata Quintiliani lectio non eo tantum valuit, vt, quae a ceteris vel ambigue vel obſcure dicta erant, ſoluerentur, et illuſtrarentur, ſed libellum noſtrum etiam iis metaphorarum technicarum copiis locupletauit, quae cum nouitate, tum ſingulari acumine inſignes eſſent. Vtroque enim hoc genere non minus, quam totius inſtitutionis rhetoricae praeceptorumque ambitu et copia mihi videbatur ceteros Rhetores, ipſumque adeo Ciceronem ſuperaſſe.

Quo modo ad technologiam rhetoricam Latinorum vel explanandam vel amplificandam aliis quoque ſcriptoribus, qui non de induſtria, ſed velut aliud agentes, et occaſione oblata, rerum ad Rhetoricam pertinentium mentionem facerent, vſus fuerim, et quid ex iis profecerim, commodius ex ipſo libello cognoſci poterit. Nullum enim genus ſcriptorum, ne recentio-

rum

rum quidem, vnde peti aliquid lucri poſſet, negleximus. Si qui tamen ſint, quorum angulos non excuſſerim, (erunt autem, in tam immenſa ſcriptorum multitudine, fortaſſe non pauci) eam negligentiam humanam, non leuem inertiam exiſtimabunt, qui probe et iuſte iudicare volent.

Reſtat igitur, vt ſtudii illius mei, ex quo iam uterque natus libellus eſt, futuram pertinaciam pollicear. Nullum opus humanum ita finitur, ut plane abſolutum et perfectum dici poſſit. Neſcio autem, an nullum ſit, in quo iudicando nos forma, ambitus, et laboris noſtri aeſtimatio magis fallat, quam quod in hoc literarum genere elaboratur. Multa legimus, multa reperimus quaeſita; ſed non pauciora fortaſſe erunt, quae repetita lectio dabit, vel occaſio non quaerentibus offeret. Multa nobis opinio, multa praeſens quidam ſenſus commendat, quae fortaſſe mox vel noſtro iudicio, vel aliena auctoritate damnantur. Sic mihi accidit, vt, cum ad voc. *Numerus* p. 268. de loco aliquo Saleii Baſſi ſententiam meam, quae tum vnice placebat, expoſuiſſem, paullo poſt procliuem me ſentirem ad aliam, quam in fine libelli collocaui. Multa etiam placent, quia noſtra ſunt, et nemo adeſt, qui aurem nobis vellat. Poſtquam Graecorum technologiam rhetoricam edidi, vix biennium effluxit. Sed interea lectio et obſeruatio non pauca obiecit, quae libelli noſtri margini mandaremus: mox forſitan ne

in

in margine quidem literis noſtris locus erit. Ac profecto in Latinis quoque latebunt, quae reſumta lectio, et meditatio tranquillior protrahet. Turbulenta enim et ſollicita omnis ſcribendi cura eſt, quae mercatibus ſeruit, quam bibliopola imperat, vel typothetae efflagitant.

Sed ad haud paullo maiora, niſi fallor, ſtudii mei continuatio illa, quam ſupra pollicitus ſum, pertinebit. Quae ſi perficere poſſem, tum demum laboris illius, quem Rhetoribus Graecis Latinisque verſandis hactenus impendi, fructum me tuliſſe exiſtimarem. Nunc breuiſſime dicam, quae aliquando fortaſſe latius et accuratius exponenda erunt: fortaſſe, inquam: res eſt enim omnis eiusmodi, quam non modo facultate conſequi, ſed etiam cogitatione complecti, difficillimum ſit.

Ego disciplinae Rhetoricae, quam Graeci et Latini ſcriptis illuſtrarunt, originem, naturam, ambitum, contemplans, et cum illa comparans rationem illam, quam inde a renatis in Germania literis, vsque ad hanc noſtram aetatem in eadem arte rhetorica tradenda docti homines ſecuti ſunt, mihi ita perſuaſi, Germanos (de his enim loquor) nondum habuiſſe Rhetoricen, hoc eſt, neminem adhuc extitiſſe, qui, vt ex Graecis Hermagoras, vel Theophraſtus, vel Ariſtoteles, vel Theodectes, e Latinis Cicero et Quintilianus ſuis quisque popularibus rationem doctrinamque dicendi tradiderunt, quae ſi ediſceretur, Graece Latineue eloquentes redderet: ita, ſubtiliter,

acute,

acute, ornate, apte et copioſe dicendi vel ſcribendi praecepta ea conſcriberet, quae noſtrae linguae, noſtris moribus, reipublicae, ſtudiis, literis, accommodata eſſent, hoc eſt, quibus recte perceptis et cognitis, Germanice aliquis eloquens; non Graeco, non Romano, ſed noſtro ſenſu et modo, dici haberique poſſit. Nam illud exiſtimo in hac omni quaeſtione ſumendum eſſe, cogitari non poſſe Rhetoricen aliquam vniuerſalem, hoc eſt, eam, quae omnibus in rebus ad facultatem recte et eleganter dicendi pertinentibus, cunctis gentibus, earumque linguis conueniat. Nam etſi non in modis ſolum legibusque cogitandi, ſed etiam in verborum compoſitione, collocatione, ornatu, multa ſunt pluribus linguis et gentibus communia; tamen multo plura reperiuntur, quae, ſingulis propria, ſine vitio et damno commiſceri et cum omnibus communicari non poſſint. Ipſi Latini cum in pluribus rebus, vita, moribus, inſtitutis, ipſa lingua, ad Graecorum imitationem comparati eſſent, tamen in multis dicendi formis et praeceptis a Graecorum conſuetudine et diſciplina receſſerunt. Ipſi adeo Graeci, obſeruante Cicerone in Orat. cap. 8. tam diuerſa dicendi ratione vſi ſunt, vt alia fuiſſe Atticorum, alia Rhodiorum, alia Phrygum, alia Myſorum diſciplina rhetorica exiſtimari poſſit: nam iſtae gentes non moribus ſolum et ſtudiis, ſed inprimis etiam ſenſu iudicioque disſimiles erant. Neque autem ego is ſum, qui, cum

cum Germanos Rhetoricen habuiſſe ſupra negauerim, vel ignorem vel contemnam doctorum hominum induſtriam, qui antiquiori et recentiori aetate ſtudium eloquentiae praeceptis adiuuare, omnemque artem Rhetoricam ſcriptis illuſtrare et commendare annisi ſunt. Quem enim, vt ex immenſa paene copia potiores commemorem, Georgii Trapezuntii, Melanchthonis, Caſelii, Schraderi, Sturmii, Morhofii, Voſſii, Bergeri, recentiorum autem, Geſneri, I. A. Erneſtii, Lawſoni, Campbelli, Blairii, Eſchenburgii, Adelungii, Morizii, ſtudia vel ſcripta fugiant? Sed his tamen omnibus ſtudiis et ſcriptis non hoc puto effectum eſſe, vt artem Rhetoricam haberemus, quae et partibus ſuis abſoluta eſſet, et noſtrae linguae, noſtris moribus, inſtitutis, literis apta, aut forma, ambitu et vſu ſimilis operi Quintilianeo, vel Ciceronis libris, quos de Oratore ſcripſit. Antiquiores quidem illi, quos ſupra nominaui, cum Graecorum Latinorumque oratorum excellentiam admirarentur, omnesque cuperent ad eorum imitationem perducere, in eo maxime elaborarunt, vt diſciplinam, qua Graeci Latinique artifices ad eloquentiam ſuae aetatis homines adduxerunt, explanatam redderent. Libri enim Graecorum et Latinorum ita tum ſoli omnis ſapientiae, elegantiae, doctrinaeque fontes erant, vt nemo fere, niſi Latine eloquens eſſe poſſet: et lingua Germanica tam parum exculta iacebat, vt nec ea vterentur,

qui

qui docti haberi vellent, nec cuiquam in mentem veniret, ea, in quibus elegantiam ſuam vel doctrinam, vel eloquentiam oſtendere cuperet, Germanice dicere. Recentioribus autem temporibus, cum imitatione veterum, qui nobis vel non ſentientibus omnis elegantiae doctrinaeque doctores extiterunt, tum ſtudiis eorum, qui ſingulari ingenio et acumine valerent, ita linguae noſtrae forma limata atque expolita eſt, vt hodie multi ſcriptores eloquentiae etiam Germanicae non famam ſolum, ſed auctoritatem quoque ſint conſequuti. Itaque apud nos quoque Rhetores quidam extiterunt, qui praecepta bene et eleganter dicendi traderent. Sed ſinguli quoniam aliam viam rationemque iudicandi et docendi ſequebantur, eorum libris nihil confectum eſt, quod in eo genere abſolutum dici vel haberi poſſet. Qui ſummam eloquentiae in elocutione, vel ſtilo, quem vulgo dicunt, ponendam exiſtimabant, praecepta ſtili ſcripſerunt, ſpeciem et cutem curantes orationis, carnem et oſſa, et ſanguinem et neruos negligentes. Alii philoſophorum more disſerentes de rebus iis, quas ad eloquentiam pertinere arbitrarentur, in magno disputandi acumine, ea dixerunt, quae, ſi ad vſum eloquentiae venias, non valde requiras. Tertium genus fuit eorum, qui, cum veterum ſapientiam et doctrinam magni, vt par erat, aeſtimarent, ac ſimul ad temporis ſui vſum rationemque praecepta accommodare vellent, res maxime ſepa-

ſeparandas ita commiſcuerunt, vt nec veteris diſciplinae naturam et ambitum plene et accurate referrent, nec ſuae aetatis ſtudioſis eloquentiae facerent ſatis. Cuncti mihi videntur haec duo peccaſſe, vt partim, quid omnino inter eloquentiam Graecorum et Latinorum, et inter noſtram dicendi ſcribendiue rationem intereſſet, non ſatis accurate animaduerterent, partim non ſatis acute viderent, eloquentiae eius, quae apud illos veteres vna erat, apud nos, rebus omnibus ſtudiisque mutatis, plura genera extitiſſe, quorum vnumquodque ſingulatim cognoſci et tractari debeat, et quorum tamen ea coniunctio et neceſſitudo ſit, vt, qui alterum neglexerint, alterum nec recte docere, nec accurate diſcere poſſint.

Primum enim omnis veterum eloquentia in reipublicae incunabulis nata, cum ad ſolas cauſas ciuiles adhiberetur, hunc vnum ſummumque vſum habuit, vt, qui vel accuſandum reum, vel defendendum amicum, vel ſententiam dicendam de rebus publicis, vel rem cum ciuibus deliberandam accepiſſet, is in foro, in iudiciis, in concionibus oratione vincere poſſet. Qui primi oratores in ciuitate extiterunt, rerum vtilitate vel neceſſitate ad dicendum adacti, ingenio ſuo, et prudentia, et naturae obſequio conſequebantur, vt recte et apte dicerent. Poſtea notatio et obſeruatio eorum, quae bene

ab illis vel cogitata vel dicta eſſent, peperit artem. Quaecunque igitur ex iſta prudentium animaduerſione nata ſunt dicendi praecepta, illi publicae eloquentiae vel vtilitati vel neceſſitati ſeruiebant; neque in alio vllo, quam ciuili oratore informando, omnis Rhetorum Graecorum Latinorumque doctrina occupata fuit. Iam non rerum modo, de quibus diceretur, veluti numerus et ratio certa, ſed etiam forma, qua illae tractarentur, et partibus, et ambitu ſuo definita erat. Tria videre debebat orator, quid, et quo quidque loco, et quomodo diceret. Itaque et rerum inueniendarum, iudicandarum, inſtruendarum, et elocutionis conformandae certam circumſcriptamque rationem, nulli alii generi eloquentiae, quam illi ciuili, aptam, ſanciuerunt; tria genera cauſarum, locos argumentorum ſingulis illis generibus accommodatos, iam ab Ariſtotele traditos, vt exinde in vtramque partem traheretur oratio: oratoris certa officia: orationis definitas partes quinque: tria genera dicendi, quorum vnicuique certa forma eſſet perpetuusque character, qui rurſus certis cauſarum generibus conueniret. Haec et alia ſimilia, quae commemorare putidum eſſet, tam definita numeris et formis eſſe non potuiſſent, niſi vna fuiſſet et certa res, eloquentia ciuilis et forenſis, cui perficiendae omnia ſeruirent. Atque hanc quoque duplicem cauſam fuiſſe exiſtimo, cur diſciplina veterum

Rheto-

Rhetorica, et tanto hominum doctiſſimorum ſtudio tractata, et tam ſingulari cum acumine et arte exculta perfectaque fuerit. Primum enim omnis illa dicendi facultas erat eiusmodi, vt qui ea polleret, non ſolum vtiliſſimus ciuitati, ſed et ſummis honoribus omniumque ciuium admiratione digniſſimus haberetur. Deinde artis informandae difficultatem illud maxime leuabat, quod vnam rem propoſitám habebant, ad quam omnis animi contentio referretur, praeceptorumque certa ratio accommodaretur.

Iam vero, quid nos hodie iſtorum ſimile habeamus, facillimum erit cognoſcere. Nunquam apud nos, immutata republica, illius eloquentiae, de qua diximus, vel vſus vel honos aliquis extitit. Vnam eloquentiam ſacram habemus, quae publica in concione, et dicendo, hoc eſt, voce et actione, declaratur, ſed ab illa, cum rerum tum formae varietate, ſi verum quaerimus, diuerſiſſimam. De caeteris rebus omnibus non dicimus, ſed ſcribimus: non audimur, ſed legimur: neque earum rerum, in quibus exponendis aliqua eloquentia, hoc eſt, perſpicua, apta, ornata, grauis, ſuauisque tractandi enuntiandique ratio requiritur, tam definita, vt cauſarum olim forenſium, deſcriptio eſt. Sunt, qui hiſtorias narrant: ſunt alii, qui vitae et moribus ſcribunt: alii qui

philoſophiam tradunt: alii, qui fabulis inuolutam veritatem commendant; alii, qui alias res, quarum hodie immenſa paene varietas eſt, exponunt. De his omnibus rebus aliter ab imperitis et indoctis, aliter ab acutis, eruditis, politisque dicitur. Neceſſe eſt autem, vt de omnibus rebus optime dicatur. Nam credi et probari et placere ea tantum poſſunt, quae recte et apte et ſuauiter verbis et ſententiis enuntiantur. Nemo autem eſt, qui ea, quae dicat aut ſcribat, credi et probari nolit. Haec igitur noſtra, Germanorum, eloquentia erit, vt, quam rem et materiam nobis tractandam atque oratione declarandam ſumſerimus, eam, prudenter et acute cogitatam, apteque diſpoſitam, optimis verbis et ſententiis enuntiemus. Iam, quid illud ſit, prudenter et acute rem cogitare, apte diſponere et tractare, et elegantiſſime eloqui, arte et praeceptis quibusdam ad ſingula rerum elocutionisque genera accommodate doceri debet.

Sed quoniam ſupra diximus, apud nos hodie plura genera eloquentiae reperiri, reſtat, vt, quo ſenſu dictum illud ſit, qualia illa genera ſint, et quid ex ea re conſequatur, videamus. Primum igitur in Graecorum Latinorumque ſcriptis fontes eſſe omnium artium et literarum, quae quidem ad humanitatem et doctrinam

nam pertinent, cum veteres, quorum induſtria illos libros ex puluere et tenebris in lucem protractos, emaculatos, conſeruatosque habemus, recte crediderunt, tum hodie neminem eſſe puto, a liberaliori doctrina non prorſus alienum, quin exiſtimet. Itaque inde ab eo tempore, quo coeptum eſt ex illis fontibus hauriri, vsque ad hanc noſtram aetatem, vtraque lingua ſummis doctorum hominum ſtudiis tractata fuit. De Graeca nunc non loquor: quam ita diſcimus, vt nec loquendi, nec ſcribendi cauſa vtamur. Latina autem, notis de cauſis, ad nos ita propagata eſt, vt, qui literis tincti, et docti eſſe haberique volunt, latine quoque dicendi et ſcribendi facultatem habere, adeoque, cum Germani ſint, latine tamen etiam eloquentes eſſe debeant. Omnibus igitur, quid ſit illud, latine eloquentem eſſe, et quem ſenſum, quemue ambitum habeat, et quomodo optime efficiatur, videndum erit. Nam ſi recte ridentur vel reprehenduntur, quicunque, cum velint linguae Francogallicae, vel Anglicae, vel Italicae periti exiſtimari, earum linguarum nec rationem, nec vim, nec indolem cognouerint: quanto magis vituperandus erit is, qui latine loquens aut ſcribens, barbare, inepte, inconcinne, disſolute loquatur, aut ſcribat, hoc eſt, id agat, vt, cum in doctorum hominum numero eſſe velit, et loqui cum doctis, a vera doctrina

quam maxime alienus eſſe videatur. In Germaniae noſtrae partibus locisque iis, qui literis ad doctrinam pertinentibus domicilium praebent, prope quotidie latine vel dicitur vel ſcribitur. Sed qualis plurimorum ea Latinitas ſit, videmus. Verba latina ſunt; quis neget? At nullus ſenſus, nullus color, nullus ordo, nulla forma Latinitatis eſt. Nemo me pluris aeſtimare poteſt ſtudia doctiſſimorum hominum, qui arte Grammatica, Lexicis, praeceptisque ſtili, quem vocant, linguae latinae intelligentiam adiuuerunt. Haec ita neceſſaria ſunt, vt, qui aedes exſtruere vult, poſito fundamento cauere debet, ne poſtridie corruant. Sed funditus ex animis maxime tironum euellenda opinio eſt, iſtos libros qui edidicerit, eum repente linguam eſſe eloquentiamque latinam aſſecutum. Res altius repetenda eſt: omnis eloquentiae latinae origo, ambitus, vis, vſus cognoſcendus; ingeniorum Latinorum propria et domeſtica indoles diſcenda: quam formam, quem ordinem cogitandi et iudicandi Latini illi ſecuti ſint, quem ſenſum pulcritudinis, ſuauitatis, grauitatis, vrbanitatis, ſubtilitatis, ceterarumque rerum orationem vel ornantium, vel amplificantium, vel illuſtrantium, habuerint, quam vim ſingulis dicendi formis et veluti flexibus, quid concinnitati, quid numero tribuerint, intelligendum, atque, vt breuiſſime dicam quod ſentio, elaborandum eſt omnibus iis, qui in hoc

hoc genere doctrinae recte velint verſari, vt, cum iam ad ſcribendum accedunt, Protei inſtar, ingenium mentemque ſuam omnem Latinis veluti coloribus imbuere, Germanos ſe eſſe, prope obliuiſci, atque ita tum in tractandis rebus, tum in verbis ſententiisque expreſſam paene ex ipſis Latinorum ingeniis formam orationis referre poſſint. Haec neque Grammatici docent, neque Lexicographi inſtillant, neque ſtili praeceptores ingerunt. Magna in ea re, ſateor, lectionis exercitationisque vis eſt. Sed nunc cum adoleſcentibus res agitur, qui in ſcholis, tanquam in palaeſtra quadam, praeparandi ſunt, vt, cum ad pugnam venerint, ſciant, quomodo armis vtantur. Lectionis, ex qua illa omnia diſci poſſint, ambitum ſcholarum anguſtiae non capiunt: omnem paene vitam ille complectitur. Quidni ergo, cum demonſtratum eſſe videatur, nos Germanos, quae literarum noſtrarum cum omni antiquitate docta cognatio et neceſſitudo eſt, eloquentia Latina carere non poſſe, quidni, inquam, ad ipſos illos Rhetores Latinos, Ciceronem inprimis et Quintilianum, confugiamus, qui, cum ipſi ſummo ingenio, doctrina, elegantia, et vſu dicendi valerent, in libris Rhetoricis, tanquam in theſauro, quaecunque a maximis ingeniis inuenta, obſeruata, explicata, omnem eloquentiae Latinae rationem, indolem, ambitum, vim, declararent, ſumma cum induſtria, ſa-

pientique delectu congeſſerunt? Et cum multi ſint noſtrorum hominum, qui veterum diſciplinam Rhetoricam ad eloquentiae etiam recentioris vſum plurimum valere exiſtiment, quidni et vtile, et vero etiam neceſſarium eſſe putemus, vt ex illis libris accurate deſcriptam Rhetoricam Latinam habeamus, quae iuuenibus tradita, et cum artis Grammaticae inſtitutione coniuncta, Latinitatis, hoc eſt eloquentiae omnis latinae veram formam et imaginem in iuuenum animis abſoluat? Hic talis libellus, quem ego Archaeologiam rhetoricam inſcribi velim, (ſcribi enim, quod literis et ſono parum ab illo, ſenſu autem aliquantum differt, ab alio, eoque doctiſſimo, malim) praeter illum vſum, hanc quoque duplicem vtilitatem habebit, vt primum inſtar eſſe poſſit commentarii, vnde tirones Rhetorum et Oratorum veterum faciliorem accuratioremque interpretationem petant: deinde, vt, cum illam ſapientiae doctrinaeque priſcae veluti ſiluam quandam et copiam occupauerint, exinde depromant, quibus in vernacula etiam dicendi ratione vtantur. Nam Ciceronis et Quintiliani theſauros illos rhetoricos hodie nondum ita excuſſos, vel exhauſtos eſſe, vt non niſi quisquiliae lateant, ſcient, qui compendia recentiorum rhetorica, vel cum his copiolis noſtris, quas in hoc opere technologico expoſuimus, comparare velint.

Sed

Sed quoniam vereor, ne, cum de Latinitatis ſtudio tantopere aſſeuerarim, nonnulli me forte putidum moleſtumque hominem dicant, qui iſtud a Germanis poſtulem, vel exſpectem; hanc omnem inuidiam prius, quam ad aliam orationem transeo, paucis verbis deprecari, et a me amoliri debeo. Sunt enim hodie multi, qui, cum vel magiſtrorum inopia, vel ingenii tarditate, vel laboris fuga iſta non ſint aſſecuti, omnem hanc Latinitatis curam et ſollicitudinem, ſi non rident, tamen negligant, et ſupervacaneam putent: eiusque negligentiae tam viciſſim et dari et peti venia ſolet, vt, qui nihil minus quam accurate et eleganter, atque ex norma antiqua, latine loquuntur aut ſcribunt, dummodo nihil committant, quod Donati plagis dignum ſit, nec doctrinae fama careant, nec deminutam dignitatem, vel auctoritatem vel fidem ſuam ſentiant. Sed his, qui ita beati ſunt, et eiusmodi ſenſu delectantur, (vt breviſſime me expediam) primum omnino ars dicendi non ſcribitur: deinde, qui verum quaerunt, et liberaliter iudicare volunt, alterutrum putabunt neceſſarium eſſe, vt aut omnem latine ſcribendi dicendique conſuetudinem aboleamus, aut, illa ſeruata, patiamur, vt, qui Latinitatis, vel eloquentiae latinae ſtudium commendant, perfectiſſimam eius formam proponant, ſummam artem requirant, mediocritatem damnent. Quicquid enim eſt, veriſſime

Cicero ait, de quo ratione e' via diſputetur, id eſt ad vltimam ſui generis formam ſpeciemque redigendum.

De altero genere eloquentiae, quod totum Germanorum proprium eſt, et ad eorum linguam, indolem, mores, ſtudia, literas, accommòdandum, breuius dicendum videtur. Nam quale illud eſſet, et quam diuerſum a latinae forma eloquentiae, ſupra commemoraui. Hanc autem noſtram dicendi vel ſcribendi rationem, qualiscunque demum ſit, nondum eſſe praeceptis definitam, atque in aliquam artis formam ita incluſam, vt omnibus et rebus et partibus abſolutam Rhetoricam haberemus, facile intelligitur. Nam cum omnis hominum prudentium, doctorum, politorumque, ad ſanos et eruditos et liberales et venuſtos homines vel dicta vel ſcripta oratio, partim rerum prudenter et acute cogitatarum tractationem aptam, diſpoſitamque, partim verborum cum ſingulorum tum iunctorum rectam, venuſtam concinnamque conformationem habere debeat, fieri autem poſſit et ſoleat, vt eadem ab aliis recte, acute, compoſite, concinne et apte, ab aliis inepte, diſſolute, aſpere, dicantur: cogitur primum arte quadam et praeceptis opus eſſe, quae optime dicendi modum definiant, deinde omnem hanc inſtitutionem duabus partibus conſtare, quarum

rum vna ad res et materiam orationis, altera ad verba et elocutionem pertineat. Iam de poſteriori quidem genere multos multorum acutiſſime ſcriptos libellos habemus, e quibus ſi rerum optimarum delectus fiat, ſperandum eſt, ſore, vt vernaculae noſtrae orationis abſolutam perfectamque artem teneamus. Sed in priore illo genere, in quo, vt veterum dicendi conſuetudine, breuitatis cauſa, vtar, de inventione quaeritur, nullus huc vsque Germanorum de induſtria elaborauit. Cuius ego quidem negligentiae hanc praecipuam puto cauſam fuiſſe, quod, cum multi viderent in hac orationis conformandae parte, ingenium, et ſtudium, et multarum rerum ſcientiam plurimum valere, et fuiſſe non paucos, qui ita inſtructi eſſent a natura, vt ſine arte rationeque dicendi, tamen recte et grauiter et copioſe et eleganter ſcriberent, totam hanc inueniendi facultatem, remota arte, a natura expectandam exiſtimabant. Hi autem, qui ita ſentiebant, mihi videntur non vno modo a veritate aberraſſe. Nam nec omnes iſtis naturae bonis et copiis abundant; nec in omnibus ita veluti in ordinem digeſta natura eſt, vt, quae vel ſua ſponte propellat, omnia recte, et compoſite et concinne cadant; nec ab arte et praeceptis quisquam hoc poſtulat, vt, qui tardi et hebetes ſint a natura, repente ingenioſos et acutos faciat; nec praecepta ſcribuntur iis, quos

iam

iam natura perfecit. At hanc tamen magnam vim, conceſſu omnium, inprimis in iuuentute, ars habet, vt ipſam naturam adiuuet, in ingeniis aliquid limet, addat, ordinet, tarditatem calcaribus quibusdam excitet, frenis exſultantem audaciam reprimat, omninoque commoneat vnumquemque, quo quidque referat, et quo intuens, ab eo, quodcunque ſibi propoſuerit, minus aberret. Tota quidem res illa, quam quaerimus, magnas variasque difficultates habet, ſed non tantas tamen, quae non poſſint Germanica docrina et induſtria ſuperari. Quamuis enim rerum, de quibus hodie accurate et eleganter dici et ſcribi poſſit, immenſa paene varietas eſt, tamen illae non ſunt tam infinitae, quin earum certa genera, quibus ſingulae formae ſubſint, diſtinguere, tractandarumque ſcribere leges quasdam poſſimus, quae hanc vim habeant, vt, qui in aliqua tali materia verſatur, ſciat, quo animo tendat, quid teneat, negligatue, vnde vberiorem copiam petat, neue omnino a vero tramite aberret; in quibus rebus maxima et prope ſola praeceptorum dos et vtilitas cernitur. Ita quaedam Topice naſceretur, non ea quidem vbertate, quali fuit illa, quam Ariſtoteles olim tradidit, ſed quae nobis, tot philoſophiae literarumque omnium praeſidiis inſtructis, magnam inueniendi meditandique commoditatem eſſet allatura.

tura. Sed vere quoque eſſe, et doceri poſſe quandam artem cogitandi, quae ad hanc ipſam dicendi facultatem et vſum inprimis valeat, nuper Garuius elegantiſſima ſubtilitate oſtendit in ea commentatione, quam de arte cogitandi ſcripſit. *) Eam cum legeremus, et quanta in illo viro cum elegantiſſimo iudicio iuncta doctrina eſſet, conſideraremus, vehementer optandum nobis videbatur, vt eam partem Rhetoricae, quae rerum inuentionem tractationemque complectitur, a tali ſcriptore et philoſopho deſcriptam explanatamque haberemus. Quisquis autem aliquando hanc in ſe operam ſuſcipiat, is maxime ſibi hoc faciendum putabit, vt induſtriam ſuam ad illam Garuii ſubtilitatem accommodet.

Ab hoc autem toto genere, latius patente, vt eam eloquentiam, quae ſacra appellatur, ſeparemus, non tam auctoritas quorundam veterum, qui ab humana diſcreuerunt, (qualis fuit Cauſſinus, doctiſſimus homo, at iudicii expers, et in ſuae aetatis ineptiis doctrinam exercens) quam ipſa ratio commonet. Nihil enim paene eſt in vllo genere orationis, quae de rebus humanis ad homines habetur, quod non

*) Verſuche über verſchiedene Gegenſtände aus der Moral etc. Th. 2. S. 304. u. f.

non ſit in illa ſacra dicendi ratione diuerſum: alii et certi rerum fontes, alia tractatio, forma elocutionis alia. Accedit actio, pronuntiatio, memoria, quae hodie in hoc vno genere valent. Non eſt huius loci, illa quomodo et quatenus diuerſa ſint, disputare. Sed nos ita exiſtimamus, ſi qua ſint, quae ab oratoribus ſacris inepte ſiant, (habet autem plurimorum eloquentia tam multa, tam aperta, et prope ſolennia vitia, vt ſaepe ſapientiſſimi et eruditiſſimi religioſis auribus non ſatisfaciant) ea omnia ex hoc veluti fonte manare, quod genera eloquentiae vulgo confundunt et commiſcent, doctrinam et artem veterum, ſine delectu, ſine discrimine, ſine commutatione ea, quam mutata tempora, diuerſi mores, variae rationes poſtulant, ad res disſimillimas accommodant, nec ſatis recte, quod deceat, animaduertunt, quam ſapientiam omnis eloquentiae fundamentum eſſe Cicero cenſuit. Illius autem ſacrae eloquentiae plane perficiendae, et in quandam artis formam, quae certis aptiſſimisque praeceptis nitatur, redigendae, tot tantaque, hac noſtra aetate, praeſidia atque adiumenta ſunt, vt in eo genere fere noſtra ratio a veterum Graecorum Latinorumque rationibus non multum discrepare videatur. Habemus oratores ſacros, ſummo ingenio, maximis

maximis ſtudiis, admirabili doctrina, in quorum eloquentia, quae maxime emineant, et imitatione digna ſint, cum animaduerti, tum notari facilius poſſunt. Neque vllo tempore plus, quam noſtra memoria docti acutique homines, vt huius eloquentiae fines recte regerentur, virtutes aut vitia notarentur, copiae augerentur, ſcriptis elaborarunt. Itaque ſi quis, e Theologis maxime, ea doctrina inſtructus, vt veterum ſapientiam Rhetoricam accurate cognitam habeat, eo autem iudicio valens, vt illa aptiſſime vti poſſit, eo denique ingenio praeditus, vt, quo quidque referat, quid ex antiquorum copiis adſciſcendum, vel mutandum, vel ſeparandum, ex recentiorum inuentis et ſtudiis quid adhibendum, et quomodo tota haec rerum ſilua ad vſum idoneum inſtruenda ſit, acute videat, ſi quis, inquam, talis ad Rhetoricae ſacrae deſcriptionem ſe comparauerit, tum non dubitandum eſt, templa noſtra mox oratores eos habitura eſſe, quibus nemo vel ſpectare, vel audire aptiores velit.

Haec, quae magis effudi rudia, quam diſtincta, et illuſtrata et pertractata propoſui, ad illam meditationem meam, quam Rhetorum Graecorum et Latinorum ſtudium poſtulabat, ita ſeſe adiunxerant, et ita mihi videbantur

bantur a veri ſimilitudine prope abeſſe, vt ea mallem cum periculo futurae reprehenſionis commemorare, quam cum vtilitatis, etiam exiguae, vel ambiguae, damno reticere. Enimvero non liber, ſed praefatio ſcribenda erat. Itaque liceat mihi in timore meo ita ſaltem callidum eſſe, vt disputationis exilitatem praefationis anguſtiis, totam autem ſcribendi audaciam honeſtae vtilitatis ſpei condonandam eſſe cenſeam. Scr. in Acad. Lipſ. d. XVI. April. MDCCXCVII.

LEXICON
TECHNOLOGIAE LATINORVM
RHETORICAE.

A.

Abiicere.

Abiicere res orator dicitur, cum eas verbis argumentisque minuit, et eleuat. Huic abiectioni, quae et *extenuatio* vocatur, contraria eſt *amplificatio, αὔξησις* Graecis dicta. Cic. Orat. 36. „augendis rebus, et contra *abiiciendis*, nihil eſt quod non perficere poſſit orator: quod et inter media argumenta faciendum eſt, quotiescunque dabitur vel amplificandi vel minuendi locus." cf. de Orat. 3. 27. In Bruto Cap. 12. rem *affligere*, cui augere oppoſitum ſit, ſimili metaphora commemorat. — In elocutione autem ſenſus *abiicit*, qui triuiali dicendi genere illos exprimit, vt eſt apud Senec. epiſt. 75. vbi huic abiectioni *exornatio*, et *accurata dictio* opponitur. Caetera, quae huc pertinent, ad voc. *ponere* quaerenda ſunt.

Abruptus.

Principia *abrupta* Quintil. 3, 8, 58. ſunt initia orationis cum ſummo affectu, et quodam ἐνθυσιασμῷ, et furore propemodum dicentis elata: *affectvoller Eingang*. Mox idem initium furioſum appellat, vbi concitatius, quam opus ſit, orator declamet: cui *ciuilis* et *humanus ingreſſus* opponitur. Nempe *abrupta* Latinis omnino dicta ſunt, quae celeritatem nimiam, praecipitantiam, vim acriorem, et praeciſam breuitatem haberent. Itaque Sil.

 It. 7,

It. 7, 219. *abruptum ingenium* pro praecipiti, ardente, acri, dixit, et Flor. 4, 12, 6. *abruptos torrentes*, praecipiti curſu defluentes. Ergo *abruptum* genus ſermonis Salluſtio tribuit Quintilianus 4, 2. 45. ob nimiam breuitatem, vnde obſcuritatem trahat. Et Seneca Ep. 114. Salluſtio vigente, inquit, *amputatae* ſententiae, et verba ante exſpectatum cadentia, et obſcura breuitas, fuere pro cultu. cf. quae ad voc. *breuitas* dicta ſunt.

Abſolutus.

In doctrina Rhetorum de ſtatibus, *abſoluta* conſtitutio dicitur ſpecies conſtitutionis iuridicialis, *cum id ipſum, quod factum eſt, vt aliud nihil foris adſumatur, recte factum dicimus*, apud Auct. ad Herenn. 1, 14. vel vt idem Lib. 2, 13. definit, *cum ipſam rem, quam nos feciſſe confitemur, iure factam dicimus, ſine vlla aſſumtione extrariae defenſionis. In ea quaeri conuenit, iurene factum ſit. Conſtat autem his partibus: natura, lege, conſuetudine, iudicato, aequo et bono, pacto.* Quintilianus 7, 4. *abſolutam defenſionem* vocat; Graeci Hermagorei *κατ' ἀντίληψιν.* Nempe tum de re ſola quaeſtio eſt, iuſta ſit ea, nec ne? vid. Lex. gr. techn. ad voc. *ποιότης*. —

Conuerſiones abſolutas, quas Cicero appellet, ex hoc ipſo loco de Or. 3, 49. intelligi poteſt, vbi ad rectum numerorum vſum adhortans Craſſus, „efficiendum eſt illud modo vobis, inquit, ne fluat oratio, ne vagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius: vt membris diſtinguatur, vt *conuerſiones* habeat *abſolutas*. Neque ſemper vtendum eſt perpetuitate, et quaſi conuerſione verborum, ſed ſaepe carpenda membris minutioribus oratio eſt etc." Nam cum nunc conuerſiones dicat, quas Graeci *καμπὰς* ſ. *συστροφὰς* appellarunt, h. e. ambitus et orbes illos, quibus periodus continetur, tum *abſolutae* erunt, quarum tam recta ratio et proportio eſt, vt iis nec ad ſenſum, nec ad concinnitatem quicquam deſit; *εὐκαταστρόφυς* Demetrius Phal. de Eloc. §. 10. cf. Orat. 51. vbi oratio commemoratur *apta*, et *finita*, et *cum ſententia pariter excurrens*, et *propemodum abſolute concluſa: das ſchöne Verhältniß des Periodenbaues.*

Abſonus.

Si de vitio vocis ſermo eſt in diſciplina rhetorica, *abſonus* dicitur, qui vel ſonum vocis orationi aptum non habet,

habet, vel etiam habet ſuauitati et grauitati oratoriae contrarium: idem *abſurdus* appellatur. Ergo vox *abſona* et *abſurda* eadem erit, quae disſona, inepto ſono, ſiue acumine, ſiue grauitate, ſiue alio modo, aures offendens. Cic. Or. 3, 11.

Abundans.

Defenſio, vel argumentum *ex abundanti* dicitur, quod ea forma loquendi exprimitur, quae ſuperflui, et extra cauſam poſiti notionem habeat. Ea ratio magis exemplo monſtrari, quam definitione illuſtrari poteſt. Itaque cum Cicero pro Milone inſidiatorem Clodium fuiſſe oſtendit, tum *ex abundanti* haec addit: *etiamſi inſidiator non fuerit, talem tamen ciuem* (Clodium) *cum ſumma interfectoris virtute et gloria necari potuiſſe.* Quintiliano, qui inprimis hoc genus argumentandi commemorat, praeiuerunt Rhetores Graeci, qui non ſolum προοίμιον ἐκ περιουσίας, ſed et ἀνατροπὴν ἐκ περιουσίας laudant, de quibus in Lex. gr. ad voc. περιουσία diximus. Ex Quintilianeis cf. lib. 4, 5. 15. 5, 6. 2. et 8. 3. 88. vbi etiam *cumulus ex abundanti* dicitur. — Caeterum illud peruulgatum eſt, ſiue orationem, ſiue oratorem ipſum paſſim *abundantem* dici eodem ſenſu, quo copioſum, amplum, latum appellant; vnde et *inops*, h. e. exilis, contractus, opponitur. cf. Cic. Brut. 67.

Abuſio.

Auctori ad Herenn. 4, 33. *abuſio* eſt, quae verbo ſimili et propinquo pro certo et proprio abutitur. cf. Quintil. 8, 2. 5. et 6, 34. vbi abuſio dicitur, quae non habentibus nomen ſuum accommodat, quod in proximo eſt. vid. Lex. gr. techn. in κατάχρησις. Caeterum hoc genus a translatione ſ. metaphora ita diſcernendum eſt, vt *abuſio* ſit, vbi nomen defuit, *translatio*, vbi aliud fuit. Cicero in Orat. 27. Ariſtoteles, inquit, translationi haec ipſa (ſc. hypallagen vel metonymiam) ſubiungit, et *abuſionem*, quam κατάχρησιν vocant: vt, cum minutum dicimus animum pro paruo, et abutimur verbis propinquis, ſi opus eſt, vel quod delectat, vel quod decet.

Accuratus.

Quicquid cum cura, ſtudio, et artificio quodam factum eſt in oratione, *accuratum* Rhetoribus Latinis dici

 ſolet.

ſolet. Itaque Cic. de Or. 1, 9. *accurata orationis copia*, quae ſtudioſe et cum artis cura elaborata ſit, opponitur *nutui*, et *verbo*, quatenus vtrumque hoc non habet artem et ſtudium, ſed exilitatem potius quandam et breuitatem illis maxime propriam, qui vel negligenter, vel ex tempore, vel vulgari ſermone loquuntur. Ibi Scaeuola, *Sempronius*, inquit, *non accurata quadam orationis copia, ſed nutu atque verbo libertinos in vrbanas tribus transtulit.* Sic et in Bruto Cap. 7. *accurata* et *facta* quodammodo oratio iungitur, (vid. voc. *facere)* Cap. autem 95. *accurata* et *polita.* — Quintilianus 4, 1. 56. cum praecepiſſet in exordiis *curam* oſtentari non debere, quia *ars* omnis dicentis contra iudicem adhiberi videatur, addit, in quibusdam tamen iudiciis, maxime capitalibus, iudices exigere *ſollicitas* et *accuratas* actiones, quod contemni ſe credant, niſi in dicendo etiam *diligentia* appareat, neque doceri tantum, ſed etiam *delectari* velint. E quo loco omni luculentiſſime, et quid ſit *accurate* dicere, et quid ea cura efficiatur, intelligi poteſt. cf. Libri 8. prooem. vbi de *cura verborum regenda* praeclare disputatur. Similis ratio loquendi eſt, quam adhibuit Plinius, cum Lib. 3. ep. 7. Silium Italicum ait maiore *cura*, quam ingenio ſcripſiſſe: *Silius war mehr poetiſcher Sprachkünſtler, als Geiſt- und Geſchmackvoller Dichter.* Huc etiam pertinere videtur, quod Quintil. 11, 26. nitidam et *curatam* vocem tribuit phonaſcis, qui definitis vſibus ita vocem ſuam praeparabant, et fingebant. vt mollis et tenera eſſet, et aures delectaret, de firmitate, grauitate, aliisque vocis virtutibus in oratione neceſſariis minus ſolliciti. Neque obſcurum iam erit, quid ſibi voluerit Quintil. 8, 3. 49. *orationi accuratae* contrariam faciens *vilem*, h. e. neglectam: *der vernachläſſigte, hingeſchluderte oder geſudelte Ausdruck im Gegenſatze des ſorgfältig bearbeiteten.* Orationem *accuratam meditatamque* iungit etiam Auct. Dial. de corr. eloq. Cap. 6. eique *extemporalem audaciam* opponit. cf. Senec. Ep. 75.

Acerbus. Acerbitas.

Quintilianus 11, 3. 32. cum vocem *acerbam* inter illa vocis genera commemorat, quae ex faucium orisque incommodo oriantur, et praecipuum mollitiei, imbecillitatis, et tenuitatis vitium habeant, ſententia illorum valere non poteſt, qui *triſtem*, *λυπηρὰν*, interpretantur, quae

quae auribus iniucundum ſonum fundat, qualis ſit rotarum ſtridularum; vt taceam, hanc interpretationem iuſto latiorem eſſe, et ad multa alia etiam vocis genera pertinere poſſe. Itaque, mea quidem ſententia, Quintilianus, qui omnino in his rebus illuſtrandis metaphoras ſubtiliores et longius petitas adhibere ſolet, *acerbam vocem*, a fructuum acerbitate, immaturitatis indice, ducta metaphora, appellat veluti immaturum illum faucis ſonitum, qui ſolet eſſe in iuuenibus a pueritia in adoleſcentiam transeuntibus, habetque grauitatem cum exilitate inaequabiliter mixtam. Nolo hoc loco repetere, quae in Lex. gr. techn. ad voc. *πικροφωνία* de hoc genere vocis, et metaphorae iſtius vſu copioſius diſputaui: quae inprimis ad locum Quintil. 11, 3. 169. pertinent. Confirmabit autem illa, quae diximus, locus etiam Valerii Max. Lib. 8. ext. 1. p. m. 690. vbi de Demoſthene: „propter nimiam exilitatem *acerbam auditu vocem* ſuam exercitatione continua ad *maturum* et *gratum* auribus ſonum perduxit.“ — Quae autem in elocutione et verbis *acerba* veteres dixerint, intelligi poteſt e Gellii loco Lib. 13, 2. vbi Pacuuius traditur de Accii Atreo ita iudicaſſe: „ſonora quidem eſſe, quae ſcripſiſſet et grandia, ſed videri ea tamen ſibi *duriora* paullum et *acerbiora*.“ His fertur Accius ita reſpondiſſe: „ita eſt, inquit, vt dicis: neque id ſane me poenitet: meliora enim fore ſpero, quae deinceps ſcribam. Nam quod in pomis eſt, idem eſſe aiunt in ingeniis, quae *dura* et *acerba* naſcuntur, poſt fiunt *mitia* et *iucunda*.“ His addendus eſt locus Cic. Brut. 83. vbi, cum adnotaſſet, nimiam vetuſtatem non habere ſuauitatem, adeoque nec orationem Thucydidis veterem illam perſequendam eſſe, *ipſe Thucydides*, ait, *ſi poſterius fuiſſet, multo maturior fuiſſet et mitior.* — *Acerbitas* vero, quam Graeci *δριμύτητα* dixere, eſt pars vrbanitatis acrioris, quae cum ſale et amara irriſione coniuncta eſt, *ἀλυσμῷ* et *μυκτῆρι* Graecorum. Itaque Quintil. 10, 1. 117. Caſſio Seuero *acerbitatem* miram et vrbanitatem, eidemque mox ſtomachum tribuit: *Talent zur bittern, beiſenden Satyre.* cf. voc. *color.*

Acrimonia.

Acrimoniam paſſim reperimus de ea ſeueritate ſeu grauitate dictam, quae apud Graecos *δριμύτης*, *σφοδρότης*, vel *βαρύτης* et *σεμνότης* vocatur. Auct. ad Herenn.

renn. 3, 15. „Conuenit, inquit, in vultu *pudorem* et *acrimoniam* eſſe:“ *Anſtand, Ernſt, Würde.* Hinc et alibi cum *grauitate* iungitur, vt Herenn. 4, 13. vbi et *augere* orationem dicitur. cf. Cap. 24. vbi de *ſubiectionis* figura, „multum ineſt, inquit, *acrimoniae* et grauitatis in hac exornatione, propterea quod, cum quaeſitum eſt quod oporteat, ſubiicitur id non eſſe factum. Quare facillime fit, vt *exaugeatur* indignitas negotii.“ cf. ibid. Cap. 30. — Alio loco Lib. 4, 42. *ſermo* et *acrimonia* in voce et pronuntiatione ita ſibi opponuntur, vt ille ſedatam, haec vehementem orationem notet, cum geſtu ſimili.

Acris.

Quintilianus Lib. 1, 11. 4. in pronuntiando *parum acriores literas efficere*, dicit, quando earum vim, quam a natura habent, lingua non recte exprimimus, ſed cum aliis literis ſimilibus, at *hebetioribus*, permutamus, vt cum literam R vt L pronuntiamus: *die ſcharfe, rollende Ausſprache des* R, *im Gegenſatze der abgeſtumpften. lallenden, welche das* L *gibt.* Vnde et *λαμβδακισμὸν* hoc vitium Graeci appellarunt, et *ῥωβικὰς*, qui literam *ρ* efferre lingua non poterant, vt eſt apud Diog. Laert. 2. 108. — Deinde *acre* etiam Quintiliano paſſim dici ſolet. quicquid eſt vehemens, acutum, ſcitum, vrbanum in ſententiis: *ſinnreich, ſtark, treffend.* vid. inprimis Lib. 9, 3. 72 ſqq. et alibi multis in locis. Ei, in affectibus quidem, *lene* et *remiſſum*, in ſententiis et rebus, *leue*, plerumque opponitur. Vnde Quintil. l. c. quas *acres ſententias* dixerat, iisdem rerum *pondus* et §. 100. *vires* tribuit: *wichtige, Sinn- und Gehaltvolle Gedanken.* cf. Dial. de corr. eloq. Cap. 11. — *Acribus* affectionibus, quas oratio exprimit, Gellius N. A. 2, 23. *pigra* opponit, quae motu carent, animos non afficiunt.

Actuoſus.

Cicero Orat. 36. *actuoſas* partes orationis appellat, in quibus orator amplificatione, *αὐξήσει*, grauiore ornatu, maioreque contentione vti debet. Scilicet in his locis etiam *actio* oratoris maxime valet. Graeci id *τὸ δραστήριον*, idemque *τὸ ἐναγώνιον* et *ἐμπαθὲς* dixerunt,

runt, vt pluribus expoſuimus in Lex. gr. techn. ad voc. *δραστήρια*. cf. voc. *contentio*.

Aculeus.

Aculei Ciceroni dicti ſunt de eo genere ſententiarum et orationis, quod vi quadam ſua, mentibus, adfectibusque accommodata, altius in animos deſcendit, eos pungit, et veluti acriter expugnat perſuaſionem atque aſſenſum: quod quidem genus orationis forenſis proprium eſt. Vnde is Orat. 2, 15. iudicialem *aſperitatem*, et ſententiarum forenſium *aculeos* coniungit, iisque opponit hiſtoricorum ſcriptorum *fuſum tractumque*, et *cum lenitate quadam profluens* orationis genus: *der leidenſchaftliche, erſchütternde, das Herz tief angreifende Ausdruck des Redners, im Gegenſatze des ruhigern, ſanftern, mehr auf Unterhaltung und Belehrung abzweckenden Vortrags des Geſchichtſchreibers.* cf. Orat. 19. qui locus de ea re claſſicus eſt. Tales *aculei* fere ſentiri animo poſſunt in nonnullis figuris, quae dicuntur, oratoriis, iisque *παθητικοῖς*, vt interrogationibus, exclamationibus aliisque eius generis, quae inſtar fulminis mentes feriunt, a quarum vſu hiſtoria quodammodo abhorret. Cicero Orat. 3, 34. de Pericle: „in quo *tanta vis* fuit, vt in eorum mentibus qui audiſſent, quaſi *aculeos* quosdam relinqueret." cf. Brut. 9. et quae de hoc loco notauimus in Lex. gr. ad voc. *καταλιπέσθαι*. Seneca etiam Ep. 100. *vigorem* oratorium, *aculeos* et *ictus* ſententiarum iungit, et Controu. Lib. 2. praef. cum oratorio robore, ſimili metaphora, *pugnatorium mucronem* componit, vim illam acrem ſignificans, qua orator animos vehementer mouet et oppugnat. Vnde et *aculei* dicacitati et iocis tribuuntur, noto ſenſu, quo et *acumen* adhiberi ſolet. v. Cic. Or. 2, 55. et 60. et in Bruto 47. vbi de Philippo oratore: „in altercando cum aliquo *aculeo* et male dicto facetus."

Acutus. Acumen.

Tam definitae notiones ſunt, quas his vocabulis Rhetoricae Latinae ſcriptores adiunxerunt, vt in *τοῖς τεχνικοῖς* primo loco collocari debeant. Primum enim *acuta* oratio dicta eſt, et Ciceroni quidem, quae in rebus inueniendis et tractandis oratoris prudentiam,

 ingenium

ingenium et doctrinam declarat. Sic Cic. in Bruto 27. „Gracchi, ait, et Carbonis habemus orationes nondum ſatis ſplendidas verbis, ſed *acutas*, prudentiaeque pleniſſimas.“ Vnde patet acumen illud in rebus cerni, non in verbis, quibus eleganti et ſapienti iudicio ſplendor potius tributus eſt, quoniam vt ſplendor non niſi externa rerum virtus, ita in verbis non niſi externus nitor et ornatus eſſe ſolet, multum discrepans ille ab interno decore, quod ingenio, acumine, et prudentia comparatur. Hinc et ſaepe *prudenter et acute* coniunctim ponuntur, vt l. c. Cap. 28. cf. Brut. 62. vbi manifeſte *acumen* ad res inueniendas refertur. Locus autem claſſicus de *acuminis* ſenſu eſt in Orat. 2, 29. Ibi Antonius: „meae totius orationis tres ſunt rationes; vna conciliandorum hominum, altera *docendorum*, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, ſecunda *acumen*, tertia vim deſiderat. Nam hoc neceſſe eſt, vt is, qui nobis cauſam adiudicaturus ſit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut *defenſionis argumentis* adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars (ſcil ſecunda, acuminis) in qua *rerum ipſarum explicatio poſita eſt*, videtur omnem huius generis quaſi doctrinam continere, de ea primum loquemur.“ Iam igitur Antonius de locorum argumentorumque fontibus et ſedibus reperiundis, vel de omni inuentionis, docendique artificio, quod ipſum acuminis nomine inſigniuerat, vberius exponit. Vnde Lib. 1. de Or. 29. dialecticis, quorum omnis paene opera in rerum quaeſtionibus et argumentis conſumitur, propriam veluti virtutem *acumen* tribuit. — Deinde etiam Lib. 2. Cap. 35. *acumen* manifeſte pro ingenio dicitur, et a *ratione*, quae ſolius artis et ſtudii eſt, diſtinguitur. cf. de Or. 1, 25. Sic et Aquila Rom. de Fig. p. 13. ed. Pith. in Prooem. „Inuentio, inquit, rerum cum *acutis* hominibus, quos tamen oratores nondum appellare poſſis, communis eſt.“ Huic autem acumini oppoſita proprie eſt *excogitandi tarditas*, quam Cicero appellat in Bruto Cap. 66. Luculentior tamen de eadem re locus eſt Cap. 67. de Piſone: „minime ille quidem *tardus in excogitando*, verum tamen vultu et ſimulatione multo etiam *acutior*, quam erat, videbatur.“ Ad eandem fere notionem pertinent hae formulae: *in exiſtimando prudentem*

prudentem eſſe, Cap. 68. et ibidem *rem prudenter videre;* deinde Cap. 70. *non hebetem in cauſis eſſe;* quo ſenſu et Quintilianus 8, 3. 49. *hebetem* orationem *acutae* opponit. Omnino Cicero in libris Rhetoricis ſemper haec duo diſtinguit, *rem noſſe,* quod eſt philoſophi, et *rem dicendo explicare poſſe,* quae propria oratoris virtus eſt. In illo *prudentia* vel *acumen,* in hoc *eloquentia* cernitur. De quo diſcrimine luculentus locus extat de Orat. Lib. 3, 35. Caeterum in hoc loco peropportune, ni fallimur, in mentem nobis venit animaduertere, quantam diuerſiſſimarum linguarum voces, Latinorum *acumen,* et Germanorum *Scharfſinn,* non ſolum metaphorarum, ſed etiam ſenſus ſimilitudinem habeant. Itaque ſi externa aliqua confirmatione indigerent illa, quae nuper Garuius in Commentatione de arte cogitandi (vid. *Verſuche über Gegenſtände der Moral, Literatur* etc. Th. II. p. 349.) diuine disputauit, non ineptum fortaſſe foret, illa Latinae loquendi conſuetudinis auctoritate vti. — Quod autem *acumen* Quintilianus 6, 4. in altercationibus plurimum valere dicit, recte Geſnerus docuit ineſſe in celeritate cogitandi dicendique promte et breuiter, quod ex re ſit. cf. Cic. de Or. 2, 58. — Denique *acuta* exclamatio apud A. ad Herenn. 3, 12. eſt nimis attenuata, atque exilis, quae neruorum et arteriarum intentionem quandam requirat: *Anſchlag der Stimme in den hohen Tönen.* Ictus enim ſit, inquit, et vulnerantur arteriae *acuta* nimis atque attenuata acclamatione. cf. Cic. Or, 3, 57.

Adfictio.

Iulio Rufiniano p. 36. *adfictio* dicitur, quam σχέσιν Graeci appellarunt, figura eiusmodi, qua adfectum aduerſariorum quemlibet fingimus, cui reſpondeamus. Similis eſt τῇ ἀνθυποφορᾷ, ſ. *ſubiectioni,* de qua alio loco diximus.

Adhaereſcere.

Exquiſita metaphora Ciceroni oratio *adhaereſcere* dicitur, cum verba tam parum concinne et numeroſe collocantur et iunguntur, vt vox in literis durioribus et aſpere concurrentibus. crebro offendat, impingat, nec libere et expedite prolabi in pronuntiando poſſit.

 Ita

Ita in Bruto 79. mollem, apteque compoſitam Calidii orationem deſcribens: *ita libere fluebat*, inquit, *vt nusquam adhaereſceret.* Haec ſunt impedimenta illa, hae offenſiones, quae Graecis ἐγκαθίσματα, στηριγμοὶ, ἀνακοπαὶ, ἐξερείσματα appellantur. Hinc et ipſe Hortenſius, cum coepiſſet contentionem priſtinam, et vim ardoremque dicendi remittere, dicitur Ciceroni in Bruto 93. *in celeritate et continuatione verborum adhaereſcere*, ob ſpiritus contentionisque moderationem, quae linguam eius ſolutiorem minusque incitatam reddiderat. vid. ad voc. *fluere* quae notauimus.

Adhortatio.

Gr. παρατροπὴ, cum παλιλογία coniuncta, a Iul. Rufiniano p. 29. Pith. ad figuras ſententiarum refertur, atque exempli cauſa ponuntur haec Virgiliana: *Nunc nunc inſurgite remis.*

Adiunctum. Adiunctio.

Cicero Lib. 1. de Inuent. Cap. 24. cum docuiſſet omnes res argumentando confirmari, aut ex eo, quod perſonis, aut ex eo, quod negotiis ſit attributum, mox Cap. 26. ad poſterius genus inter alias formas etiam *adiuncta negotio* refert. Itaque Cap. 28. „*adiunctum* negotio id intelligitur, inquit, quod maius et quod minus, et quod ſimile erit ei negotio, quo de agitur, et quod aeque magnum, et quod contrarium, et quod disparatum, et genus, et pars, et euentus.“ Haec deinceps ſeparatim explicat.

Ex diſciplina Dialecticorum in Topicis *adiuncta* commemorantur, vbi docetur locos argumentorum ex adiunctis repeti poſſe, ita vt quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. vid. Cic. Top. 12. Ab his tamen diuerſi ſunt loci, qui ſunt ex conſequentibus, antecedentibus, et repugnantibus. Nam adiuncta, inquit Cicero, non ſemper eueniunt, illa autem conſequentia etc. ſemper. — Ad idem genus pertinent quae περιστάσεις vocantur, et omnia ea, quae in illo capite ſtatus coniecturalis continentur, quod ἀπ᾽ ἀρχῆς μέχρι τέλους ab Hermogene vocatur Partit. Cap. 5. cf. Caſp. Laurentii Comment. ad Hermog. Lib. 3. de Inuent. Cap. 9. pag. 84. *Adiunctionem* in figuris elocutionis commemorat Cic. Or. 3, 54. cf. voc. *disiunctio.*

iunctio. Sed *verborum adiunctionem* Cicero Partit. 5. appellat, quam Grammatici vulgo *compoſitionem* vocant, vnde verba compoſita, *ὀνόματα συνθετὰ*, fiunt.

Adipatus. vid. *Opimus.*

Adiuuare.

Adiuuare argumenta dicitur is, qui declarat, quam vim habeant, quid efficiant, vt eorum robur manifeſtum fiat, et animus in iis velut immoretur. Contrarium facit, qui nuda argumenta *ponit* tantum. Sic Quintil. 5, 12. 6. „Quaedam argumenta, inquit, ponere non ſatis eſt; *adiuuanda* ſunt, vt, ſi cupiditas cauſa ſceleris fuit, explices, quae ſit vis eius; ira, quantum efficiat in animis hominum talis adfectio. Ita enim et firmiora erunt ipſa, et plus habebunt decoris, ſi non nudos et veluti carne ſpoliatos artus oſtenderint.“ cf. Cap. 13, 27.

Admirabilis.

Admirabile genus cauſae, *τὸ παράδοξον* Graecis dictum, Ciceroni Inuent. 1, 15. dicitur, *a quo alienatus eſt animus eorum, qui audituri ſunt.* cf. Quintil. 4, 1. vbi *παραδοξολογίαι* Graecorum conferuntur. Aliis locis Cicero infeſtum, abalienatum iratumque auditoris animum in admirabili genere cauſae ſtatuit, vt l. c. Cap. 15. et 17. Eius rei vltimo in loco tres cauſas commemorat, 1) ſi aut ineſt in ipſa cauſa quaedam turpitudo, aut 2) ab iis qui ante dixerunt, iam quiddam auditori perſuaſum videtur, aut 3) eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi quos audire oportet, defeſſi ſunt audiendo. His ergo in locis *admirabile* in deteriorem partem dicitur, *ein auffallender Gegenſtand.* Vnde et Trapezuntius Lib. 1. Rhetor. *admirabile turpi* adiungendum putat. In fine Cap. 17. Cicero *admirationem* tribuit his, quibus triſte, nouum aut horribile aliquid obueniat, vel dicatur. Et in Orat. Cap. 3. reprehenſionem cum *admiratione* ſimili fere ſenſu iungit: *Befremdung, Andeutung des Abſcheues, der Beſtürzung, des Miſsfallens.* cf. Cur. Fortunat. p. 60. Pith. Sulpicius autem Victor Inſtitt. Or. p. 243. *admirabilis cauſa* eſt, inquit, quae talis facie ipſa videtur, talisque apud opinionem iudicum coepit eſſe, vt admiren-

admirentur, quenquam ad defenſionem eius accedere. — Aliud eſt *admirabile dicendi genus*, magis proprie dictum, quod, vt Cicero deſcribit in Orat. Cap. 27. *curſu magno ſonituque fertur, quod ſuſpiciant omnes, quod admirentur, quod ſe aſſequî poſſe diffidant.* Hunc certe locum Ciceronis in mente habuiſſe videtur Quintilianus 11, 1. 92. vbi ſententiam Ciceronis laudat ſimili ſenſu, quamuis verbis diuerſam, eaque dicit *admirabile illud genus* dicendi ſignificari, cui contraria ſit *ſimplicitas*, et veluti *ſeueritas inaffectatae orationis*. cf. quae diximus ad voc. ἀφελής in Lex. gr. techn. Affine ergo iſti generi eſt, quod *mirabile* dicitur in elocutione oratoria, hoc eſt, ita vehemens et ſplendidum, vt audienti quendam ſtuporem afferat. vid. Cic. Or. 19. cf. de Orat. 1, 31.

Adſtrictus.

Primum ſimpliciter *adſtrictus* oratione dicitur, qui raro ornatu vtitur, ſimplicior, et moderatior, et exilior eſt in dicendo. Ita Cicero in Bruto 25. „Fuerunt, inquit, etiam in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii, fratres. Simplex quidem L. et antiquus: Sp. autem nihilo quidem ille ornatior, ſed tamen *adſtrictior;* fuit enim doctus ex diſciplina Stoicorum. Vnde et Cap. 31. Stoicorum orationem ſtatuit *adſtrictiorem* eſſe, quam aures populi requirant, Academicorum autem liberiorem et latiorem, quam patiatur conſuetudo iudiciorum et fori. Scilicet Stoici illi ſolam disſerendi ſubtilitatem et tenuitatem ſectabantur, a copia et grauitate ornatuque oratorio alieni. Hinc Dialectica quaſi *contracta* et *adſtricta eloquentia* putabatur, contraria iuſtae oratoris eloquentiae, quam Dialecticam dilatatam appellabant, auctore Cicerone in Brut. 90. Auct. Dial. de corr. eloq. 31. Sunt, inquit, apud quos *adſtrictum* et *collectum*, et ſingula argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dediſſe operam Dialecticae proficiet. vid. quae ad voc. *preſſus* et *exilis* notata ſunt. Apud Plinium etiam Lib. 1. ep. 20. *adſtrictius* et *effuſius* dicere opponuntur. cf. Quintil. 10, 4. 1. et Cap. 5, 4. — *Adſtrictus* denique *numerus* qualis dicatur, ad voc. *numerus* explicabimus.

Aduer-

Aduerſus.

Aduerſum genus argumentationis, ideoque vitioſum, dicitur Ciceroni Inu. 1, 50. quod ipſi cauſae aliqua ex parte officit: vt ſi quis hoſtium vim, et copias, et felicitatem augeat, cum ad pugnandum milites adhortetur: ſi non ad id, quod inſtituitur, accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur: ſi plura pollicitus pauciora demonſtrabit; aut, ſi, cum totum debebit oſtendere, de parte aliqua loquatur: aut, ſi non id, quod accuſabitur, defendet: aut, ſi res ex hominis vitio vituperabitur: aut, ſi qui, cum aliquem volet laudare, de felicitate eius, non de virtute dicat: aut, ſi qui rem cum re ita comparabit, vt alteram ſe non putet laudare, niſi alteram vituperarit: aut, ſi alteram ita laudet, vt alterius non faciat mentionem; aut ſi, cum de certa re quaeretur, de communi inſtituetur oratio: aut, ſi ratio alicuius rei reddetur falſa: aut ſi infirma: aut eadem: aut parum idonea.

Aequabilitas.

vid. *Lenis. Durus. Fluere.*

Aequalitas.

In elocutione *aequalitas* orationi tribuitur, ſi numero ita continuo inſtructa eſt, vt non mox fluens et lenis, mox hiulca et aſpera ſit. Cicero Or. 58. „Omnis, inquit, nec claudicans, nec quaſi fluctuans, et *aequaliter* conſtanterque ingrediens, numeroſa habetur oratio.“ Et Seneca Controu. Lib. 2. praef. vitium contrarium in Fabiani oratione notans: „ſumma, inquit, *inaequalitas* orationis, quae modo exilis erat, modo nimia licentia vaga et effuſa.“ — In pronuntiatione autem *aequalitas* dicitur Quintiliano 11, 3. 43. ſi ſermo non ſubſultat imparibus ſpatiis et ſonis, miſcens longa breuibus, grauia acutis, elata ſubmiſſis, et inaequalitate horum omnium, ſicut pedum, non claudicet: *die egale Tempo- und Tonhaltung.*

Affectatio.

Affectatum Rhetoribus in genere dici ſolet, quicquid apertum et manifeſtum artis accurationisque ſtudium

dium habet. cf. Quintil. 9, 3. 54. et 10, 1. 81. vbi de Xenophonte: quid commemorem, inquit, Xenophontis iucunditatem illam inaffectatam, ſed quam nulla poſſit *affectatio* conſequi. *Mala affectatio* commemoratur Quintil. 8, 3. 56. ad quam pertinent, quae in oratione ſunt *tumida, exilia, praedulcia, abundantia, arceſſita, exultantia.* Eo nomine expreſſit, quod Graeci τὸ κακόζηλον vocarunt. Cuiusmodi κακοζηλίας ſpecimen qui legere cupit, euoluat Creſollii Vacatt. Autumn. Lib. 3. p. 581. — In ſingulis etiam verbis *affectationem* quandam eſſe poſſe, cum nimiam delectus ornatusque curam prodit is, qui loquitur, docuit Quintil. 8, 1. vbi narrat Theophraſtum, ab Attica anu, adnotata *vnius verbi affectatione*, pro hoſpite habitum, quod *nimium Attice* loqueretur. Vnde et τὸ *curioſe* dicere, τῷ *Latine*, et orationem ciuitate donatam, Romanae opponit.

Affectio. Affectus.

Ciceroni de Inuent. 1, 25. *affectio* eſt animi aut corporis ex tempore aliqua de cauſa commutatio, vt laetitia, cupiditas, metus, moleſtia etc. Et Lib. 2, 58. *affectio*, inquit, quaedam eſt ex tempore, aut ex negotiorum euentu aut adminiſtratione, aut hominum ſtudio, commutatio rerum, vt non tales, quales ante habitae ſint, aut haberi plerumque ſoleant, habendae videantur eſſe. Nempe *affectus* Rhetoribus dicuntur, vt philoſophis, motus animorum, dolores, iracundiae, metus, laetitiae, cupiditates. cf. Cic. Part. Cap. 9. Quintil. 4, 2. 110 ſq. In his propriam oratoris vim poſuerunt eloquentiae doctores, hos in iudiciis dominari, hos eloquentiam regere exiſtimarunt. cf. Cic. Orat. 2, 43. 44. Pluribus id docuit Quintil. 6, 2. quo in loco ſingularis de affectibus diſciplina continetur. Itaque, „*probationes*, inquit, efficiunt ſane vt cauſam noſtram meliorem eſſe iudices putent, *affectus* praeſtant, vt etiam velint; ſed id, quia volunt, credunt quoque. Nam cum iraſci, fauere, odiſſe, miſereri coeperint, agi iam rem ſuam exiſtimant.“ — Affectuum, ex mente Quintiliani Graecos veteres in eo etiam genere ſecuti, duae ſpecies ſunt, τὸ πάθος, quem proprie Latini *affectum* vocant, et τὸ ἦθος, *mores*, vel vt ille explicat, *morum quaedam proprietates.* Alii illos

illos affectus *concitatos*, hos *mites* et *compoſitos* appellarunt, quae ſenſus magis quam nominis interpretatio eſt; illosque imperare, hos perſuadere, illos ad perturbationem, hos ad beneuolentiam praeualere ſtatuerunt. cf. Quintil. 10, 1. 48. Hinc et Iul. Rufinian. p. 29. in figuris ſententiarum παθοποιΐαν retulit, quae vel ira, vel odio, vel miſericordia commoueat. cf. Caſſiodor. in Rhet. Comp. p. 335. ed. Pith. Porro, vt ad Quintilianum redeamus, l. c. τὸ ἦθος id eſſe iudicat, quod ante omnia *bonitate* commendetur, non ſolum mite et placidum, ſed plerumque blandum et humanum et audientibus amabile et iucundum: in quo exprimendo ſumma haec virtus ſit, vt fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant, et quodam modo agnoſcantur. Hinc in ſcholis etiam τὰ ἤθη dicebantur, quibus ruſtici, ſuperſtitioſi, auari, timidi effingi ſolent; vel ἠθικαὶ ὑποθέσεις, quas cauſas *morales* dixerunt Latini, vt Sulpic. Vict. Inſtitt. Or. p. 242. quibus opponebant παθητικὰς, cum perſonae eius, quae loqueretur, repraeſentandus affectus eſſet. Genus dicendi *mores* deſiderant placidum et mite, nihil ſuperbum, nihil elatum, ac ſublime: proprie et credibiliter dicere, ſat eſt. Huc et illa Quintiliani obſeruatio pertinet, affectus non hoc ſolum agere, vt, quae ſunt, oſtendantur luctuoſa et acerba, ſed etiam vt, quae toleranda haberi ſoleant, grauia videantur: vnde oriatur illa quae δείνωσις Graecis vocatur, rebus indignis, aſperis, inuidioſis, addens vim oratio, qua Demoſthenes inprimis valuit. v. Trapezunt. Rhet. Lib. 5. p. 76. de *morata*, ſ. *affecta* oratione ex Hermogenis diſciplina exponens copioſius. cf. Voſſ. Inſtit. Or. Lib. 2. p. 196 ſqq.

Agere. Actio.

Primum *agere* cauſas Rhetoribus dicitur, quod Graecis τὸ ἀγωνεῖσθαι, publice *orationem habere*, quatenus ab eo munere declamatio vmbratilis et ſcholaſtica differt. cf. Cic. de Orat. 2, 24. Libro autem 3, 35. *agendi* praecepta et *loquendi* ita diſtinguuntur, vt illa ad res, inprimis forenſes, haec ad elocutionem et ſermonis elegantiam pertineant. cf. Brut. 22. *Actorem in veris cauſis*, ſcriptoremque laudat Molonem Rhodium ibid. Cap. 91. Itaque etiam Quintiliano 3, 10. *agens* dicitur,

dicitur, qui Graecis ὁ διώκων, accuſator in cauſa iudiciali, cui contrarius eſt *recuſans*, ὁ φεύγων, qui ſe defendit. Haec et ita diſtinguuntur, vt *agere* ſit κατ' ἐξοχὴν petitoris, ſ. accuſatoris, rei autem *reſpondere*, vt Quintil. 5, 13. 53. „ſi *agimus*, noſtra confirmanda ſunt prius, tum quae noſtris opponuntur, refutanda: ſi *reſpondemus*, prius incipiendum eſt a refutatione. Sic apud Plin. Ep. 1, 20. *actio* orationi opponitur, quod in illa vox, geſtus, et aurium iudicium valet, in hac ſola lectio locum habet. cf. Lib. 2, 19, 1 ſqq. Quintil. 11, 3. 5. 12, 2. 11. Cic. de Offic. 2, 1. vbi *agere* et *ſcribere*, ſcriptaque philoſophica *actionibus* opponuntur, quas et mox *literas forenſes* et *ſenatorias* appellat. Deinde *agere* Latinis eſt idem, quod Graecis ὑποκρίνεσθαι, declamare, quod ſit vultu, geſtibus, voce. Cic. Orat. 1, 5, et 31. vnde ipſa *actio* dicitur gr. ὑπόκρισις. cf. Cap. 42. et in Orat. Cap. 17. vbi *actio* corporis eloquentia dicitur. Neque adeo vrgendum eſt, quod Cicero Lib. 2, 19. *agere* et *pronvntiare* componit, quaſi in agendo pronuntiationem exceperit. Nam aliis in locis modo *agere*, modo *pronuntiare*, ſeparatim commemorat, vt in illis omnibus, vbi de officiis oratoris vel partibus eloquentiae ſermo eſt. vid. voc. *officium*. Sic et Quintil. 3, 3. *pronuntiationem* et *actionem* vt ſynonyma iungit, et Lib. 11, 3. init. pronuntiatio, inquit, a plerisque *actio* dicitur, ſed prius nomen a voce, ſequens a geſtu videtur accipere. — Denique *actionis* controuerſia vocatur, quam in diſciplina ſtatuum vulgo *translationem* dicunt, de qua ſeparatim expoſuimus. v. Quintil. 3, 6. 68. 7, 5. et 5, 13. 8. Cic. de Inuent. 1, 8.

Alienus.

Aliena verba Rhetores dicunt, vbi de elocutione et verborum delectu et vſu praecipiunt, quae non ſunt oratori accommodata, ſed hiſtorico aut poetae. v. Cur. Fortunat. Rhet. p. 70. ed. Pith. Apud Ciceronem Or. 24. *aliena* verba propriis opponuntur.

Altercatio.

Altercationes ſunt breues loquentium vices, quibus vtrinque ſe interrogationibus et reſponſionibus interrumpunt. Quintil. 2, 4. 28. De eo genere dicendi ex inſtituto

inſtituto agit Lib. 6, 14. Ibi *breuem* et *conciſam actionem* appellat altercationem, *perpetuae* orationi contrariam. In illa enim, inquit, non *alia* dicuntur, ſed *aliter*, nimirum interrogando et reſpondendo. cf. Cic. ad Att. 1, 16. vbi ſe ait Clodium praeſentem in ſenatu fregiſſe cum perpetua oratione, tum *altercatione*. In hac epiſtola ipſum huius altercationis exemplum ponitur.

Ambiguum. Ambiguitas.

Vbi Rhetores Latini de ſtatibus, ſeu conſtitutionibus cauſae praecipiunt, in conſtitutione legitima *ex ambiguo* dicunt controuerſiam naſci, cum res in vnam ſententiam ſcripta, duas aut plures ſignificat. Sic Auct. ad Herenn. 1, 12. Cicero tamen controuerſiam illam, quae in ſcripto verſetur, a conſtitutionibus ſeparauit. cf. de Inuent. 2, 40. vbi de illo ambiguo, „Ex *ambiguo*, inquit, naſcitur controuerſia, cum, quid ſenſerit ſcriptor, obſcurum eſt, quod ſcriptum duas plerumque res ſignificat.“ cf. quae dicta ſunt ad voc. *legitimus*, et in Lex. gr. techn. ad voc. *ἀμφιβολία*. Quintilianus de hoc quaeſtionum legitimarum genere agit Lib. 7, 9. Huius amphiboliae innumeras ſpecies eſſe notat, quoniam aut ſingulis vocibus aut coniunctis accidat, et vix aliquod verbum ſit, quod non plura ſignificet. Ergo huc pertinet *ὁμωνυμία*, cum pluribus rebus aut hominibus eadem appellatio eſt. Aliud genus eſt ambigui, cum alia integro verbo ſignificatio eſt, alia diuiſo, quale eſt in Graeco exemplo: *αὐλητρὶς πεσοῦσα δημοσία ἔστω*. Vnde Graeci Sophiſtae quaeſiuerunt, *αὐλητρὶς* coniunctim, an diuiſim *αὐλὴ τρὶς πεσοῦσα*, legi debeat, vel vt Quintilianus interpretatur: *vtrum aula, quae ter cecidit, an tibicina, ſi ceciderit, debeat publicari.* Merito autem eas ineptas cauillationes Fabius appellat. Tertium genus eſt in *compoſitis*, in quibus ambiguitas naſcitur, cum ex vno verbo duo fiunt, quam *διάστασιν* Graeci dixerunt, vſi exemplo, a Quintiliano etiam allato, nominis *πανταλέων*, de quo diximus in Lex. gr. techn. ad voc. *διάστασις*. In verbis coniunctis fit 1) per caſus, 2) per collocationem, vbi dubium eſt, quid quo referri oporteat, 3) per flexum vocis in pronuntiando, 4) per productionem vel correptionem ſyllabarum, quibus ſaepe caſus mutari ſolent. cf. Cic. Orat.

 2, 25.

2, 25. Voſſ. Inſtitt. Rhet. Lib. 1. p. 167 ſqq. — Ex *ambiguo*, quomodo ridicula eruantur, explicauit Cic. Or. 2, 62 ſqq. Sunt ea in verbo poſita non in re: nec ſaepe magnum riſum mouent, ſed magis vt belle et literate dicta laudantur: niſi ſi quando incidunt in aliud genus ridiculi. cf. Quintil. 6, 3. 62 ſqq. De *ambiguitate*, elocutionis vitio, Quintilianus Lib. 8. 2. 15. ita diſputat, vt non illam ſolum reprehendat, *quae incertum intellectum faciat*, ſed illam etiam, quae, etſi turbare non poteſt ſenſum, in idem tamen verborum vitium incidat, vt, ſi quis dicat: *viſum a ſe hominem librum ſcribentem*. Nam etiamſi librum ab homine ſcribi pateat, male tamen compoſuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipſo fuit.

Ambitioſus.

Noto ſenſu in vita communi, et in negotiis vitae inprimis publicae *ambitioſus* dici ſolet, qui aliorum gratiam captat rogando, blandiendo, vt ſibi proſint. Quoniam autem eiusmodi ambitioſi ſtudioſius iuſto et cupidius omnia facere ſolent, hinc factum eſt, vt et in ratione dicendi *ambitioſus* diceretur Quintiliano 8, 3. 26. qui ſtudioſius, quam par eſt, vetuſta, et obſoleta verba ſectatur, vt vel doctus, vel ſingularis videatur, et his veluti notis et maculis inſignem orationem faciat. Quare et *ornamenta ambitioſa* Horatius Art. poet. 447. pro nimiis, argutis, luxuriantibus, dixit. cf. Heuſing. ad Cic. de Offic. 1, 30. 10. Noto aliam metaphoram, qua Cicero eandem illam artis nimiam induſtriam exprimere ſolet. Ea in *aucupii*, et *aucupandi* vocabulis ſita eſt. Sic in Orat. 55. *aucupium delectationis*, et quadrandae orationis *induſtriam*, et pro Caecin. 23. *aucupia* verborum et literarum *tendiculas* iungit. cf. eiusdem orationis Cap. 18. et pro Sextio 55.

Ambitus.

Verborum *ambitus*, e Graeco περίοδος expreſſa vox, pro quo et *conuerſionem*, *continuationem*, *comprehenſionemque* orationis dixere Latini. Sic Cic. Or. 3, 48. Brut. 44. Quamuis Suetonius ambitum verborum de circumſcriptione etiam ſ. περιφράσει Graecorum adhibuit, vt ex Tiber. Cap. 71. intelligitur. De forma et iuſta talis ambitus vel periodi veluti menſura Cic.

Orat.

Orat. 66. ita: „conſtat ille ambitus et plena comprehenſio e quatuor fere partibus, quae *membra* dicimus, vt et aures impleat, et ne breuior ſit, quam ſatis ſit, neque longior." Et Aquila Rom. de fig. p. 17. orationem, quae ex *ambitu* conſtat, ſ. periodum ita definit: *quae ſententiam certa quadam circumſcriptione determinat.* *Rerum* vero *ambitum* de periphraſi vel deſcriptione dixit Quintil. 10, 1. 16. ad quem locum Geſnerus docuit *ambitum* non ad periodum modo et orbem illum verborum pertinere, ſed ad copiam ſimpliciter et multitudinem, attulitque exempli gratia Plin. H. N. 15, 30. ſ. 39. „Id quoque, quod daphnoides vocatur, lauri genus in nominum *ambitu* eſt. Nam alii Pelaſgum, alii cupetalon, alii ſtephanon Alexandri vocant."

Amplificatio.

Triplici fere ſenſu a Rhetoribus Latinis *amplificationem* dictam eſſe reperimus. Vſitatior eius verbi, et oratori praecipue accommodata vis eſt, vt *amplificare* dicamus ea, quae augeamus vel altius tollamus dicendo, aut etiam extenuemus et abiiciamus. Ad vtrumque enim amplificationem valere, diſerte docet Cicero Or. 3, 26. et 27. Inprimis autem ad concitandos animos adhibetur, in quo proprium oratoris officium continetur. — Partit. Cap. 8. *amplificatio* definitur vehemens quaedam argumentatio, quae commouendi cauſa fiat. Huius quidem amplificationis, quae ad res pertinet, modos et genera Quintilianus in locis inuentionis tractauerat. Illam autem, quae in verbis et elocutione cernitur, et qua *augetur* et *extollitur* oratio, tractat Lib. 8, 4. vbi eam dicit quatuor maxime generibus conſtare, *incremento*, *comparatione*, *ratiocinatione*, *congerie*, de quibus ſeparatim ſuo loco dicetur. vid. Lex. gr. techn. in voc. αὔξησις et cf. Berger. de nat. pulcr. Or. p. 99. Similis huic quaedam alia eſt ſpecies amplificationis, quae propria eſt generi demonſtratiuo, et inprimis laudibus, de qua Quintil. Lib. 3, 7. 6. vbi eius tanquam ſynonymum ponit *ornare*. Sic et Cicero Or. 3, 27. „maior eſt etiam, inquit, exercitatio laudandi et vituperandi: nihil enim eſt ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius, quam vtrumque horum cumulatiſſime facere poſſe." —

Aliud genus amplificationis eſt, *quae per locum communem inſtigationis auditorum cauſa ſumitur*, et in epilogo quidem adhibetur, docente Auct. ad Herenn. 2, 30. vbi concluſiones ſ. ἐπιλόγυς, ex *enumeratione*, *amplificatione*, et *commiſeratione* conſtare dicit. Eandem Cicero Inuent. 1, 52. *indignationem* vocat et Cap. 53. vtramque vocem ſynonymice iungit. Ab eodem in Partitt. Cap. 15. peroratio in duas partes diuiditur, *amplificationem* et enumerationem, illaque dicitur eſſe grauior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ea eſt vel verborum vel rerum. Sulpicio Vict. Inſt. Rhet. p. 249. eadem perorationis pars *exaggeratio* dicitur. — Denique in vocis vſu et pronuntiatione Auctori ad Herenn. 3, 13. *amplificatio* appellatur ea oratio, quae aut iracundiam inducit, aut ad miſericordiam trahit auditoris animum; *Ausdruck der Leidenſchaft und der Rührung durch Stimme und Declamation.* Itaque ab eodem Rhetore in cohortationem et conqueſtionem diuiditur, habeturque pars *mollitudinis* vocis, cuius reliquas partes *ſermonem* et *contentionem* facit.

Amplitudo.

Hanc orationis virtutem, quae beatam ingenii foecunditatem, rerumque ſingularem copiam et vbertatem ſignificat, Platoni κατ' ἐξοχὴν a Cicerone tributam reperimus in Orat. Cap. 1. Neque dubium eſt Latinos expreſſiſſe Graecorum πλατύτητα τῆς ἑρμηνείας ibidem praecipuo modo de Platone dictam, quam Plinius Ep. 1, 10. magis etiam ad vocabulum Graecum accommodate *platonicam latitudinem* interpretatus eſt. cf. voc. πλατύτης in Lex. gr. technol. In vniuerſum autem *amplitudo* propria virtus eſt oratoris grauiter, ornate, copioſe, et cum verborum et ſententiarum inſigni dignitate dicentis: vnde ei tenuitas, ſubtilitasque oppoſita eſt, quae magis in docendo, et perſuadendo cernitur. Illuſtris locus Ciceronis, ex quo amplitudinis vis intelligi poſſit, eſt de Inuent. Lib. 2, 16. fin.

Anceps.

Anceps genus cauſae eſt, in quo aut iudicatio dubia eſt, aut cauſa et honeſtatis et turpitudinis particeps, vt et beneuolentiam pariat, et offenſionem. v. Cic.

Cic. de Inu. 1, 15. Auct. ad Herenn. 1, 3. idem *dubium* appellat. cf. Quintil. 4, 1. 40.

Anguſtus.

Anguſte dicere, iudicantur oratores vel ſcriptores illi, quibus in ſubtilitate quadam et concinnitate, tamen oratoria grauitas et vis et copia deeſt. Cicero in Bruto Cap. 86. „Si *anguſte* et *exiliter dicere,* inquit, eſt Atticorum, ſint ſane Attici, ſed in concilium veniant, ad ſtantem iudicem dicant. Subſellia *grandiorem* et *pleniorem* vocem deſiderant.“ Quare Dialectici, quoniam a copia dicendi oratoria abhorreant, *anguſte* disſerere dicuntur, h. e. exiliter, tenuiter, Ciceroni Partit. Rhet. Cap. 40. Brut. 33. et alibi. vid. voc. *exilis*, et *tenuis*. Et in Paradox. 1. cum ſignificare vellet, Catonem ab ornatu et ſplendore eloquentiae proprie ſic dictae, et forenſis alienum, ita ſententiam dixit: „Cato nullum ſequitur florem orationis, nec *dilatat* argumentum.“ — Deinde *anguſta* oratio Cic. Orat. 58. dicitur etiam, quae nimis adſtricta eſt numeris ita vt ad verſuum ſimilitudinem, et carminis definitam legem prope accedat; cui contraria eſt *disſoluta* et *fluens,* nulliſque prorſus numeris diſtincta. — Vocem etiam *anguſtam* Iuuenal. Sat. 3. dicit, exilem et obſcuram, qualis fuit eorum, quos Graeci ἰσχνοφώνυς vocarunt.

Animatus.

Verba exiliter *animata* Ciceroni Orat. 3, 11. dicuntur quae cum exili ſpiritu vel anima pronuntiantur, vociſque exilis, mollioris et impotentioris vitio naſcuntur. Contrarium vitium nimiae contentionis habent *inflata*, vel *anhelata*, de quibus alio loco. cf. Creſoll. Vacatt. Aut. Lib. 3. Cap. 5. Sect. 1. p. 475. vbi verba exiliter animata prodire ait, cum vocis canorae ſonus in vltimo palati cauo leniter infringatur, quod proprie *ſupplantare verba* dixerit Perſius Sat. 1, 35. hoc eſt, Geſnero quidem interpretante, ſupprimere, et veluti ſtrangulata voce efferre, vt ſuauiora videantur.

Annominatio.

Huius figurae haec vis eſt, vt ad idem verbum, et ad idem nomen accedatur commutatione vnius literae aut literarum; aut ad res disſimiles ſimilia verba

accommodentur. Fit autem 1) attenuatione, aut complexione eiusdem literae 2) productione eiusdem literae 3) breuitate eiusdem literae 4) literis addendis, 5) demendis, 6) transferendis et 7) commutandis. Praeterea aliae ſunt annominationes, quae non habent tam propinquam in verbis ſimilitudinem, et tamen disſimiles non ſunt. Haec disputat Auct. ad Herenn. 4, 21 ſqq. qui Lib. 1, 6. eandem *literarum mutationem* dicere videtur. cf. Rutil. Lup. Lib. 1. p. 11. Ruhnk, Graece παρήχησις dicitur, aut παρονομασία, aut παρωνυμία Aquilae Rom. pag. 19. — Cicero de Orat. 3, 54. eandem formam ſignificat, cum *verbum paullatim immutatum et deflexum* in figuris elocutionis commemorat; in Orat. autem Cap. 39. *cum verba breuiter commutata ponuntur;* neque aliam vim habet illa, quam Cic. de Or. 2, 63. *paruam verbi immutationem* appellat. Quintil. 9, 3. 66. Iul. Rufin. p. 32. *adfictionem* etiam latine dici notat.

Anteoccupatio.

Figura eloc. commemorata Cic. Or. 3, 53. gr. προκατάληψις, vel πρόληψις ſimpliciter, quam Quint. 9, 2. *praeſumtionem* appellat. Iulius Rufin. de Schem. p. 36. *praeceptionem* vel *anteoccupationem* interpretatur Graecam προκατάληψιν, qua id, quod aduerſarius accepturus eſt aut obiecturus, praeſumimus, aut praedicimus.

Antonomaſia.

Seruato idiomate graeco, vt non raro fieri ſolet a Rhetoribus Latinis, tropus dicitur Quintiliano 8, 6, 29. quo aliquid pro nomine ponitur, ſiue ſit epitheton, vt in vocibus Tydides, Pelides, ſiue ex his, quae in quocunque ſunt *praecipua,* ſiue ex factis, quibus perſona ſignatur.

Apertus.

Aperta narratio Ciceroni de Inu. 1, 20. eſt, ſi, vt quidque primum geſtum erit, ita primum exponetur, et rerum et temporum ordo ſeruabitur, ſi ita narrentur, vt geſtae res erunt, aut vt potuiſſe geri videbuntur. cf. de Orat. 2, 80. Quintiliano autem 4. 2. 36, *aperta* et *dilucida* narratio iunctim dicitur, ſi fuerit primum

primum expoſita verbis propriis et ſignificantibus, et non ſordidis quidem, non tamen exquiſitis, et ab vſu remotis; tum diſtincta rebus, perſonis, temporibus, locis, cauſis, ipſa etiam pronunciatione in hoc accommodata, vt iudex, quae dicuntur, quam facillime accipiat. In eiusdem capitis locis aliis idem narrationis genus *lucidum* et *planum* appellatur.

Apodixis.

Quintilianus 5, 10. ex mente Graecorum apodixin ſpeciem *argumentorum* appellat inter ἐνθυμήματα et ἐπιχειρήματα, interpretaturque *euidentem probationem*. Alii Rhetores *imperfectum epicherema* dixere: alii ineſſe epicherematі apodixin putarunt, et eſſe partem eius confirmantem. Vtrumque autem alii eodem modo finiebant, vt eſſet ratio per ea, quae ſint certa, fidem dubiis adferens. Sed haec eſt natura et vis omnium argumentorum. Sine dubio Graeci ἀπόδειξιν, quoniam ab illis duobus generibus ſeparabant, et Quintilianus, quoniam *euidentem probationem* interpretabatur, ſignificare voluerunt argumentum eiusmodi, quod facto et certa re geſta, vel ſcripto etiam nitebatur, *ein Beweis auf eine unläugbare Thatſache, oder urkundliche Verſicherung gegründet.* Itaque ſaepe oratores Graeci ἀπόδειξιν opponunt λόγῳ, h. e. vulgari ſermoni, rumori, *Beweis aus Thatſache oder Urkunde im Gegenſatz einer blos mündlichen Behauptung.* vid. Lycurg. contr. Leocr. p. 181. et 203. ed. Hauptm.

Apparatus.

Notum eſt, quo ſenſu *coena apparata* Latinis dicatur. Hinc haud dubie metaphora ducta, *apparata oratio* dicta eſt Rhetoribus, vt ſtudioſius et exquiſitius facta praeparataque ſignificaretur. Sic Auct. ad Herenn. 1, 6. vbi mox *apparata verba* eodem ſenſu appellantur, exquiſita, cum artis cura et ſtudio elata. Neque alio ſenſu *apparationem* et *artificioſam diligentiam* iungit Cicero Inu. 1, 18. cf. quae ad voc. *accuratus*, et *ſollicitus*, et in Lex. gr. techn. ad voc. κατασκευὴ a nobis disputata ſunt. Huc et pertinent, quae *arceſſita* dicuntur in elocutione, quibus opponuntur *ſimplicia*, et a *veritate profecta* apud Quintil. Lib. 8. prooem. qui locus omnino claſſicus eſt de vitioſa cura

 et

et diligentia, quam nonnulli verbis impendere ſoleant: item *innata* Lib. 9, 3. 75. vbi et in proxime antecedentibus *captata* et *oblata* ſimili ſenſu ſibi inuicem opponuntur. Hinc *apparatus* ſubſt. Ciceroni ſimpliciter de ornatu eo dicitur, qui in elocutione adhibetur. vid. Brut. 76. coll. 78. et de Orat. 1, 53.

Appoſitus.

Appoſita argumenta ſunt, quae maiora ex minoribus, et minora ex maioribus, paria ex paribus probant, Quintil. 5, 10, 16. — Eidem Lib. 8, 2. 10. *appoſita* dicuntur, quae Graecis ἐπίθετα, veluti adiectiva ſubſtantiuis appoſita. Cap. 6, 40. τὸ ἐπίθετον, vel *appoſitum* tropis adnumerat ornantibus orationem, non quod per ſe tropus eſſe poſſit, ſed quatenus aliis adiunctis, tropus efficitur. Sic in formula, *triſtis ſenectus*, metonymia ineſt cauſae. Ibidem a nonnullis *ſequens* dici adnotat.

Approbatio.

Apud Auct. ad Herenn. 2, 6. *approbatio* dicitur certus modus coarguendi aduerſarii in cauſa coniecturali, quo orator, confirmata ſuſpicione, ad extremum vtitur. Eo pertinent loci tum proprii accuſatoris et defenſoris, tum communes, vt a teſtibus contra teſtes, a quaeſtionibus contra quaeſtiones, ab argumentis contra argumenta, a rumoribus contra rumores. Omnino autem *approbare* apud Rhetores eſt, argumentis aliquid confirmare, vt Inuent. 1, 34. cf. Clauis Cic. ad h. v.

Aptus.

In omni diſciplina rhetorica Latinorum videmur nobis tria potiſſimum huius verbi ſignificationum, quae quidem recte diſtingui poſſint, genera animaduertiſſe; quorum vnum ad ipſam ſcriptoris veluti perſonam, alterum ad res, tertium ad verborum et elocutionis habitum quendam pertineat. Ad primum genus refero, quod Thucydides a Cicerone Orat. 2, 13. dicitur ita verbis *aptus* et *preſſus*, vt neſcias, vtrum res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur. Nam virtus haec acutae foecundaeque breuitatis, quam Cicero ſignificat, nec rebus, nec verbis, ſed cuidam indoli, et characteri ſcriptoris

ſcriptoris adſignatur: *der Charakter des Thucydides, als Schriftſteller, iſt Gedankenreiche Kürze und Gedrängtheit.* — Alia ratio eſt, vbi a Cicerone *aptum* et *congruens* orationis genus iunctim commemoratur. Id enim hanc vim habet, vt rerum et perſonarum dignitates ſeruentur, vt de magnis elate, de paruis tenuiter dicatur; in quo eſt pars eius virtutis, quam Graeci τȣ̃ πρέποντος nomine inſignire ſolent. vid. Cic. Or. 3, 15. et vberior disputatio Cap. 55. vbi, quale ſit id quod aptum eſt in oratione, et quam late pateat, his verbis exponit: „id quidem perſpicuum eſt, inquit, non omni cauſae, nec auditori, neque perſonae, neque tempori congruere orationis vnum genus. Nam et cauſae capitis alium quendam verborum ſonum requirunt, alium rerum priuatarum atque paruarum: et aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud ſermones, aliud conſolatio, aliud obiurgatio, aliud disputatio, aliud hiſtoria deſiderat. Refert etiam, qui audiant, ſenatus, an populus, an iudices, frequentes, an pauci, an ſinguli: et quales ipſi quoque oratores, qua ſint aetate, honore, auctoritate, debet videri: tempus pacis an belli, feſtinationis an otii etc.“ De hoc genere Quintilianus ex inſtituto agit Lib. 11. cuius ſtatim in principio monet illud in eo cerni, vt ornatus orationis *rebus et perſonis accommodatus ſit. Nam ornatus omnis*, inquit, *non tam ſua, quam rei, cui adhibetur, conditione conſtat: nec plus refert, quid dicas, quam quo loco.* Neque alio ſenſu Cap. 3, 61. *aptam pronuntiationem* commemorat, h. e. eam, *quae iis quae dicimus accommodatur: quod quidem maxime praeſtant ipſi motus animorum, ſonatque vox, vt feritur. Itaque vox in laetis rebus plena, ſimplex, et ipſa quodammodo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus et veluti omnibus neruis intenditur: atrox in ira, et aſpera ac denſa et reſpiratione crebra* etc. Nam ſingulis animi motibus ipſa etiam vocis intentio, remiſſio, flexio accommodanda. Hinc non difficile erit, definire, quare *ineptias* abſolute Cicero dixerit in actione oratoria primum, de argutiis vocis et pronuntiationis, quibus dum aliquis nimium indulget, vitioſus et abſonus fieri ſolet: *Grimaſſen, widrige Ziererey.* Sic in Bruto Cap. 63. de Antiſtio: „Actio paulum cum vitio vocis, tum etiam *ineptiis* claudicabat.“ Et in luculento loco de

Offic. 1, 36. „Palaeſtrici motus ſaepe ſunt odioſiores, et hiſtrionum nonnulli *geſtus inepti* non vacant offenſione: et in vtroque genere, quae ſunt *recta* et *ſimplicia*, laudantur.“ In elocutione autem *ineptum* appellaſſe, qui ornatu et pigmentis, et concinnitate abutatur, rectumque et venuſtum orationis cultum veluti cincinnis quibusdam inflectat et criſpet, e Cap. 75. patet. vbi cum Caeſaris commentarios laudaſſet, *nudos, rectos, venuſtos, omni ornatu orationis tanquam veſte detracto*, ita pergit:“ ſed dum voluit alios habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, *ineptis* gratum forte fecit, qui volent illa calamiſtris inurere: *ſanos* quidem homines a ſcribendo deterruit.“ Capite etiam 91. *ineptiis moleſtias* iunxit, de quibus diximus ad voc. *argutus*. Et in Orat. 12. *ineptias* appellat nonnullorum Sophiſtarum, vt Gorgiae Leontini, et Theodori Byzantini, genus dicendi nimis pictum, argutum, et vsque ad poeticam concinnitatem numeroſum, vnde λογοδαίδαλοι a Socrate dicti fuerint. In vultu quoque, ne quid *ineptum* aut *vultuoſum* ſit, praecipit Cap. 18. vid. voc. *vultus*. et cf. Berger de nat. pulcr. or. p. 56. Recte etiam et proprie Fauorinus ille philoſophus apud Gellium N. A. 1, 10. *ineptum* appellabat adoleſcentem verborum veterum cupidiſſimum, et plerasque voces nimis priſcas et ignotiſſimas in quotidianis communibusque ſermonibus expromentem: „Tu, inquit, proinde quaſi cum matre Euandri nunc loquare, ſermone abhinc multis annis iam deſito vteris, quod ſcire atque intelligere neminem vis, quae dicas. Nonne, homo inepte, vt quod vis abunde conſequaris, taceres? etc.“ Nam, auctore Cicerone Or. 2, 4. qui aut, tempus quid poſtulet, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuscum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is *ineptus* dicitur. — Denique *aptum dicendi genus* cum *numeroſo* ita iungi ſolet, vt concinnitas illa notetur, quam abſolutus verborum ambitus deſiderat. Sic Cic. Or. 50. Quo ſenſu etiam *apte* verba cadere dicuntur, ſi numeroſa periodo comprehenſa efferuntur. Itaque *principia apta verbis* Ciceroni de Or. 2, 78. erunt, in quibus magna eſt elocutionis concinnitas, pulcritudo et accuratio. Nam ibi et *acuta* et *inſtructa* ſententiis

ſententiis iunguntur, quorum illa ad ingenium potius et prudentiam, haec ad vim dicendi et eloquentiam ipſam pertinent. cf. Orat. Cap. 68. vbi non niſi de numeroſa compoſitione orationis ſermo eſt; et Cap. 70.

Ardere.

Ardens verbum, audaciori, et poetae aptiori metaphora, at tamen in tali breuitate dicendi admodum dilucida, Cicero Or. 8. dixit, quod orator ſubinde, ipſe, affectu ardens, et veluti extra ſe raptus impetu τȢ πάθȢς, audacius, inuſitatius et portenti inſtar fingit et enuntiat, quod tranquilliori iudicio vſus, nec probaviſſet, nec dixiſſet. — *Ardens* autem orator eſt idem qui grauis, acer, amplus, animis inflammandis permovendisque comparatus Cic. Or. 28. Vnde et Cap. 29. ſe dicit in oratione pro Rabirio, propter ſummam dicendi vim et contentionem, quam illa cauſa poſtulabat, *in omni genere amplificationis exarſiſſe.* cf. Cap. 38. — Ipſi affectus Quintil. 11, 3. *inardeſcere* dicuntur, h. e. ad iuſtam vim et efficaciam augeri, ſi orator eos voce, vultu, geſtu recte proſequatur et adiuuet. cf. Cic. de Or. 2, 45. et 47. Vnde apud Quintil. l. c. §. 145. *ardere omnia* dicuntur, cum ad argumenta et locos ventum fuerit, ibidemque et *calor* et *contentio* vt ſynonyma iunguntur. — Actione oratoria, quomodo *accendantur* iudices (quos ipſos *ardentes* dicit Cic. Or. 8.) docet Quintil. 11, 3. 166. Itaque *ardentem motum* et *geſtum*, qui tamen non ſine venuſtate fuerit, in Caeſare laudat Sueton. 55. Neque alia metaphora eſt, qua *faces dicendi* Rhetoribus commemorari ſolent, ſi de vi oratoris ad animos incendendos, impellendosque apta ſermo eſt; vt ap. Cic. de Or. 2, 51. Quamobrem in Orat. 35. perorationis partes, quae in commouendis ſedandisue animis inſunt ita deſcribit vt vel *inflammantem*, vel *reſtinguentem* dicat. Locus claſſicus, et hisce metaphoris pleniſſimus eſt in Bruto Cap. 24. Nec disſimilis, certe commemoranda hoc loco metaphora videtur illa, qua *Declamatores Caldos* dixerunt, vt ait Seneca Suaſor. 3. (θερμοτέρȢς apud Nazianz. Orat. 20. quem locum laudauit Creſoll. Vac. Autumn. Lib. 2. Cap. 13. p. 396.) oratores tam vehementes in cauſis agendis, vt paene furioſi hominis vultum vocemque induerent. Talis C. Stalenus fuiſſe dicitur a Cic. in Bruto,

Bruto, *feruido quodam et petulanti et furioſo genere dicendi.* Eiusmodi oratores deſcripſit etiam Quintil. Lib. 2, 12.

Argumentatio.

Auctori ad Herenn. Lib. 2, 18. *argumentatio* dicitur, commemoratio rerum earum, quae cauſae noſtrae adiumento eſſe poſſunt. Ibi et abſolutiſſimam argumentationem ſtatuit, quae habeat 1) propoſitionem h. e. per quam oſtendimus ſummatim, quid ſit, quod probare velimus; 2) rationem h. e. cauſam, quae demonſtrat verum eſſe id, quod intendimus; 3) rationis confirmationem, 4) exornationem, qua vtimur rei honeſtandae et collupletandae cauſa; 5) complexionem, quae concludit breuiter, colligens partes argumentationis. Denique Rhetor adnotat, ſubinde etiam complexione et exornatione ſuperſedendum eſſe: itaque ampliſſimam argumentationem eſſe quinquepartitam: breviſſimam eſſe tripartitam; mediocrem, ſublata aut exornatione aut complexione, eſſe quadripartitam. Sequitur poſthaec vberior explicatio vitiorum, quibus illae argumentationis partes laborare poſſint. Ciceroni de Inu. 1, 29. *argumentatio* eſt inuentum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſarie demonſtrans. Ergo omnis argumentatio vel erit probabilis vel neceſſaria. *Neceſſarie* demonſtrantur ea, quae aliter ac dicuntur, nec fieri nec probari poſſunt: idque genus argumentandi tractatur 1) per *complexionem*, in qua, vtrum conceſſeris, reprehenditur. gr. διλήμματον. vid. Trapezunt. Rhet. Lib. 1. p. 28. 2) per *enumerationem*, in qua, pluribus rebus expoſitis, et ceteris infirmatis, vna reliqua neceſſario confirmatur; 3) per ſimplicem *concluſionem*, quae ex neceſſaria conſecutione conficitur. *Probabile* autem eſt id, quod fere fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad haec quandam ſimilitudinem. In his numeri et modi et partes argumentandi cernuntur. *Tractatur* autem vel *exornatur* argumentatio duobus modis, per *inductionem* et *ratiocinationem*. De his Cicero agit copioſius Cap. 31. cf. Trapez. Lib. 1. p. 28. vbi decem argumentationis modos ponit, ſcilicet praeter illos tres a Cicerone commemoratos, *ſubiectionem*, *expeditionem*, *oppoſitionem*, *violationem*, *inductio-*

ductionem, *collectionem*, *ratiocinationem*. — A Quintiliano *argumentum* ab *argumentatione* ita diſtinguitur, vt in argumento ſolummodo medius terminus appareat, in argumentatione autem omnes ſyllogiſmi partes ponantur. Illud qui facit, ex mente Quintiliani *argumentum ponit*, hoc autem qui facit, is *argumentatur*. Itaque Lib. 4, 2. 79. docet in narratione ſubinde *argumenta* quaedam adhiberi poſſe, *argumentationem* autem non poſſe. cf. §. 108. ſq. vbi haec ſunt: *argumentabimur in narratione nunquam*, *argumentum ponamus aliquando*. Hoc Cur. Fortunat. in Rhet. Schol. p. 64. ita diſtinguendi cauſa enuntiat: *argumenta* ſunt, quibus cauſa probatur, *argumentatio* vero eſt, qua argumenta ipſa verbis explicantur. Cicero tamen de Inuent. 1, 40. argumentationem ait vno nomine res duas ſignificare, ideo, quod et inuentum aliquam in rem probabile aut neceſſarium, argumentatio vocetur, et eius inventi artificioſa expolitio.

Argumentum.

Quomodo *argumentum* ab *argumentatione* Rhetores diſtinxerint, ad voc. *argumentatio* diximus. Cicero quidem in Topicis Cap. 2. *argumentum* definit, rationem quae rei dubiae fidem facit. vid. ad voc. *locus*. De ſedibus et locis horum argumentorum variis cf. Cic. Or. 2, 39. et Cur. Fortunat. Rhet. p. 63. Quintilianus autem in doctrina de probationibus Lib. 5, 10. *argumenta* ſpeciatim dicit, quae Graeci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant, pertinentque ad probationes artificiales, ἐντέχνους πίστεις. *Argumenti* igitur, hoc ſenſu dicti, quam et probationem artificialem appellant, hanc definitionem ponit: *argumentum* eſt ratio probationem praeſtans, qua colligitur aliud per aliud, et quae, quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat. — Anguſtiori ſenſu Auctori ad Herenn. 2, 5. *argumentum* dicitur modus quidam coarguendi aduerſarii in cauſa coniecturali. Ex definitione, quam pro more ſuo addit, non ſatis tamen accurata illa, intelligitur, in illo modo tractandi, ſingula, quae vel coarguuntur, vel in ſuſpicionem adducuntur, certiora et firmiora eſſe. Haec cauſa videtur, quare illum modum κατ᾽ ἐξοχὴν argumentum dixerit. In eo genere de temporibus, praeterito, inſtanti, et conſequenti, disqui-

disquiritur. — Ciceroni de Inuent. 1, 19. *argumentum* ſpeciatim dicitur pars aliqua narrationis, quae quidem remota a ciuilibus cauſis, delectationis gratia ab oratore inſtituitur, habetque *fictam rem, quae tamen fieri potuit.* cf. Quintil. 2, 4. et quae ad voc. *narratio* notata ſunt de eodem genere. Caeterum, commemorante Quintiliano l. c. *argumentum* apud Latinos etiam 1) de fabula ad actus ſcenicos compoſita; 2) de omni materia ad ſcribendum inſtructa dici ſolebat.

Argutus.

Huius vocis vſus apud Rhetores latinos cum in elocutione oratoria frequens reperiatur, tum vero in actione, quae voce, motu et vultu continetur, latius etiam patet. In vtroque genere, nimiam fere vel ornatus, vel curae, vel delectationis affectationem ſignificant, ſaepiusque in reprehenſionem quam in laudem dicentis commemorant. Itaque vt primum de elocutione diſſeramus, *argute* dicere eſt, cum exquiſito ornatu dicere, qui aliquid habeat admirationis, et animis delectandis tenendisque aptus ſit. Sic Cic. Brut. 11. conceſſum ait Rhetoribus ementiri in hiſtoriis, vt aliquid *dicere* poſſint *argutius.* Mox autem idem *rhetorice* et *tragice ornare* dicit. Paullo inuidioſius Cap. 70. C. Memmius, vt literis Graecis perfectus, et Latinarum faſtidioſus, *argutus* orator appellatur, verbisque dulcis, *ein Süſsling von Redner, ein Liebhaber der Ziererey und des Putzes.* His nempe hominibus, qui literas Graecas prae Latinis amplecterentur, fere idem accidebat, quod noſtratium nonnullis, qui vernacularum literarum faſtidioſi, Francogallicarum ſtudium vnice laudant, omnes vitae ſermonisque virtutes dulcedine quadam et argutiis metientes. Itaque etiam Cap. 95. Aſiaticae dictionis genus *ſententioſum* et *argutum* commemorat, ſententiis non tam grauibus et ſeueris, quam concinnis et venuſtis inſtructum. Hinc *arguti verborum ambitus* Ciceroni de Orat. 12. ſunt periodi ad circinum fere circumductae et curioſius elaboratae. Simili modo de artis Lyſippicae ſedulitate illa, qua capillos et alia minuta expreſſit, Plinius Hiſt. Nat. Lib. 34, 8. „propriae huius videntur eſſe *argutiae operum,* cuſtoditae in minimis quoque rebus. Et mox Euthycratem filium Lyſippi, conſtantiam patris dicit potius aemula-

aemulatum, quam *elegantiam*, et auſtero genere, quam *iucundo*, placere maluiſſe: *er machte ſich den ernſthaften und hohen Stil, mehr als den gefälligen und gekünſtelten, eigen.* Quamuis alio loco Lib. 35, 10. *argutias* vultus a Parrhaſio primum adhibitas, non niſi in laudem artificis dixiſſe videtur, qui ita os et vultum pinxerit, vt ſpirare et loqui figurae viderentur: *das Sprechende, Geiſt- und Ausdruksvolle in der Geſichtsbildung.*

In inſtitutionibus autem de actione oratoria, quam Graeci *ὑπόκρισιν* vocant, *manus arguta*, in geſtibus oratoris, dicitur, quae ſcenicorum more verba adiuuet, *digitis verba exprimens: wenn jede, auch die kleinſte Nüance des Ausdrucks von einer beſondern Bewegung der Hände oder der Finger begleitet und angedeutet wird.* Is motus in vitio eſt, quoniam affectatam curam et accurationem arguit. v. Cic. Or. 3, 59. Eodem ſenſu in Or. 18. *argutias digitorum*, et *articulum ad numerum cadentem* componit. Adſcribam Commentarium Creſollii ex Vacatt. Autumn. Lib. 2. p. 360. „*Argutiae digitorum* ſunt celeres quaedam et ſubtiles motiones digitorum, quales praeſtigiatorum eſſe conſueuerunt, qui fucum faciunt, oculosque illudunt. Hinc manus *argutae* furum dictae, quae celeriter emicant, et e conſpectu modo eripiuntur, modo emergunt, et in omnem partem cientur. Erudite Sidonius Apollin. Epiſt. 7. *Scrinia tua conniuentibus nobis ac ſubornantibus effractorum manus arguta populabitur.* Hoc leuium et imperitorum eſt vitium, et efferueſcentis nimio calore adoleſcentiae, imo et doctorum etiam hominum, qui propter viuidam ingenii vim et ſpirituum copiam, incredibili totius corporis agitatione dicunt, quorum manus nunquam fere deponuntur continuo pulſu incitatae, ſed in omnem partem euolant." Haec Creſollius. Pedibus adeo qui tripudiabant et audacius exſultabant, *argutari pedibus* dicti ſunt a Titinnio vetere poeta, cuius locum laudauit idem Creſollius l. c. p. 386. — Manus *argutas* et *geſtuoſas* Hortenſii, ob id maledictis iactati, commemorat Gellius N. A. 1, 5. Neque alio ſenſu Quintil. 11, 3. fin. *geſtus argutias* appellat, quae comoedum ab oratore diſtinguant. Cum autem illa cura, quae in iſtis argutiarum generibus cernitur, ſemper aliquid *moleſtiae* et *difficultatis* habeat, hinc factum, vt, quicquid a veritate naturae et ſimplicitate

citate in his rebus abhorreret, *moleſtum* et *difficile* dixerint: *Schwerfälligkeit und Steifheit.* Sic Cic. Brut. 30. ſtatariis oratoribus ſimplicem in agendo veritatem dicit eſſe, non autem *moleſtam*, h. e. affectatam, argutam, magna cura et veluti intentione aliqua expreſſam. Vnde et Cap. 38. ſine *moleſtia* diligens elegantia laudatur, et Cap. 91. Attici dicuntur nihil *moleſtiarum* habere. vid. voc. *aptus*. Quod autem Cicero l. c. Cap. 30. motum *celerem* et *difficilem* ita iunxit, vt vtrumque in laude poſuiſſe videatur, cum tamen vox *difficilis* plerumque in vitio eſſe ſoleat, ego quidem Ciceronem in eo verbo non tam laudis vel vitii, quam ſenſus rationem habuiſſe cenſeo. Nam ſtatariorum ſimplici in agendo veritati opponit aliorum, qui mobiliores et celeriores eſſent; motum, qui non ita facilis ſit et ſimplex, ſed ex arte et intentione quandam difficultatem habeat. Ex quibus omnibus intelligitur, non inepte feciſſe Morhofium, quod, cum rationem dicendi venuſtam, elegantem, acutam et vrbanam, quae translationibus et σχηματισμῷ maxime vtatur, explicare vellet, librum ſuum de *arguta dictione* inſcripſit. Nam in vniuerſum Veteres etiam ita ſtatuerunt, *argutum* eſſe, quicquid a recta et ſimplici forma recederet, atque in nouam cum ſubtilitate et acumine mutaretur.

Aridus.

Cicero de Or. 2, 38. genera ſermonis, exile, *aridum*, conciſum et minutum, ita componit, vt ſenſu nihil differre videantur. Sed in eo ſenſu eruendo, vt ſaepe alias, ita et nunc ad Graecorum rationem confugiendum nobis eſt, qui τὸ ξηρὸν dixerunt, vbi vel minutis breuibusque membris et particulis compoſita oratio eſſet, vel iuſto tenuioribus humilibusque verbis elata. vid. Lex. gr. techn. ad voc. ξηρὰ σύνθεσις. Iam vero apud Ciceronem l. c. ſermo eſt de Diogene Dialectico, qui in ſumma ſubtilitate rerum, omni orationis ſuauitate et concinnitate caruiſſet. Atque ita aliis quoque in locis illa genera orationis, quibus etiam *exſangue* et *ieiunum* accedit, opponi ſolent grauitati et vbertati oratoriae; quae copiam, plenitudinem et ambitum deſiderat. cf. quae ad voc. *ſiccus* notauimus. Sic Auct. ad Herenn. 4, 11. ad *aridum* et *exſangue* genus orationis venire ait, qui non poſſint in illa facetiſſima verbo-

verborum attenuatione verſari, idemque poſſe exile etiam nominari. Et Quintil. 2, 4. 3. *aridam* et *ieiunam* narrationem vocat, quae nil niſi res nudas, nulloque orationis ornamento inſtructas exponat. Cum quo loco componendus eſt alius ex Prooem. Libri 1, 24. vbi Rhetorum Artes, quae vocabantur, verae et validae eloquentiae inſtillandae impares deſcribit, ſimilibus fere metaphoris vſus, quae ariditatis illius vim luculenter explicant: *plerumque nudae illae Artes nimia ſubtilitatis affectatione frangunt atque concidunt, quicquid eſt in oratione generoſius, et omnem ſuccum ingenii ebibunt, et oſſa detegunt, quae vt eſſe et adſtringi neruis ſuis debent, ſic corpore operienda ſunt.* Quo ſenſu etiam videtur Libri 8. prooem. *aridos* quosdam oratores vocare, quibus, quamuis non ſtulti aut coeci in cauſis fuerint, tamen in eloquendo iudicium et modus defuiſſet. Vnde patet *ariditatem* hanc maxime in elocutionis apparatusque oratorii ſterilitate quadam cerni. Id manifeſtum quoque eſt ex loco Senecae Controu. Lib. I. praef. vbi Marillium Rhetorem, hominem *aridum,* pauciſſimeque belle dicentem, cui et *exilitatem* orationis tribuit, cum Latrone Porcio comparat, qui non in ſpinis controuerſiae perpetuo haeſerit, ſed et crebras ſententias argumentis interpoſuerit, quibus, tanquam ſuppellectili quadam, orationem diſtingueret atque ornaret. Eademque de cauſa Auctor Dial. de corr. Eloq. Cap. 19. Hermagorae libros *aridiſſimos* appellat. Nam eius diſciplina, vt Cicero in Bruto Cap. 76. et 78. notat, inops ad ornandum, nudis praeceptis ad inuentionem ſpectantibus continebatur. vid. ad voc. *ieiunus* adnotata. Neque, his ita cognitis, dubitabimus, apud Quintil. 2, 4. 8. *aridum magiſtrum*, dici ſterilis et mediocris ingenii hominem, qui non recte alere vires puerorum, et augere poſſit, ita vt hi non audeant ſeſe vltra quotidianum ſermonem attollere. Eum compararat cum ſolo ſicco et humoribus deſtituto, cui, ſi tenerae plantae inſerantur, humiles manent et infirmae: *ein ſteriler, Geiſt- und Geſchmakloſer Kopf, im Gegenſatze eines fruchtbaren geiſtreichen Genies.*

Ars.

Auctori Libb. ad Herenn. 1, 21. *ars*, qua orator quidem conſequitur ea, quibus excellere debeat, eſt

 praece-

praeceptio quae dat certam viam rationemque dicendi. cf. Cic. de Or. 1, 25. vbi cum *doctrina* iungitur, quatenus ab ea differunt, quae beneficio naturae habemus. Quintil. 2, 17. 41. „Siue, vt Cleanthes voluit, *ars eſt poteſtas via*, id eſt, *ordine efficiens*, eſſe certe viam atque ordinem in bene dicendo nemo dubitauerit: ſiue ille ab omnibus probatus finis obſeruatur, *artem conſtare ex praeceptionibus conſentientibus et coexercitatis ad finem vitae vtilem*, iam oſtendimus nihil non horum in rhetorice ineſſe.“ Auctore Cicerone de Or. 1, 20. Charmadas artem negabat eſſe vllam, niſi quae cognitis penitusque perſpectis et in vnum exitum ſpectantibus et nunquam fallentibus rebus contineretur. Sed Craſſus ibidem Cap. 23. negat, ſi ita ars definiatur, artem vllam eſſe oratoris. Ergo artem oratoriam in eo putat poni poſſe, vt, quae obſeruata ſint in vſu et ratione dicendi, haec ab hominibus callidis et peritis animaduerſa et notata, verbis deſignata, partibus distributa, tradantur. cf. Lib. 2, 35. et Cap. 86. qui locus hanc inprimis notabilem de arte ſententiam habet: *haec ars tota dicendi*, inquit Antonius, *ſiue artis imago quaedam eſt et ſimilitudo, hanc vim habet, non vt totum aliquid, cuius in ingeniis noſtris pars nulla ſit, pariat et procreet; ſed vt ea, quae ſunt orta iam in nobis et procreata, educet, et confirmet.* Pro ipſo ſyſtemate et doctrina rhetorica literis conſignata, *artem* dixit Cic. Inu. 1, 6. de Hermagora: „neque eo dico, quod eius *ars*, quam edidit, mihi mendoſiſſime ſcripta videatur.“ cf. Lex. gr. in voc. *τέχνη*. Et mox *antiquas artes* commemorat eodem ſenſu. cf. id. de Inu. 2, 2. ſqq. de Or. 1, 25. vbi *ſcriptores artis*, gr. *τεχνογράφοι*, nominantur. vid. Brut. 12. et Quintil. 2, 5. 14. Vnde idem Lib. 11, 3. 112. *artifices* ſimpliciter appellat, quos Graeci *τεχνίτας*, artis oratoriae magiſtros.

Articulus.

Auctor ad Herenn. 4, 19. exornationem illam vel figuram, *qua ſingula verba interuallis diſtinguuntur caeſa oratione, articulum* appellat, hoc exemplum ponens: *acrimonia, voce, vultu aduerſarios perterruiſti.* Simile iſti generi eſt, quod *membrum* idem Rhetor ibidem vocat, hoc tamen discrimine, quod membrum tardius

et

et rarius veniat, illud autem crebrius et celerius perveniat. Vtrumque vehementiae exprimendae ſeruire, eodem loco notat. — Quintilianus autem 9. 3. 98. illa genera, cum aliis, quae ab eodem auctore in figuris numerantur, vt *interpretationem, concluſionem, ſententiam* etc. omnino ſchemata eſſe negat. Hoc tamen commemorandum puto, *articuloſam* partitionem Quintiliano dici, nimium conciſam, et velut *in digitos deductam*, Lib. 4. Cap. vlt. vbi ea ratio partitionis ſcrupuloſae et ſubtilioris improbatur. *Nam et auctoritati*, inquit, *plurimum detrahunt minuta illa, nec iam membra, ſed fruſta: et huius gloriae cupidi, quo ſubtilius et copioſius diuiſiſſe videantur, et ſuperuacua aſſumunt, et, quae natura ſingularia ſunt, ſecant, nec tam plura faciunt, quam minora. Deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obſcuritatem, contra quam partitio inuenta eſt.*

Aſper. Aſperitas.

Cicero de Or. 2, 14. ſignificaturus, quomodo genus dicendi hiſtoricum ab oratorio differat, *aſperitatem iudicialem* dicit, genus dicendi vehemens, acre, quo impetum quendam ad auditorum mentes facit orator, vnde et illi ſimul aculeos tribuit, opponitque *lenitatem* hiſtorici generis: *die erſchütternde, ſchmerzende, beizende Wirkung des Redners.* v. voc. *aculeus*. Sic et Cap. 53. *aſperitas* contentionis oratoriae, quam et grauitatem dicit, temperatiori orationi opponitur, in qua ſit remiſſio quaedam et lenitas. v. Lex. gr. techn. in *τραχύτης* et *σφοδρότης*. cf. Quintil. 1, 8. 11. et 10, 5. 14. et 11, 3. 23. vbi *aſpere concitateque* dicere iungitur. Talis fere aſperitas, ni fallor, fuerit, quam Lib. 3, 7. Galbae oratori tribuit. Eodemque ſenſu Cicero ad Attic. 2, 1. *refractariolum* iudiciale dicendi genus appellat, ab eoque diſtinguit illud, quo quis ſe *σεμνότερον* et *πολιτικώτερον* oſtendat. Tum enim grauitatem elegantia quadam temperabit. — Compoſitio verborum *aſpera* Rhetoribus eſt diſturbata, ſalebroſa, inaequalis. Eam graphice et eleganter deſcribit Seneca Ep. 114. „Quidam, inquit, *praefractam* et *aſperam* compoſitionem probant: diſturbant de induſtria, ſi quid placidius effluxit: nolunt ſine ſalebra eſſe iuncturam; virilem putant et fortem, quae aurem inaequalitate

percutiat: „*der holpriche, rauhe Ausdruck.* Vnde et *aequaliter ingredi* oratio dicitur Ciceroni Orat. 58. ſi conſtantem aequalemque numerum habet, ita vt non mox lenis et fluens, mox hiulca et aſpera ſit. cf. Quintil. 9, 4. 142. et Cic. Or. 16. — In voce *aſperum* dicitur, ſi quis vaſte, late diducto ore, et ruſtice, ſonos effert. Contrarium eſt *lene*, de quo genere alibi diximus: *die rauhe, grobe, derbe Ausſprache.* v. Cic. de Or. 3, 57.

Aſſumtiuus.

Conſtitutio *aſſumtiua*, in diſciplina rhetorica de ſtatibus, vocatur, cum per ſe defenſio rei infirma eſt, ſed *aſſumta extraria re* comprobatur. Species eſt conſtitutionis iuridicialis, quae in *abſolutam* et *aſſumtiuam* diuidi ſolet. Ita A. ad Herenn. 1, 14. vid. voc. *iuridicialis* et Lex. gr. techn. in *ποιότης*. Quintil. 7, 4. Graecis eam defenſionem *προσληπτικὴν* dici tradit; vnde Latini haud dubie ſuum vocabulum expreſſerunt. Hermogeni dicebatur *ἀντιθετικὴ*, vt in Lex. gr. notavimus. Alterum genus eſt defenſionis, inquit l. c. Quintilianus, *in quo factum per ſe improbabile aſſumtis extrinſecus auxiliis tuemur.* Quaenam haec auxilia ſint, ad voc. *iuridicialis* expoſuimus.

Attenuatus.

Figura, ſ. genus elocutionis *attenuatum* A. ad Herenn. 4, 8. dicitur, quod demiſſum eſt vsque ad vſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem: Graecorum *ἰσχνὸς χαρακτήρ.* Ad idem genus pertinet etiam illa tenuitas, et ſubtilitas, quae magis docendo, quam animis mouendis concitandisque occupatur. Vnde Cicero Or. 30. iuuenili redundantiae, quae nimiam copiam, adfectuumque nimium ardorem attuliſſet, *attenuata* opponit, h. e. remiſſius, et ſubtilius, docendi non permouendi cauſa, adeoque moderatius dicta. *Nec vero,* inquit, *hic vnus erat ardor in nobis, vt hoc modo omnia diceremus. Ipſa enim illa pro Roſcio iuuenilis redundantia, multa habet* attenuata, *quaedam etiam paullo hilariora.* Quae ſequuntur, commentarii loco eſſe poſſunt: „*An ego Homero, Ennio, reliquis poetis, et maxime tragicis concederem, vt ne omnibus locis eadem contentione vterentur, crebroque mutarent, ſaepe etiam*

etiam ad quotidianum genus ſermonis accederent: ipſe nunquam ab illa acerrima contentione diſcederem? Ergo vbi orator a contentione dicendi diſcedit ad moderatius orationis genus, ibi incipit *attenuata* oratione vti. Propius autem ad propriam vocis ſignificationem accedit ratio illa dicendi, qua *attenuata* et quidem *nimia religione attenuata* oratio Ciceroni vocatur nimis accurata et polita et ad obſcuritatem vsque ſubtilis, eſtque eius oratoris, qui nimium inquirit in ſe, ipſe ſe obſeruat, metuitque ne vitium colligat: *wenn der Redner, aus Mißtrauen gegen ſeine Kunſt, aus Aengſtlichkeit vor Fehlern, und übertriebener Gewiſſenhaftigkeit, ſeinen Vortrag ſo fein bildet und ausſpinnt, daß ihn nur ein ſehr gebildeter Zuhörer, und bey der angeſtrengteſten Aufmerkſamkeit zu faſſen vermag.* Sic Cicero in Bruto Cap. 82. de Caluo Oratore, quem Auct. Dial. de corr. Eloq. 18. eodem ſenſu *attritum* appellat. vid. quae diximus ad vocc. *calumniari, cauillatio, deuorare.*

Auctoritas.

Si quis in verborum vſu ſequitur exemplum eorum, qui ſummam in dicendo famam conſecuti ſunt, ea *auctoritas* dicitur, maximeque, vt ait Quintil. 1, 6. ab oratoribus et hiſtoricis peti ſolet, quia poetas metri neceſſitas excuſat. Deinde et *auctoritas* in probanda cauſa adhiberi poteſt, quam *κρίσιν* Graeci dixerunt, nonnulli Latinorum *iudicium*, et *iudicationem*, de quibus vid. Quintil. 5, 11. 36. et quae ad voc. *iudicatum* a nobis notata ſunt.

Auerſus. Auerſio.

Quintilianus 4, 1. 63. quam formam dicendi Graeci *ἀποστροφὴν* dixere, *ſermonem a perſona iudicis auerſum* interpretatur. Docet ibi prooemium ſaepe hanc figuram admittere, quamuis vulgo artis ſcriptores vitioſum exiſtiment, ſi in exordio oratio a iudice ad aliam perſonam auertatur. Deinde laudat exempla Demoſthenis, et Ciceronis, qui idem ſubinde fecerit, vt pro Ligario ad Tuberonem, et haec addit: „ſi quis illam totam partem vehementiſſimam, cuius haec forma eſt: *habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum* etc. conuertat ad iudicem, tum *vere auerſa* videatur oratio et langueſcat vis omnis, dicentibus

nobis, *Habet igitur Tubero* etc. Nempe nunc Quintilianus ludit in voce, et *vere auerſam* dicit orationem, quia ſublata apoſtrophe a ratione et veritate et vtilitate cauſae auerſa ſit et alienata. Libro autem 9, 2. 38. „*auerſus* quoque a iudice *ſermo*, inquit, qui dicitur ἀποστροφὴ, mire mouet, ſiue aduerſarios inuadimus, ſiue ad inuocationem aliquam conuertimur, ſiue ad invidioſam implorationem. Sed illa quoque vocatur *auerſio*, quae a propoſita quaeſtione abducit audientem; quod ſit et multis et variis figuris, cum aut aliud expectaſſe nos, aut maius aliquid timuiſſe ſimulamus, aut plus videri poſſe ignorantibus, quale eſt prooemium pro Coelio." Etiam Aquila Rom. p. 15. *auerſionem* interpretatur. *Neceſſaria plerumque figura*, inquit, *vbi quae ad alios dicta volumus, ad alios dicere videmur. Sic plerumque conuertimus orationem ad reum ab iudice, cum illa tamen, quibus aduerſarium alloquimur, iudici alligentur.* Exemplo vtitur Cic. pro Roſcio Cap. 49. *Rogat oratque te, Chryſogone* etc.

B.

Barbariſmus.

Vitium ſermonis puritati ſ. latinitati contrarium, a ſoloeciſmo differt eo, quod hic in verbis pluribus, *barbariſmus* autem in ſingulis vitioſe elatis conſpicuus eſt. Sic A. ad Herenn. 4, 12. — Quintilianus Lib. 1, 5. tria genera barbariſmi commemorat, 1) „ſi quis orationi Latinae peregrinum nomen inferat. 2) quod fiat animi natura, vt is, a quo inſolenter quid aut minaciter aut crudeliter dictum ſit, barbare locutus exiſtimetur, 3) vt verbo, cui libebit, adiiciat aliquis literam ſyllabamue, vel detrahat, aut etiam pro alia, aut eandem alio, quam rectum eſt, loco ponat." In eodem loco Rhetor etiam ſcite notat vitia barbariſmi et ſoloeciſmi interim excuſari aut conſuetudine, aut auctoritate, aut vetuſtate, aut denique vicinitate virtutum: vnde ſaepe a figuris ea ſeparare difficile ſit. vid. quae diximus in Lex. gr. ad voc. σολοικισμὸς, et cf. Gell. N. A. 13, 6.

Beatus.

Beatus.

Quintilianus 11, 3. 40. inter varias ornatae pronuntiationis virtutes hanc quoque commemorat, vt *vox ſit beata.* Recte iam ad hunc locum Geſnerus virum doctum refutauit, qui eam vocem ſollicitaret, velletque *latam* reſcribi; deinde acutiſſime docuit, *beatum* ad laetam quandam vbertatem ſignificandam, excludendamque inopiam aut tenuitatem, etiam vbi de voce humana ſermo ſit, pertinere poſſe: vt adeo *beata* vox dicatur, vt *felix ingenium*, quae virtutes omnes habeat, ſufficiat vna omnibus contentionibus, remiſſionibus, eademque, prout opus, ſit acuta, et grauis etc. *eine vollendete Stimme, eine Stimme vom gröſsten Umfange;* Sic iam olim in libello ſatis eleganti et raro Iodocus Wilichius de Pronuntiat. Rhetor. p. 11. *beata vox eſt,* ait, *cum ſit plena et perfecta.* vid. quae notauimus ad voc. *contractus.* Seneca etiam Controu. Lib. 3. praef. vbi ſignificare vult Albutium vbere explicatione vſum eſſe, ſi in aliquem controuerſiae locum incidiſſet, locum *beate* impleuiſſe dicit. Et Quintil. 10, 1. 61. Pindaro *beatiſſimam* rerum verborumque *copiam* tribuit.

Bonus. Bonitas.

Verborum *bonitas* ineſt in eo delectu, qui verbis ſuauitatem, ſplendorem et elegantiam conciliat. Cicero Brut. 59. cum Curioni *verborum ſplendorem* tribuiſſet, mox Cap. 61. hanc laudem ita repetit: „orator proximus optimis numerabatur, propter *verborum bonitatem*, vt ante dixi.“ Hinc *bona verba* eodem ſenſu commemorat Cap. 66. cf. de Orat. 3, 37. Et *bene loqui* maxime idem eſt, quod *pure* et *latine* loqui, vt patet ex loco Brut. Cap. 72. vbi illae formulae manifeſte commutantur, ita tamen vt ſimul intelligatur *delectum verborum* inprimis ad illam loquendi elegantiam requiri. vid. voc. *ſonus.* Curius etiam Fortunat. Rhet. p. 70. Pith. *bona verba* eſſe dicit, ſplendida, antiqua, propria, translata: *mala* autem, vulgaria, aliena, gentilia, obſcura. — *Bonitas* vocis, quam Cicero in Or. 18. optandam eſſe dicit, quoniam non ſit in nobis, omnes eas virtutes complectitur, quas natura dare ſolet, cum perfectam vocem homini attribuit. cf. Quintil. 11, 3. 13. et quae ad voc. *liberalis* dicta ſunt. In

loco Enniano apud Cic. de Or. 2, 54. *bona dicta* ſunt, facetiae, ſales, acuti ioci, *les bons mots* Francogallorum.

Breuis. Breuitas.

Auctori ad Herenn. 4, 54. *breuitas* eſt, res ipſis tantummodo verbis neceſſariis expedita. Et mox, „habet paucis comprehenſa *breuitas*, inquit, multarum rerum expeditionem. Quare ſaepe adhibenda eſt, cum aut res non egent longae orationis, aut tempus non ſinit commorari.“ vid. quae dicta ſunt in Lex. gr. techn. ad voc. σύντομος et βραχυλόγος. Cicero autem de Or. 3, 53. inter figuras ſententiarum, *diſtincte conciſam breuitatem* nominat, Graecorum βραχυλογίαν. Ne autem putemus breuitatem, quam Rhetores ſubinde laudant et requirunt, pugnare cum copia illa, quae oratoris propria habetur, huc pertinet locus Ciceronis in Bruto Cap. 13. „*Breuitas*, inquit, laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in vniuerſa eloquentia laudem non habet.“ Itaque in ſumma vbertate et copia, tamen etiam breuitate laudabili vti poſſumus ac debemus. — Quintilianus 4, 2. 42. cum notaſſet Graecorum nonnullos *circumciſam* expoſitionem, σύντομον, quae ſuperuacuis careret, a *breui* diſtinguere, quae et aliquid ex neceſſariis deſiderare poſſet, *nos*, inquit, *breuitatem in hoc ponimus, non vt minus, ſed ne plus dicatur, quam oporteat.* Ibi et *Salluſtianam breuitatem* commemorat, *abruptumque* ſermonis genus appellat. Ammianus Marcell. 15, 1. *Tunc eſt laudanda breuitas*, inquit, *cum moras rumpens intempeſtiuas, nihil ſubtrahit cognitioni iuſtorum.* vid. Raderus ad Martial. Lib. 6, 77. 7. Similes metaphoras huc pertinentes dabit Plinius Ep. 1, 20. vbi toto capite hoc agit, vt amplum et copioſum genus dicendi cum breui et circumſcripto conferat. Sic *amputatam* et *abſciſſam* orationem, *latae, adſtrictius* dicentem, *effuſius* dicenti opponit. Et Seneca Controu. Lib. 2. praef. de Fabiani oratione: quaedam, ait, tam ſubito deſinunt, vt non *breuia* ſint, ſed *abrupta.* De *breuitate* ea, quam narrationi tribuere ſolent, egregie praecepta ſunt in loco fere claſſico Cic. de Or. 2, 80. Auctor autem ad Herenn. Lib. 1, 9. *breuiter narrare* quid ſit, hoc modo docet: „*rem breuiter narrare poterimus, ſi inde incipiemus narrare,*

vnde

vnde neceſſe erit, et ſi non ab vltimo initio repetere volemus, et ſi ſummatim, non particulatim narrabimus, et ſi non ad extremum, ſed vsque eo, quo opus erit, perſequemur: et ſi transitionibus nullis vtemur, et ſi non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere etc. *et omnino non modo id, quod obeſt, ſed etiam id, quod neque obeſt neque adiuuat, ſatius eſt praeterire.* Manifeſte haec expreſſa ſunt ex Cic. de Inuent. 1, 20. in quo loco maxime eminet vtilisque eſt haec obſeruatio: *Multos imitatio breuitatis decipit, vt, cum ſe breues putent eſſe, longiſſimi ſint: cum dent operam, vt res multas breuiter dicant, non vt omnino paucas res dicant, et non plures, quam neceſſe ſit.* — Magis proprie et ad phyſicam quandam rationem accommodate *breuia* opponuntur extenſis, vt *breuis* geſtus, et *breues* manus in actione et motu corporis oratorio appellantur, quae non euagantur, non excurrunt, ſed contractiores ſunt et moderatiores. Sic Quintil. 11, 3. 100. et 116. in paruis rebus, inquit, triſtibus, mitibus, *breues* manus, in magnis, laetis, atrocibus, extenſiores ſunt. cf. Cic. Orat. Cap. 18.

C.

Cadere.

Frequentior apud Rhetores Latinos huius metaphorae haec vis eſt, vt, quae *cadere* dicunt, eorum quendam finem, et terminationem, vel rationem in fine verbi aut orationis conſpicuam ſignificent, haud dubie conſuetudinem loquendi imitati Graecorum, quibus *τὸ πίπτειν* iisdem fere in rebus vſurpatum ſcimus, vt in *πτώσει, πολυπτώτῳ, ὁμοιοτοπτώτῳ*, et ſimilibus, quae vel ad Grammaticam vel Rhetoricam pertinent. Vnde non modo *caſum* expreſſere Latini Grammatici, ſed et Rhetoribus *ſimiliter cadens* dicta eſt figura orationis, qua in eadem conſtructione verborum, duo aut plura ſunt verba, quae ſimiliter iisdem caſibus efferuntur, gr. *ὁμοιόπτωτον*. vid. A. ad Herenn. 4, 20. et Cic. Or. 3, 54. vbi et commemorat ſimilem figuram, *qua verbum in multis caſibus ponitur, τὸ πολύπτωτον*. In Oratore Cap. 12. eandem figuram ſic variatis verbis eloquitur: *ſi pariter extrema terminantur, eundemque referunt in cadendo ſonum;* Cap. 25. *eodem*

pacto cadentia commemorat; quorum prius ὁμοιοτέλευτον, duo poſteriora autem ὁμοιόπτωτον ſignificat. vid. Quintil. 9, 3. 36. 77. ſqq. et Aquila Rom. p. 19. vel p. 169. ed. Ruhnk. — Porro *numeroſe cadere* dicitur oratio, ſi in extremis verbis numerus ſentitur, et verba in ſyllabas longas *cadunt*, ſi extremae eorum ſyllabae longae ſunt, vt in ſpondeo et iambo. Cicero in Or. 59. „Solet quaeri, inquit, totone in ambitu verborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus, atque extremis. Plerique enim cenſent *cadere* tantum numeroſe oportere, *terminarique* ſententiam.“ cf. Quintil. 9, 4. 27. 32. et alibi ſaepe. Itaque ad hunc locum illa etiam ſubtilitas pertinebit, qua vſus eſt Seneca Ep. 100. vt *cadendi* et *deſinendi* in oratione discrimen notaret. Ibi duo genera ſcriptorum commemorat, alios, qui eo vsque aſperam compoſitionem ament, vt etiam quae mollius caſus explicuerit, ex induſtria disſipent, et clauſulas abrumpant, ne ad exſpectatum reſpondeant: alios contra, quorum compoſitio pedem ſeruet, curata, lenta, et ſine infamia mollis ſit. Illam priorem Pollionis Aſinii, poſteriorem Ciceronis eſſe dicit: denique haec duo ita complectitur: „apud Ciceronem omnia *deſinunt*, h. e. apte et molliter et numeroſe clauduntur, apud Pollionem *cadunt*, h. e. aſpere, abrupte, abſone finiuntur: *Beym Cicero gleitet die Periode mit anſtändigem, gleichem Schritte zum Ziele, beym Pollio ſtolpert und ſtürzt ſie dahin.* — Non plane ſimilis illi metaphora videtur, qua ad vitioſam oratoris geſticulationem *articulus ad numerum cadens* refertur a Cicerone Or. Cap. 18. quod fit, cum orator ſingula momenta rerum et ordines ita auditoribus adnumerat, vt articulis digitorum *depreſſis et veluti intra palmam decidentibus* illum numerum notet: *an Fingern hererzählen.*

Calamiſtrum.

Notum eſt, inſtrumentum id fuiſſe ferreum, quo capillos criſpare ſolebant. Id quoniam ornatus atque elegantiae cauſa fiebat, a Rhetoribus etiam *calamiſtris inurere* orationem dicti ſunt, qui nimiis ornamentis eam inſtruerent, eiusque natiuam pulcritudinem corrumperent. v. Cic. Brut. 77. et Orat. 23. vbi de verecundo oratoris ſubtilis et tenuis ornatu: „remouebitur,

tur, inquit, omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum; ne *calamiſtri* quidem adhibebuntur." Explicationes Grammaticorum veterum de hoc vocabulo attulit Wezelius ad Cic. Brut. 75. p. 182. cf. Schulzius ad Dial. de corr. Eloq. p. 104. Berger de nat. pulcr. or. p. 56. et quae ad voc. *concinnus* diximus.

Callidus.

Hoc verbo Cicero inprimis, et primum ita quidem vtitur, vt ſignificet tale oratoris ingenium, quo ſe non vni potiſſimum arti accommodet, ſed ex omnibus, quantum oratoriae facultati ſatis ſit, perceperit, nulla in re tiro vel rudis, qui et ex multis artibus rebusque multa ſciat, et acute videre poſſit, quomodo iis conſequi, quae vult, optime queat: *ein Univerſal-Genie mehr durch Weltkenntniſs und Erfahrung, als durch das Studium philoſophiſcher Spitzfündigkeiten, und ſyſtematiſche Trockenheit gebildet.* Claſſicus fere locus, vnde illa verbi vis inprimis elucet, eſt de Orat. 1, 50. „Sit boni oratoris, ait, multa auribus accepiſſe, multa vidiſſe, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurriſſe, neque ea, vt ſua, poſſediſſe, ſed vt aliena libaſſe. Fateor enim, *callidum* quendam hunc et nulla in re tironem ac rudem, neque peregrinum atque hoſpitem in agendo eſſe debere." Et mox Cap. 51. „Orator, inquit, ita peragrat per animos hominum, ita ſenſus, mentesque pertractat, vt non deſideret philoſophorum deſcriptiones, neque exquirat oratione, ſummum illud bonum in animo ſit, an in corpore etc. ſed acuto homine nobis opus eſt, et natura vſuque *callido*, qui ſagaciter perueſtiget, quid ſui ciues, iique homines, quibus aliquid dicendo perſuadere velit, cogitent, ſentiant, opinentur, expectent etc. — Aliud nimirum eſt, vt Cap. 58. notat, eſſe artificem cuiusdam generis et artis, aliud, in communi vita et vulgari hominum conſuetudine nec hebetem nec rudem. — Deinde a Cicerone veluti κατ᾽ ἐξοχὴν *callidi* dicuntur, qui in genere dicendi ſubtili et acuto excellunt. Nam Orat. Cap. 6. cum tria dicendi genera, graue, ſubtile et medium, copioſius expoſuiſſet, Demoſthenem dicit vnum in ſingulis magnum fuiſſe. Hanc autem ſententiam mox ita enuntiat: hoc nec *grauior* extitit quisquam, nec *callidior*, nec *temperatior*. Atque

que antea etiam in eadem re *verſute* et *ſubtiliter dicere* iunxerat. Cf. Cap. 28. vbi ad genus ſubtile et acutum hoc refert, vt quis *callide* arguteque dicat. cf. de Or. 1, 20. fin. — Magis proprie dicuntur *callide dicere*, qui ita ſe oratione elaboranda et accuranda comparant, vt non ſolum doceant auditorem, ſed et delectare et tenere cupiant non ſine quodam blandiendi, inſidiandi vel ſeſe inſinuandi conſilio. Sic Quintil. 4, 1. 57. cum obſeruaſſet, a quibusdam iudicibus exigi orationes accuratas et diligentes, quibus non doceri tantum, ſed et delectari velint, haec addit:" eſt difficilis huius rei moderatio, quae tamen ita temperari poteſt, vt videamur *accurate*, non *callide* dicere.

Calumniari.

Quintilianus in prooem. Libri 8. *calumniari* dicit eos ſcriptores vel oratores, qui in cura verborum et omni eloquentiae ſtudio ita modum excedant, vt ſingulis paene ſyllabis anxie inhaereant, et commorentur: qui, etiam cum optima reperta ſint, quaerant aliquid, quod ſit magis antiquum, remotum, inopinatum. Iisdem anxietatem, moram, diffidentiam tribuerat, miſeroſque et pauperes declarauerat, qui nullum verbum aequo animo perdere poſſint. Libro 10, 1. 115. Calvum, ait, nimia contra ſe *calumnia* verum ſanguinem perdidiſſe. Scilicet Quintilianus ita rem breuius et vno *calumniae* vocabulo expreſſit. Cicero autem in Bruto 82. ita de Caluo: „nimium inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſeruans, metuensque ne vitium colligeret, etiam verum ſanguinem deperdebat." *Infelicem calumniandi ſe poenam* damnat etiam Quintil. Cap. 3. 10 et 43. et *infelicem* verborum *cauillationem* Cap. 7. 14. cf. Senec. Ep. 45. Idem vitium eſt eorum, quos Quintil. 10, 2. 17. *triſtes* et *ieiunos* ob eandem cauſam appellauit. Nam cum Pollionis *diligentiam* laudaſſet, quae in recta verborum cura et delectu cernitur, reprehendit nonnullos, qui, cum proxima virtutibus vitia comprehendant, *triſtes et ieiuni*, Pollionem aemulentur: *eigenſinnige Wortklauber*, *grammatiſche Grämlinge*. Cf. Cap. 3. 11. vbi hoc hominum genus pluribus deſcribitur. Et Libr. 12, 10. 77. eandem infelicem *ſollicitudinem* appellat, quae vsque ad vltimum perſequatur, et maceret et coquat, aegre verba vertentem, et

et perpendendis coagmentandisque eis intabeſcentem. cf. Lib. 9, 4. 35. vbi eidem *metum* et *humilitatem* quandam tribuit: *ängſtlicher Kleinigkeitsſinn.* Hoc omne diligentiae nimiae vitium, Graecis κακιζοτεχνία dictum, Callimacho etiam ſtatuario, quem Plinius H. N. 34, 8. p. 523. *ſemper calumniatorem ſui, nec finem habentem diligentiae* dicit, nomen κακιζοτέχνȣ peperit. Vnde et factum videtur, vt, cum lima ſtatuariorum propria ſit, etiam in oratione expolienda *limae* abuſum Rhetores reprehenderent. Itaque Quintil. 10, 4. 4. eandem illam emendandi nimiam curam notans: „ſit aliquando, inquit, quod placeat, aut certe quod ſufficiat, *vt opus poliat lima, non exterat.* Quem locum praeceptoris ſui haud dubie imitatus Plinius Lib. 5. epiſt. 11. cum ſe in edendo haeſitatorem profeſſus eſſet, „perfectum opus, ait, abſolutumque eſt; *nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur.*" Idem Lib. 9. ep. 35. ad Appium: „diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo. Eſt tamen aliquis modus, quod *nimia cura deterit magis, quam emendat.*" Neque aliud vitium Tiberii notat Sueton. Cap. 70. cum eum *affectatione* et *moroſitate nimia ſtilum obſcuraſſe* dicit. Et Seneca Controu. Lib. 1. praef. p. 65. Bipont. *Illi, qui ſcripta ſua torquent, qui de ſingulis verbis in conſilium veniunt, neceſſe eſt, quae totiens animo ſuo admouerint, nouiſſime adfigant.*

Candidus.

Si de ſcriptore, eiusque oratione ſermo eſt, Rhetores Latini *candidum* accepere pro aperto, dilucido, facili intellectu. Nempe in candore notio lucis ſubeſt, quae deinde perſpicuitati notandae ſeruit, vt obſcuritati tenebrae. Quare et Graeci in illis generibus τὸ λευκὸν et σκότος habent. vid. Lex. gr. techn. ad voc. λευκὸς, et φῶς. Eandem metaphoram nos ſequimur, cum dicimus, *ein lichtvoller, heller, klarer, oder dunkler Vortrag.* Sic Quintil. 2, 5. 19. „ego, inquit, optimos quidem, et ſtatim, et ſemper, ſed tamen eorum *candidiſſimum* quemque, et maxime expoſitum velim, vt Liuium a pueris magis, quam Salluſtium." Quo ſenſu et Lib. 10, 1. 73. *candidum* Herodotum appellat, cum in breuitate denſa Thucydidis, quem illi opponit, magis *obſcuritas* quaedam inſit. — *Candida*

vox

vox eſt, clara, pura, explanata, quam *canoram* Cicero dicit de Nat. Deor. 2, 58. Nam ibi itidem, vt Quintil. 11, 3. *fuſcae* opponit. Et Seneca Controu. Lib. 1. praef. cum dicere vellet, Porcium Latronem nimiis lucubrationibus vocis illum candorem et veluti puram claritatem perdidiſſe, ita ait: vox *ſordida* lucubrationibus, et negligentia, non natura, *infuſcata*. Simili metaphora τὸ λευκὸν Ariſtoteles in Topicis appellauit, vbi ipſe interpretatur εὐήκοον: *die helle*, *reine*, *vernemliche*, *metallvolle Stimme*. vid. quae pluribus notauimus in Lex. gr. techn. ad voc. λευκός; et inf. ad voc. *Lenis*.

Canorus.

Vox *canora* maxime in virtute ponitur, oratorisque perfecti propria dicitur a Rhetoribus, qui et *canorum* oratorem laudant, vbi de praeſtanti voce et actione ſermo eſt. Sic Cic. Or. 3, 7. in Carbone *profluens* quiddam et *canorum* laudat, quorum illud ad expeditam ſuauemque orationis copiam, hoc ad concinnitatis eam ſuauitatem pertinere videtur, quae cum pronuntiandi modulandique iucunda varietate coniuncta ſit. vid. Brut. 88. et 92. vbi, cum concurſus hominum forique ſtrepitus dicantur deſiderare *canorum* oratorem, patet magnam vocis claritatem intelligi, quae nullo ſtrepitu obruatur, ſed eum penetret, et ſua vi ſuperet. Sic Spartianus Peſcennium Nigrum ita *canorae* vocis fuiſſe dicit, vt in campo loquens per mille paſſus audiretur. Enimuero idem Cicero vocem canoram Offic. 1, 37. 7. ita commemorat, vt in vitio eſſe videatur. Ibi de Catulis: „ſine contentione vox nec languens, nec *canora*,“ vbi pro tinnula accepit Heuſingerus, recte quidem, ſi cantum quendam tremulum cogitauit et firma intentione carentem, vt eſt apud Quintil. 11, 3. 55. Non dubito illorum verborum Ciceronis eundem ſenſum eſſe, qui Caſſiodori Lib. de Anima, vbi deſcribens hominem virtute et ſapientia praeditum, *vox ipſa*, inquit, *mediocris*, *nec debilis vicino ſilentio*, *nec robuſta clamore dilatato*. Quamuis in loco Ciceronis illud etiam vocis vitium cogitari velim, quo illa propter modulationis affectationem ad mollem quendam cantum accedit. vid. quae ad voc. *Cantus* diximus. Ceterum in *canoro* veteres non ſolum praeſtantiam et ſplendidam claritatem, ſed et ſuauitatem et elegantiam

auribus

auribus iucundam cogitaſſe, patere videtur ex Horat. Art. Poet. 321. vbi *nugae canorae* dicuntur verſus, non rebus ac ſententiis, ſed ſolis elocutionis ornamentis, numero, concinnitate etc. excellentes: *ſchöne Worte ohne Verſtand.* cf. Creſoll. Vacatt. Aut. Lib. 3. p. 484.

Cantilena.

Vulgaria Rhetorum praecepta Cicero de Or. 1, 23. *cantilenam e ſcholis* dicit. Huc pertinet locus Libri 2, 18. vbi Catulus, „non mihi opus eſt, inquit, Graeco aliquo doctore, qui mihi *peruulgata praecepta decantet.*“ Alia ex metaphora Gellius 5, 21. grammaticae diſciplinae *inauditiunculas*, h. e. vulgares regulas, quae audiendo percipiuntur, commemorat. De alio *cantilenae* ſenſu vid. ad voc. *cantus.*

Cantus.

Modulatio illa, qua in omni oratione vox dicentis varie immutatur, et modo acutos, modo graues, modo temperatos ex vtroque genere ſonos emittit, *cantus obſcurior* a Cicerone Orat. 18. dicitur, cum quo loco conferendus eſt Quintil. 11, 3. 60. et Creſoll. Vac. Aut. Lib. 3. p. 490. Itaque ad eandem rem notandam Cicero has fere verborum formulas adhibet: *modulari orationem, variare, mutare, omnes ſonorum, tum intentendo, tum remittendo, gradus perſequi.* Scilicet haec omnia modulationem illam et cantum orationis efficiunt. Deinde vero, cum *cantare* proprium eſſet hiſtrionum, (vnde *cantorem* pro hiſtrione Horatius dixit Art. Poet. 155.) omnis autem modulatio ſcenica in oratore vitioſa haberi ſoleret, Quintiliano 11, 1. 56. *cantare* etiam ſimpliciter dicuntur, qui in illo modulato flexu pronuntiandi modum excedant: et Cap. 3, 57. vitium *cantandi*, et modulatio ſcenica, ſynonymice commemorantur. cf. Plin. Ep. 2, 14. 13. et Creſoll. Vacatt. aut. 3, 7. p. 484 ſq. De hoc cantandi vitioſo genere, quo declamatores laborarent, inprimis agit Auct. Dial. de corr. Eloq. Cap. 29. quem locum docte expoſuit Cel. Schulzius. Haec ſunt *frequentamenta* varia, quae Gellius N. A. 1, 11. ſuo verbo appellat, h. e. vocis variae flexiones et modulationes. Haec eſt *cantilena rhetorica*, quam idem Gellius vocat Lib. 10, 19. h. e. ſententia *lepidis et venuſtis vocum modis vincta.*

vincta. cf. Senec. Suaſor. 2. vbi de Fuſco Rhetore, *has,* inquit, *explicationes Fuſci, alius alia inclinatione vocis, velut ſua quisque modulatione cantabat.*

Caput.

Apud Quintil. 3, 11. fin. haec ſunt: „Theodori ſchola omnia refert ad *capita.* His plura intelliguntur: vno modo ſumma quaeſtio, item vt ſtatus; altero ceterae, quae ad ſummam referuntur; tertio propoſitio cum affirmatione. In vniuerſum autem, quicquid probandum eſt, erit *caput.*" cf. Auct. Herenn. 2, 2. vbi *rationem* videtur dicere, quod Hermogenes *κεφάλαιον.* vid. Lex. gr. techn. in voc. *κεφάλαιον.* Non alienum videtur paulo accuratius inquirere in locum Ciceronis ad Quint. Fr. Lib. 2. epiſt. 13. variis interpretum nonnullorum ſententiis agitatum. Ibi de Philiſto hiſtorico: „*Siculus ille*, inquit, *capitalis, creber, acutus, breuis, paene puſillus Thucydides.*" Quaeri poteſt, quo ſenſu Philiſtus ille *capitalis* dictus fuerit. Manutius quidem, capitalem nunc eſſe, grauem, *capita tantum rerum attingentem*, cenſebat. Muretus autem Var. Lect. 2, 5. quem et Geſnerus in Theſ. et Erneſtius in Clau. Cic. ſecutus eſt, negat illum ſenſum eſſe poſſe, 1) quod, ſi Philiſtus capita modo rerum attigerit, plane Thucydidi ſimilis non fuerit: 2) quod nomen *capitalis* eam vim habere apud Latinos non exiſtimet. Itaque *capitalem* nunc pro *ingenioſo* dici contendit, auctore vſus Ouidio, cuius in Faſt. Lib. 2, 839. haec ſunt: *capitale vocamus Ingenium ſollers;* quibus addit a Pollione etiam *capitalem iocum* pro acuto et ingenioſo dictum. Ego quidem, ſi quid in illo Ciceronis loco explicandum et definiendum eſt, fateor me ad Manutium potius quam ad Muretum accedere. Primum quaero, quid ſibi hoc loco vniuerſalis illa ingenii laus velit, inter res tam definitas et proprias, qualis eſt breuitas vel acumen, quod et ipſum carere ingenio non facile poteſt. Et cur ingenioſum dicebat, quem mox *puſillum* Thucydidem appellabat, in quo nomine imitationis quidem qualiscunque ſignificatio, at profecto non ingenii laus eſſe poteſt? Et cur Cicero, cum ſexcentis in locis ingenii vim verbis notis et ſatis ſignificantibus exprimere conſueuiſſet, nunc tam ambiguo minusque trito vocabulo vtebatur? Neque eadem ratio eſt, *ingenium capitale.*

vel

vel *iocum capitalem*, an aliquem hominem ſimpliciter *capitalem* dicam. Nam vox *capitalis* per ſe magnitudinis et ἐξοχῆς cuiusdam notionem habet: ergo ſi ea vox ingenio vel ioco adponitur, non poteſt aliud niſi magnum ingenium vel admirabilis iocus intelligi. At exinde non ſequitur capitalem ſcriptorem continuo et ſolum ingenioſum eſſe, praeſertim in eo loco, vbi de genere dicendi et charactere orationis proprio ſermo eſt. Iam Graeci et Latini, qui de Thucydide ſententias dixerunt, in eo omnes conſentiunt, vt breuem, denſum, aptum et preſſum acutumque ſententiis dicant, idque genus dicendi fere proprium Thucydidi iudicent. vid. quae ad voc. *Preſſus* notauimus; et Dionyſ. Halic. Iud. Thuc. Cap. 24. p. 869. ἐκδηλότατα δ' αὐτȣ̃. inquit, καὶ χαρακτηρικώτατα ἐστι, τό τε πειρᾶσθαι δι' ἐλαχίστων ὀνομάτων πλεῖστα σημαίνειν πράγματα, καὶ πολλὰ συντιθέναι νοήματα εἰς ἓν. καὶ ἔτι προσδεχόμνεόν τι τὸν ἀκροατὴν ἀκȣ́σεσθαι, καταλιπεῖν· ὑφ' ὧν ἀσαφὲς γίνεται τὸ βραχὺ. κ. τ. λ. Philiſtus autem erat Thucydidis imitator, ſed ita vt ſolam breuitatem ſententiarumque abrupta acumina, quibus ille praeter alios excellere credebatur, exprimeret, relictis aliis dicendi tractandaeque hiſtoriae virtutibus, quas ſi Philiſtus adſecutus fuiſſet, non *puſillus*, ſed plane *alter* et *germanus* Thucydides appellandus fuiſſet. Sic Cicero in Orat. 9. de Thucydide: *Huius nemo neque verborum neque ſententiarum grauitatem imitatur: ſed cum mutila quaedam et hiantia locuti ſunt, germanos ſe putant eſſe Thucydidas.* Itaque ex his cogi arbitror, etiam in verbo *capitalis* aliquam qualemcunque breuitatis, vel denſi crebrique generis dicendi partem a Cicerone ſignificari. Iam quemadmodum Graeci Rhetores τὰ κεφάλαια, argumenta ſeu capita rerum nude et ſine exornatione verborum et copioſa tractatione expoſita dixerunt, et τὰ κεφαλαιώδη, veluti *capitalia*, hoc eſt, ſummatim et breuius contractiusque vel diſperſius elata, quo ſenſu Dionyſ. Halic. in Iud. Thuc. Cap. 1. p. 811. σύντομον καὶ κεφαλαιώδη γραφὴν coniunctim dixit: ita Latinos quoque *capita* breuitatis cuiusdam, quae in rebus et ſententiis et argumentis tractandis ineſſet, cauſa adhibuiſſe, ex vno loco Ciceronis in Bruto Cap. 44. intelligi poterit, vbi de L. Craſſi oratione aliqua haec disputat: „Eſt etiam L. Craſſi in conſulatu, pro Q. Cae-

pione, defenſione iuncta, non breuis, vt laudatio, vt oratio autem, breuis, poſtrema Cenſoris oratio, qua anno duodequinquageſimo vſus eſt. In his omnibus ineſt quidam ſine vllo fuco veritatis color; quin etiam comprehenſio et ambitus ille verborum erat apud illum contractus et breuis, et in membra quaedam, quae *κῶλα* Graeci vocant, diſpertiebat orationem libentius." — Et mox paucis verſibus interiectis: „Illa ipſa cenſoria contra Cn. Domitium collegam non eſt oratio, *ſed quaſi capita rerum*, et *orationis Commentarium paullo plenius.*" Itaque cum Cicero Philiſtum omne imitandi Thucydidis ſtudium in breui, denſo acutoque genere dicendi declaraſſe ſignificare vellet: cum porro eundem *puſillum* Thucydidem appellaret, inuidioſo hoc et paene lepido nomine vſus, vt illius imitationis imbecillam affectationem notaret; iam intelligo, quibus rebus et ſenſibus inductus Cicero Philiſtum *capitalem* dixerit, quem imitandi Thucydidis ambitio quaedam impellebat, vt omnia breuius et ſummatius et denſius, quam par erat, diceret et tractaret, hoc modo ſe ad vim dicendi et characterem Thucydideum proxime acceſſurum ratus. Habet omnino illa Ciceronis ad Q. Fratrem epiſtola familiarem quandam hilaritatem et leporem, ex quo etiam nonnihil ad criſin Calliſthenis et Philiſti redundauit. Manifeſte Cicero, cum ad Fratrem ſcriberet Graecarum rerum amantem, in Graecis coloribus elocutioni allinendis luſit: „*Ad Calliſthenem et ad Philiſtum redeo*, inquit, *in quibus te video volutatum. Calliſthenes quidem vulgare et notum negotium, quemadmodum Graeci aliquot locuti ſunt, Siculus ille, capitalis, creber, acutus, breuis, paene puſillus Thucydides: ſed vtros eius habueris libros (duo enim ſunt corpora) an vtrosque, neſcio. Me magis de Dionyſio delectat: ipſe enim eſt veterator magnus, et perfamiliaris Philiſto.*" Nonne haec ſunt hilarius et iocoſius dicta? Nonne in tali ioco natura comparatum eſt, vt ſi non reperiamus verba, quae iſtam hilaritatem noſtram adiuvent, nonnulla nouemus, vel aliunde transferamus? Itaque cum illud *vulgare et notum negotium* ex Graeca conſuetudine loquendi non ſine lepore quodam translatum adhibuiſſet, (*εὐκαταφρόνητον πρᾶγμα καὶ οὐ πολλοῦ ἄξιον* ipſe Muretus ex Luciano contulit) quidni credamus *capitalem* etiam dixiſſe, quem Graeci Rhetores

κεφαλαιώδη

κεφαλαιώδη vel *κεφαλαιωδῶς λέγοντα* dicturi fuiſſent. — Quod autem Muretus illum, quem oſtendimus, ſenſum eſſe poſſe negat, propterea quod, ſi Philiſtus capita modo rerum attigerit, plane Thucydidi ſimilis non fuerit, his duobus modis occurri poteſt. Primum Philiſtus *paene puſillus* Thucydides appellatur, in quo cognomine profecto non abſolutae ſimilitudinis, ſed mediocris et minutae imitationis declaratio continetur. Deinde ſi vel maxime ipſe Thucydides dici non poſſit capita tantum rerum attigiſſe, tamen Philiſtus eius imitator cogitari poteſt ita ſe imitando comparaſſe, vt, quam breuitatem elocutionis affectaret, eandem etiam vsque ad rerum argumentique tractationem extenderet. Sed ne Thucydides quidem videtur prorſus abſtinuiſſe ab illo genere breuitatis, quo aliquis ſcriptor capita potius rerum attingit, quam res vberius et explanatius exponit. Huius quidem conſuetudinis veſtigia ſatis expreſſa Dionyſius Halic. in Thucydide monſtrauit. Ita Cap. 8. eum reprehendit, quod narrationem neque locis neque temporibus ſatis diſtinxerit, ſed omnem hiſtoriam in aeſtates et hiemes partitus ſit; hinc enim ortam eſſe rerum coniunctarum ſeparationem et diuulſionem perſpicuitati contrariam. Pauca, quae huc inprimis pertinent, adſcribamus: Ἐφ᾽ ᾧ θαυμάζειν ἄξιον, inquit, *πῶς αὐτὸν ἔλαθεν, ὅτι πολλῶν ἅμα πραγμάτων κατὰ πολλοὺς τόπους γινομένων, εἰς μικρὰς κεκερματιζομένη τομὰς ἡ διήγησις. οὐκ ἀπολήψεται τὸ τηλαυγὲς φῶς ἐκεῖνο καὶ καθαρὸν, ὡς ἐξ αὐτῶν γίνεται τῶν πραγμάτων φανερόν.* Et non multo poſt: *τί δεῖ πλείω λέγειν; ὅλη γὰρ ἡ βίβλος οὕτω συγκέκοπται, καὶ τὸ διηνεκὲς τῆς ἀπαγγελίας ἀπολώλεκε. πλανώμεθα δὴ, καθάπερ εἰκὸς, καὶ δυσκόλως τοῖς δηλουμένοις παρακολουθοῦμεν, ταραττομένης ἐν τῷ διασπᾶσθαι τὰ πράγματα τῆς διανοίας, καὶ τὰς ἡμιτελεῖς τῶν ἀκουσθέντων μνήμας οὐ ῥᾳδίως, οὐδ᾽ ἀκριβῶς ἀναφερούσης. δεῖ δὲ τὴν ἱστορικὴν πραγματείαν εἰρομένην καὶ ἀπερίσπαστον εἶναι.* Haec, vt alia ſimilia praetermittamus, ipſum Thucydidem quodammodo *capitalem* fuiſſe, ſatis euincunt.

Carpere.

Carpere membris orationem eſt, membratim caeſimque ſcribere, cui generi periodica dictio oppoſita eſt, quam conuerſionem, et comprehenſionem verborum,

rum, et perpetuitatem quandam dicit Cic. Or. 3, 49. In eadem re *verba vellere* dixit Seneca Ep. 40. vbi id continuae orationis volubilitati et curſui opponitur.

Cauillatio.

Genus illud facetiarum, quod in omni ſermone aequabiliter fuſum ſit, a quo differt *dicacitas*, quae in breuitate peracuta cernitur. Sic Cic. Or. 2, 54. Ibidem mox vtrumque genus variatis verbis ita quoque explicatur. vt illud, quod *cauillationem* dixerat, in perpetuitate ſermonis, haec autem dicacitas in celeritate et dicto inſit; porro vt illa *perpetua feſtiuitas*, quam appellat, imitatores et narratores facetos faciat, hoc autem facete dictum emiſſum ante haerere debeat, quam cogitari potuiſſe videatur. Nempe *dictum* veteri loquendi conſuetudine proprie pro facete et ſalſe dicto vſurpatum eſſe, locus Ennii a Cicerone laudatus declarat. Vnde in Bruto 47. *cum aculeo et male dicto facetum* aliquem dicit. cf. Orat. 26. Quintil. 6, 3. 16. et 36. et quae notauimus in Lex. gr. ad voc. χάρις. — De alia vocabuli ſignificatione ad moleſtam et putidam orationis accurationem pertinente vid. quae ad voc. *calumniari* dicta ſunt.

Cauſa.

Duplex huius vocabuli vis eſt, quae quidem ad hanc, quam tractamus, technologiam rhetoricam pertineat. Nam primum *cauſa* dicitur materia dicendi, ſeu argumentum quoad dicendo explicari atque tractari debet, praeſertim in rebus ciuilibus, quae vel coram iudicibus vel in concione diſceptantur. Vnde dicta ſunt *genera cauſarum* tria, deliberatiuum, iudiciale, demonſtratiuum. v. Auct. ad Herenn. 1, 2. vel alia ex ratione, quatuor, honeſtum, turpe, dubium, humile ibid. Cap. 3. Talis cauſa, prout ab oratore tractatur in iudicio vel concione, ex diſciplina Ciceronis de Inuent. 1, 12. eſt vel *ſimplex*, quae abſolutam in ſe continet vnam quaeſtionem, vel *coniuncta*, ex pluribus quaeſtionibus ſ. ſtatibus, aut *ex* aliqua *comparatione* in qua per contentionem vtrum potius, aut quid potiſſimum ſit, quaeritur. cf. Quintil. 3, 10. vbi et *comparatiuum* genus cauſarum commemorat, cum quaeritur v. c. vter haereditate dignior ſit; quo et pertinent *diuinationes*, de

de accuſatore conſtituendo, qualis eſt Ciceronis ante Verrinas. Et Sulpic. Vict. Inſt. Rhet. p. 244. vbi, quod Cicero *ex contentione* dixit, *concertatiuam cauſam* appellat, ſi aut leges aut rogationes ad populum aut ſententiae ſenatus inter ſe diuerſae ſint, et certent. Hinc dicitur *cauſam diſcere* orator vel patronus cauſae, cum ab altero docetur et inſtruitur de controuerſiae ſtatu et omni argumento, quod tractare oratione debet. v. Cic. Inu. 2, 14. et de Or. 2, 24. —

Deinde vero etiam Ciceroni de Inu. 1, 6. *cauſa* appellatur, quam Hermagoras, de quo ibi ſermo eſt, ὑπόθεσιν dixerat, h. e. quae habeat in ſe controuerſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione. vid. quae dicta ſunt in Lex. gr. techn. ad voc. θέσις et Cic. Or. 1, 31. et 2, 10. vbi *quaeſtio certa* dicitur, et Cap. 19. vbi Graecorum diſciplina ab Antonio vituperatur, quod *cauſam* appellent, rem poſitam in disceptatione et controuerſia, eamque a *quaeſtione* diſtinguant, quae in infinita dubitatione poſita ſit. Hinc et *cauſae* ſimpliciter dici ſolent de controuerſiis iudicialibus, quatenus his opponi debeant orationes ſuaſoriae vel conſilia. Ita Quintil. 3, 8. 67. et ſeqq. cf. Cic. Top. 21. et de Orat. 2, 13. vbi Theopompum *cauſas omnino nunquam attigiſſe* narrat. Dionyſius enim Halic. Ep. ad Pomp. auctor eſt Theopompum multas demonſtratiui et ſuaſorii generis orationes ſcripſiſſe.

Celer. Celeritas.

Apud Ciceronem oratio *celeris* et concitata in vigore quodam pronuntiationis cernitur, qui e celeribus ingenii motibus oriri ſolet, vt tarditas proloquendi maxime tardum ingenium prodit. Ita de Or. 2, 21. — Similis *celeritas* eſt, quae in dicacitate et acutis iocis adhiberi ſolet, quoniam tales ioci breuitate ſua maxime pungunt; γοργότης et τάχος Graecorum, quibus perpetuitas et continuatio ſermonis contraria eſt. v. Cic. Or. 2, 54. et Cap. 55. vbi exemplum talis celeritatis ponitur. Cap. autem 83. „nullo in loco, inquit, (ſermo ſcil. eſt de concione populi) plus facetiae proſunt, et *celeritas*, et breue aliquod dictum. cf. quae in Lex. gr. techn. ad voc. τάχος et infr. ad voc. *curſus* adnotata ſunt. Vitioſam celeritatem, quae *praecipitem, rapidam,* et *caecatam* orationem efficiat, tractat Cic. in Bruto

Cap. 76. — Quintilianus, qui in notionum ſubtiliorum tranſlate exprimendarum artificio inprimis excellit, *celerem* et *rotundam* distributionem appellat Lib. 3, 4. 16. quae breuitatis et compendii cauſa res omnes non exhaurit, ſed praecipuas tantum nominat, adeoque non ex ſummae veritatis legibus iudicanda eſt, plane vt *numerum rotundum* in vita communi dicere ſolemus non veritatis ſed breuitatis gratia. „Qui laudatiuam materiam honeſtorum, inquit, deliberatiuam vtilium, iudicialem iuſtorum quaeſtione contineri putant, *celeri* magis et *rotunda distributione* vtuntur.“ Simili modo in narratione *celeriter* dicuntur, quae breuiſſimis verbis, *ἀσυνδέτως*, et membratim abſoluuntur, omiſſis omnibus quae ad cauſam non proprie pertineant. v. Quintil. 4, 2. 41. vbi notat a Graecis hanc expoſitionem dici *σύντομον* h. e. *circumciſam*, quae ſuperuacuis careat Hinc et Lib. 10, 1. 103. quam alibi *breuitatem* Salluſtio tribuerat, *velocitatem* appellat huic ſcriptori inprimis propriam. — Denique cum orationi metro conſtrictae *pedes* tribuerent Veteres, non mirum eſt, *celerem* et *mobilem* orationem dictam eſſe, quae breuibus, ſtabilem contra et grauem, quae longis ſyllabis maxime abundaret. Sic Quintil. 9, 4. 83. de tribrache et moloſſo: „horum pedum, inquit, nullus non in orationem venit, ſed quo quique ſunt temporibus pleniores, longisque ſyllabis magis ſtabiles, hoc grauiorem faciunt orationem, breues *celerem* et *mobilem*.“ cf. Macrob. Saturn. 5, 13. vbi illa *celeritas* orationis ex Homero et Virgilio demonſtratur.

Ceruix.

In actionis oratoriae parte illa, quae motu corporis continetur, cum et ceruicis mouendae dignitas quaedam requireretur, orta ſunt praecepta rhetorica, quae huius motus vel vitia notarent, vel virtutes commendarent. Iam in vtroque genere metaphoris quibusdam vſi ſunt Rhetores, quae ad technologiam rhetoricam recte referri videntur. Itaque Ciceroni Or. 18. *mollitia ceruicum* dicitur vitioſa quaedam ceruicis iactatio, quae affectationis et mollitiei ſpeciem habeat. Nam decor et grauitas oratoris poſtulat, vt non in vnam corporis partem motum conferat, ſed, vt Cicero praecipit, *trunco magis toto ſe ipſe moderetur.* Et Quin-

Quintilian. 1, 11. 9. „obſeruandum erit, vt recta ſit facies dicentis, ne ſupinus vultus, ne deiecti in terram oculi, ne *inclinata vtrolibet ceruix;* id quod etiam Dio Pruſ. Or. de Regno 4. ἀποκλίνειν τὸν τράχηλον dixit. Libro autem 4, 2. 39. reprehendit declamatores, qui in narratione, quae leniorem et moderatiorem actionem poſtulet, *ceruicem reponant*, h. e. reflectant, quod non niſi in ſumma contentione et affectibus expromendis fieri ſolet. cf. Clau. Cic. in *ceruix*, et omnino Creſoll. Vac. Autumn. Lib. 2. Cap. 1. 2 ſqq. inprimis pag. 111. et ſqq.

Cicatricoſus.

Hac metaphora Quintilianus cum eleganti ſignificantia vtitur, vt declaret, nimia emendandi, circumcidendi, limandique cura ſaepe peiorem orationem fieri, quam antea fuerit; veluti, qui nimium ſecant medici, et cicatrices multas faciunt, et boni ſanguinis multum profundunt. Ita et oratio *cicatricoſa* et exſanguis fieri poteſt, quae antea ſatis recta et ſpecioſa et valida erat. Quintil. 10, 4. „*Sunt, qui ad omnia ſcripta, tanquam vitioſa, redeant, et quaſi nihil fas ſit rectum eſſe, quod primum eſt, melius exiſtiment, quicquid eſt aliud, idque faciant, quoties librum in manus reſumſerint, ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Accidit itaque, vt cicatricoſa ſint, et exſanguia, et cura peiora.“ Entſtellende Spuren von Verbeſſerungsſucht im Vortrage eines eigenſinnigen Schriftſtellers.* cf. quae ad voc. *calumniari* notauimus: nam hoc verbo ſignificatur vitium illud, quo oratio cicatricoſa efficitur. Non poſſum mihi temperare, quin Lichtenbergii, acutiſſimi artis Hogarthianae explicatoris, ſententiam ab hoc loco non alienam, commemorem. Is de aliqua effigie, cuius formam Hogarthius, cum mutare vellet, peiorem feciſſet, quam antea fuiſſet, ita iudicat: *Hogarth hat es verbeſſern wollen, und ſchlechter gemacht, alſo* verſchlimmbeſſert. *Dieſe Art zu corrigiren, die auch in Werken des Witzes der beſten Köpfe nicht ſelten iſt, verdiente wohl einen eigenen Namen, weil dergleichen Fehler nicht die Frucht der Nachläſſigkeit, ſondern gerade umgekehrt, oft der ängſtlichſten Anſtrengung ſind.*

Cincinni.

Vt calamiſtrum Rhetores Latini exprobrant his, qui elegantius, quam par eſt, et mollius orationem ſuam comant et ornant, ita eidem ſcriptorum generi *cincinnos*, quos inſtrumentum illud fingit, eodem ſenſu tribuunt. Quare Cicero *cincinnos* cum *fuco* iunxit. Lib. 3. de Orat. Cap. 25. „eo citius in oratoris aut in poetae *cincinnis* et *fuco* offenditur, quod ſenſus, in nimia voluptate, natura, non mente ſatiantur; in ſcriptis et in dictis non aurium ſolum, ſed animi iudicio etiam magis, *infucata vitia* noſcuntur.“ Et Sueton. de Auguſto Cap. 86. „exagitabat, inquit, nonnunquam inprimis Maecenatem ſuum, cuius μυροβρεχεῖς, vt ait, *cincinnos* vsquequaque perſequitur, et imitando per iocum irridet.“ Hic eſt, quem Macrob. Saturn. 2, 4. Maecenatis ſtilum *remiſſum*, *mollem*, et *diſſolutum* dicit: qualem et copioſius et ſimilibus metaphoris deſcribit Seneca Ep. 114. quem locum attulit Schulzius ad Dial. de corr. Eloq. 26. p. 105. vbi ille Auctor *calamiſtros* Maecenatis commemorauerat. Ex eiusdem metaphorae veluti fonte hauriebant, qui *criſpum* dicebant, ſi quid oratio ex oppoſitis, comparibus, ſimilibusque figuris, vel ex conciſa breuitate, affectati acuminis haberet. Sic de tali loco Ciceronis in Orat. pro Plancio Gellius N. A. 1, 4. refert Antonium Iulianum Rhetorem hoc modo iudicaſſe: „*criſpum* ſane, inquit, agmen orationis, *rotundum*que, ac modulo ipſo numerorum venuſtum, ſed quod cum venia legendum ſit verbi paulum ideo immutati, vt ſententiae fides ſalua eſſet.“

Circuitus. Circuitio.

Circuitum verborum pro periodo dixit Cic. Or. 3, 50. vbi idem et *orbis*, vt Graecis κύκλος, vocatur. cf. Orat. Cap. 23. et 61. et vid. Lex. gr. techn. ad vocc. περίοδος et κύκλος. et Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 26. p. 349. — *Circuitus loquendi*, ſ. *circumlocutio* Quintiliano 8, 6. 59. eſt, quae Graecis περίφρασις, cum id, quod vno aut paucioribus certe verbis dici poteſt, pluribus explicatur. Ea interim ad deformitatem rei tegendam neceſſaria eſt, interim autem ſoli ornatui ſeruit. Cum in vitium incidit, περισσολογία dicitur. Quo pertinet notatio

notatio haec Quintiliani ex Libri 8. prooem. §. 23. „Quod recte dici poteſt, *circuimus* amore verborum.“ Quod idem alio loco Lib. 8, 2. 17. loquacitati tribuit. Vnde et apud Auct. ad Herenn. 4. 32. *circuitio* definitur oratio rem ſimplicem aſſumta circumſcribens elocutione. cf. Quintil. Lib. 10, 1. 12. Gell. N. A. 3, 1. et quae infra diximus ad voc. *loquacitas*.

Circumciſus.

Quintil. 4, 2. 42. *circumciſam* expoſitionem vocat, quam Graeci *σύντομον*, h. e. quae ſuperuacuis careat, diuerſam a *breui*, quae poſſit etiam aliquid ex neceſſariis deſiderare. Sed haec disputat ex Graecorum diſciplina, quam non plane amplectitur. cf. voc. *breuis*.

Circumcurrere.

Rhetores nonnullos, qui materiam Rhetorices infinitam, et ad omnes res latiſſime patentem ſtatuebant, eam ob cauſam *artem circumcurrentem* vocaſſe, tradit Quintil. 2, 21. 7.

Circumductio.

Quintiliano dicitur genus illud periodi ſimplicis, *cum ſenſus vnus longiore ambitu* circumducitur. Sic Lib. 9, 4. 119. vbi talis *circumductionis* exemplum ex Ciceronis Verrina adfert, coll. §. 114. Graeci *ἁπλῦν* et *μονόκωλον περίοδον* dixerunt, vt pluribus oſtendimus in Lex. gr. techn. ad voc. *περίοδος*. Ab eo genere Fabius diſtinguit alterum, quod membris et inciſis, plures ſenſus habentibus, conſtet. — Georgio Trapezunt. Lib. 5. Rhet. p. 73. 6. *circumductio* definitur, *orationis congeries, quae multitudine rerum in longius compoſitionem protrahit: haec forma puro ſermoni oppoſita eſt.* Haud dubie iſta eadem eſt, quam Graeci Rhetores, Hermogenes et Ariſtides, *περιβολὴν* dixere, de qua ſatis notauimus in Lex. gr. p. 254.

Circumlatus.

Expreſſo ex Graeco *περιφερὴς* et *περιβάλλειν* vocabulo Quintilianus 4, 1. 60. *circumlatam orationem* dicit partim periodicam, partim copia et vbertate quadam inſtructam, quare eandem et *deductam* appellat, veluti inter manus artificis extenſam atque amplificatam.

 Bur-

Burmannus iam ad Ouid. Met. 1, 4. vbi *deducere carmen* occurrit, metaphoram ad artis opera pertinere formantium aliquid et fingentium, indeque traductam ad copioſe elatam dictionem, docuit. vid. Lex. gr. techn. ad voc. *περιφερής*, *περιφορά*, *περιβολή*, et *περιβάλλειν*, ex quibus vocibus etiam magis expreſſa eſt, quam Quintil. 4, 2. 117. *circumiectam* orationem appellat, h. e. copioſam, dilatatam, contrariamque *preſſo* ſermoni. vid. voc. *preſſus*, et *circumductio*.

Circumlinire. vid. voc. *Plaſma.*

Circumſcriptus. Circumſcriptio.

Circumſcripti verborum ambitus, ſunt veluti ad circinum circumductae periodi, nimis accurate rotundae, atque e nimia concinnitatis cura ortae. Itaque Cic. Or. 12. *arguti*, *certi*, *circumſcriptique* verborum ambitus commemorantur affini ſenſu. coll. Cap. 66. vbi *circumſcripte* et *numeroſe* dicere, τῷ *inciſe* et *membratim* dicere opponitur. cf. Lex. gr. techn. in *περιγραφή* et *περιφερής*. — Syllogiſmos autem *circumſcriptos*, quos Plinius dixerit, ad voc. *enthymema* notauimus. Simili ſenſu Ciceroni Or. 1, 22. *circumſcripta* explicatio eſt breuis, qualem rei definitio praeſtat. Et Quintil. 9, 3. 91. diſerte docet duplicem *circumſcriptionis* vim eſſe, vnam, quae *comprehenſam breuiter ſententiam*, alteram, quae *finitionem* notet. — In figuris elocutionis etiam *circumſcriptionem* numerat Cic. Or. 3, 54. quam tamen figuram eſſe negat Quintil. 9, 3. 91. Is laudat eam ex Rutilio, cuius *ὁρισμὸν* haud dubie ſic interpretatus eſt.

Circumſtantia.

Argumentorum genus eſt, quod Latini dicunt *ex circumſtantia*, quam Graeci *περίστασιν* appellant, hoc eſt, ex antecedentibus, iunctis et conſequentibus, de quo Quintil. 5, 10. 104. cf. Voſſius de Rhetor. Nat. et Conſtitut. p. 36. ſeqq. — De partibus *circumſtantiae*, quae *τὰ μόρια* vel *ἀφορμὰς τῆς περιστάσεως* Graeci dixerunt, copioſe expoſuit Aurel. Auguſtin. in Princip. Rhet. p: 293. Pith. Sunt haec: quis, quid, quando, vbi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis. Horum nempe omnium vel plurimorum congregatione omnis

quaeſtio

quaeſtio ciuilis conflatur. cf. Caſſiodor. Compend. Rhet. p. 336.

Citus.

Cita vox, cui tarda opponitur Cic. Or. 3, 57. ad naturalem veluti vocis indolem quandam pertinet, nonnullis hominibus a natura propriam; *das Allegro im Vortrage, in Rükſicht auf die Stimme des Sprechenden.*

Ciuilis.

Ciuilis ſermo, vbi opponitur verbis priſcis, obſoletis adeoque obſcuris, dicitur quaſi *ciuitate donatus*, notus, vſitatus, adeoque perſpicuus. vid. Sueton. de Ill. Gramm. Cap. 10. et quae ad voc. πολιτικὸς in Lex. gr. techn. notauimus.

Clarus.

In variis vocis generibus, quae quidem ad eius qualitatem pertineant, Quintil. 11, 3. 15. *claram* et *obtuſam* commemorat. Puto haec eadem genera eſſe, quae apud Ciceronem de Nat. Deor. 2, 58. *graue* et *acutum, Stimme auf hohe, oder auf tiefe Töne eingerichtet.* Nam ita multi natura facti ſunt, vt mature vel ad acutum, vel ad grauiorem ſonum vox inclinet. Ergo haec duo praecipue ad eam vocis qualitatem pertinent, quam Quintilianus explicare volebat. Et tamen non ita, vt Cicero, appellabat: ergo verba mutauit, rem ſeruauit, vt ſaepe fit. Sicuti autem *acuta* vox exilitatem illam notare poteſt, quae in ſummis vocis ſonis auditur, ita et *obtuſa*, in quo eadem metaphora eſt, grauiores ſonos ſignificabit. Quintilianus quidem mox tria genera vocis, *grauis, acutae* et *flexae* commemorat, ſed hoc diſcrimen non tam *naturam* vocis, quam eius *vſum* et *accentum* ſpectat, qui ipſe vel grauis vel acutus vel circumflexus eſſe ſolet. Sed *obtuſa* vox etiam eſt rauca, cum *vocem obtundere* dicendo exiſtimetur is, qui raucitatem gutturi contraxit. vid. Cic. Or. 2, 70.

Claudicare.

Significanti metaphora oratio, quae non ſatis numeroſa eſt, nec fluminis inſtar facile prolabitur, ſed ſaepe hiat et inſiſtit, *claudicare* dicitur Cic. Or. 3, 51.

„Vt

„Vt in verſu vulgus, inquit, ſi eſt peccatum, videt, ſic, ſi quid in noſtra oratione *claudicat*, ſentit.“ vid. Lex. gr. in χωλὸς et infr. voc. *fluctuans*. Luculentius in Orat. Cap. 58. *claudicanti*, et *fluctuanti* opponit *aequaliter conſtanterque ingredientem*, quae ideo numeroſa ſit. Deinde ibidem Cap. 51. *claudicare* et *inſiſtere* oratio dicitur tum etiam, cum eſt infracta et amputata, hoc eſt, cum membratim et per breuia inciſa effertur, ita vt vna ſententia, quam oportebat apta et continuata periodo comprehendi, variis membris concidatur. Itaque in eo loco claudicanti orationi opponitur ea, quae cum ſententia pariter *excurrit*. Illa eſt, quam Graeci εἰρομένην, haec, quam κατεστραμμένην dixere, de quibus generibus in Lex. techn. gr. disputauimus. In Bruto Cap. 63. de Antiſtio Oratore, „actio, inquit, paullum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis *claudicabat*,“ h. e. offendebat, indecens erat, et minus ſuauiter ad oculos auresue accidebat. Ad eandem metaphoram pertinet, quod Quintil. 9, 4. 70. clauſulas membrorum *claudas* et pendentes appellat, cum ita abrumpitur oratio, vt non impleat aures, niſi accidant ſequentia, quae veluti ſenſum abſoluant. „Quaedam clauſulae, inquit, ſunt *claudae* et pendentes, ſi relinquantur: ſed ſequentibus ſuſcipi et ſuſtineri debent, eoque facto vitium, quod erat in fine, continuatio emendat.“

Coaceruatio.

Hoc nomine Quintilianus 9, 3. 53. appellat duas formas elocutionis, quarum vna coniunctionibus caret, διάλυσις, vel ἀσύνδετον dicta, altera coniunctionibus abvndat, quam πολυσύνδετον vel συνάφειαν vocarunt Graeci. Deinde addit haec: *omnibus ſcriptores ſua nomina dederunt, ſed varia et vt cuique fingenti placuit. Fons quidem vnus, quia acriora facit et inſtantiora, quae dicimus, et vim quandam prae ſe ferentia, velut ſaepius erumpentes affectus.* — Aquila Roman. p. 148. ed. Ruhnk. ἐπιτροχασμὸν, quam *percurſionem* vocat, a *coaceruatione*, quae haud dubie eſt συναθροισμὸς Graecorum, eo differre dicit, quod cum illa res diuerſas pluresue in eundem locum confert: haec diſtantia plura inter ſe percurrens velocitate ipſa circumponat. vid. *Congeries* et *Percurſio*.

Coagmen-

Coagmentare.

Verba verbis coagmentare Ciceroni Or. 23. dicuntur, qui verba inter ſe tam apte et concinne collocant et iungunt, vt quaſi artificioſum quoddam agmen faciant, quod fit, cum nimio ſtudio cauent, ne quid hiulce aut aſpere concurrat. Vnde Orat. 3, 43. *coagmentatus* et *laeuis* concurſus verborum, hiulco opponitur. cf. Brut. 17. Eodem modo Quintil. 12, 10. 77. infelicem ſollicitudinem oratoris reprehendit, qui aegre verba vertat, et perpendendis *coagmentandisque* eis intabeſcat: *die Aengſtlichkeit eines Schriftſtellers, der jedes Wort gleichſam auf die Goldwage legt, oder in Reihe und Glied ſtellt.*

Cogitatio.

Quintilianus Lib. 10, 3. ſqq. praeter ſtilum, ſ. ſtudium ſcribendi, et extemporalem dicendi exercitationem, tertium etiam eloquentiae auxilium commemorat, *cogitationem*, quae inter ſcribendi laborem, extemporalemque fortunam media ſit. *Haec*, inquit, *paucis admodum horis magnas etiam cauſas complectitur: haec, quoties intermiſſus eſt ſomnus, ipſis noctis tenebris adiuuatur; haec inter medios rerum actus aliquid inuenit vacui, nec otium patitur. Neque enim rerum ordinem modo intra ſe diſponit, ſed verba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, vt ei nihil praeter manum deſit.* Simillimus eſt locus Ciceronis Or. 3, 33. „*ſi ſubitam et fortuitam orationem commentatio et* cogitatio *facile vincit, hanc ipſam profecto aſſidua et diligens ſcriptura ſuperabit.* cf. Clau. Cic. in h. v.

Cognominatus.

Cognominata verba, vt Graecis *συνώνυμα*, Ciceroni dicta in Partit. Or. 15. Huc et pertinet, quam *communionem nominis* interpretatus eſt Aquila Rom. p. 21. Graecorum *συνωνυμία*, h. e. id genus elocutionis, quo vtimur, quoties vno verbo non ſatis videmur dignitatem, magnitudinem rei demonſtrare, ideoque in eiusdem ſignificatione plura conferuntur. Ab ea forma non multum dicit differre *ταυτολογίαν*, quae eandem rem pluribus verbis ſignificet. In ſynonymia enim ſingulas partes ex ordine idem ſignificantes poni, in hac autem

autem vnius nominis aut verbi prius poſiti vim deinceps pluribus verbis explicari.

Cohortatio.

Auctori Libr. ad Herenn. 3, 13. vbi de voce et pronuntiatione παθητικῇ, quam amplificationem appellauerat, ſermo eſt, *cohortatio* dicitur contentio vocis, quae aliquid peccatum amplificans auditorem ad iracundiam adducit. Mox idem Rhetor Cap. 14. *in cohortatione*, ait, *vtemur voce attenuatiſſima, clamore leni, ſono aequabili, commutationibus crebris, maxima celeritate.* — Cicero autem in Partit. Or. Cap. 17. *cohortationes* dicere videtur, quod vulgo genus cauſae deliberatiuum vocatur. Nam tria illa genera cauſarum hoc modo commemorat: *Illud iam eſt iudicii, quo quaque in cauſa genere vtamur augendi. In illis enim cauſis, quae ad delectationem exornantur,* (demonſtratiuis) *ii loci tractandi ſunt, qui mouere poſſunt exſpectationem, admirationem, voluptatem: in* cohortationibus *autem* (deliberatiuis) *bonorum ac malorum enumerationes et exempla valent plurimum. In iudiciis* (cauſis iudicialibus) *accuſatori fere, quae ad iracundiam, reo plerumque, quae ad miſericordiam pertinent.* Cauſa illius denominationis eſt, quod ad ſuaſionem, quae illius generis deliberatiui propria eſt, etiam cohortatio pertinet. cf. Cap. 26. et 27.

Collatio.

Modus eſt tractandae cauſae coniecturalis, *per collationem,* cum accuſator id, quod aduerſarium feciſſe criminatur, in neminem alium, quam in aduerſarium quauis ratione cadere demonſtrat. De eo genere exponit Auct. ad Herenn. 2, 4. — Cum autem *argumentatio* probabilis fit *collatione,* res cum re ex ſimilitudine confertur. Cic. Inuent. 1, 30. cf. voc. *comparabile.* De ea denique *collatione*, quam παραβολήν Graeci vocarunt, ad voc. *ſimilitudo* fuſius diſputauimus.

Collectio.

Cicero in Brut. 88. *collectiones* appellat ſummas eorum, quae vel a nobis vel ab aliis dicta erant. His collectionibus pollebat inprimis Hortenſius, *memor, et quae eſſent dicta contra, quaeque ipſe dixiſſet.* Eandem *enume-*

enumerationem dicit de Inuent. 1, 52. cf. Quintil. 6, 1. init. et quae a nobis dicta ſunt ad voc. ἀνακεφαλαίωσις in Lex. gr. techn. — Quintilianus deinde Lib. 9, 2. 103. συλλογισμὸν interpretatur *collectionem*, figuram a Gorgia Rhetore, quem Rutilius ſecutus fuerit, commemoratam. cf. Senec. Ep. 45. Itaque *collectionem* Georg. Trapezunt. Lib. 3. Rhet. p. 29. 6. inter modos argumentationis ponit, dicitque eſſe perfectiorem argumentationem, quae rationibus et expolitione abſoluatur, ſitque in partes quinque distributa, propoſitionem, rationem, confirmationem, expolitionem, concluſionem. — De *collectione*, ex Graecorum συλλογῇ expreſſa Latinis, ſtatus legitimi, ſeu quaeſtionum legalium parte aliqua, ad voc. *ratiocinatio* diximus. — *Collectum* dicendi genus, quid ſit, vid. ad voc. *adſtrictus*.

Collocatio.

Collocatio ad diſciplinam de ornatu orationis pertinet, quae continuatis coniunctisque verbis conſtat, eiusque eſt *componere et ſtruere* verba ſic, vt neque aſper eorum concurſus, neque hiulcus ſit, ſed quodammodo coagmentatus et laeuis. Ita Cic. Or. 3. 43. coll. Cap. 52. vbi hanc *coniunctionis lenitatem* appellat. Hinc et alia metaphora *verborum conglutinatio* dicitur in Or. 23. Eiusdem autem Libri Cap. 44. accuratius hanc diſciplinam explicans, tria collocandorum verborum genera ponit: „*collocabuntur* verba, inquit, vt aut 1) inter ſe quam aptiſſime cohaereant extrema cum primis, eaque ſint quam ſuauiſſimis vocibus (vnde Lib. 3. de Or. l. c. collocationi verborum hoc tribuit, vt efficiat orationem *iunctam, cohaerentem, lenem, et aequabiliter fluentem*) aut 2) forma ipſa concinnitasque verborum conficiat orbem ſuum, aut 3) comprehenſio numeroſa et apte cadat.“ Quas partes Cap. 60. breuius enuntians, *collocationis ſunt*, inquit, *compoſitio, concinnitas, numerus*.

Color.

Hoc verbo ſignificatur a Cicerone vniuerſa quaedam orationis ſpecies et forma, quae non ad ſingulos eius veluti articulos, ſed ad totum corpus pertinet: *allgemeiner Charakter der Rede.* Itaque vt oratio ſit ſuauis, grauis, erudita, liberalis, admirabilis, vt ſenſus

et dolores habeat. quantum opus ſit, id omne ad *colorem*, vel etiam ſuccum, qui dicitur, orationis refertur, quoniam in colore et ſucco cogitamus aliquid, quod per vniuerſam rem vel per totum corpus fuſum ſit aequabiliter, nec in ſingulis partibus haereat, ſed totum occupauerit. Iam plana eſt vis praecepti, quo Cicero Or. 3, 25. docet *orationem ornari primum genere, et quaſi colore et ſucco ſuo*, porro *verborum, ſententiarumque floribus.* Et Cap. 52. color oriri dicitur tribus rebus, *ſublimi, medio* et *tenui. His tribus figuris*, inquit, *inſidere quidam venuſtatis, non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus debet color.* Eadem vniuerſitatis cuiusdam notio ineſt in *vrbanitatis colore,* quo veluti colorata fuerit nonnullorum oratio, in ſententia Cic. in Brut. 46. vbi illud ita explicat, vt dicat, in vocibus Latinorum oratorum, ſi cum externis comparentur, *recinere quiddam et reſonare vrbanius.* Hunc ex mox *ſaporem quendam vernaculum* appellat: *römiſcher National-Ton in Sprache und Ausdruck, woran ich gleich den gebornen Römer erkenne.* cf. Quintil. 6, 3. 107. et infr. voc. *vrbanitas.* Neque ſilentio praetermittenda eſt *coloris* illa a Quintiliano etiam 8, 4. 28. exquiſite adhibita ſignificatio, qua orationis vniuerſum habitum quendam, vel ſpeciem aequabiliter fuſam, vniformemque characterem notat, cui *maculas* hinc inde adſperſas opponit: *einfaches, einfarbiges Colorit, im Gegenſatze des ſchäkkigten, Tigerfarbigen.* Nam cum denſitatem et nimiam frequentiam ſententiarum orationi intertextarum reprehendiſſet, huius reprehenſionis hanc cauſam addit: *color* ipſe *dicendi* quamlibet claris, multis tamen et variis veluti *maculis* conſpergitur: *allzuhäufige Sentenzen unterbrechen das herrſchende Colorit des Vortrags, und machen ihn nur buntſchäkkigt.* Mox, vt omnis hic locus metaphoris foecundus eſt, non alio ſenſu lumina iſta ſententiarum non flammis, ſed ſcintillis inter fumum emicantibus ſimilia dicit, quae crebris paruisque conatibus ſe attollunt, inaequalia tantum et veluti confragoſa, nec admirationem conſequuntur eminentium, et planorum gratiam perdunt: *dieſe Sentenzen ſind einzelne aus der ganzen Lichtmaſſe hervorblitzende Funken, welche nicht nur die Wirkung nicht verſtärken, ſondern auch noch die Beleuchtung ungleich machen, und ihren Reiz ſtören und verderben.* Inprimis autem, vt pateat,

quid

quid in illo *colore* et *colorando* cogitauerit Cicero, ſubtiliſſimus ille metaphorarum artifex, memorabilis locus eſt Orat. Cap. 13. Ibi eloquentiam natam fuiſſe et educatam nutritamque in gymnaſiis Sophiſtarum, qui primi ornatum et delicias orationis curaſſent, quoniam illorum omne genus dicendi delectationis cauſa comparatum eſſet (ἐπιδεικτικὸν). Sed iam, acceptis his primis nutrimentis, *eloquentia poſtea ſe ipſa colorat et roborat*, h. e. ſe ipſa abſolutius effingit, formam exprimens grauiorem, non iam pompae et gymnaſiis, ſed pugnae et dimicationi aptam, qua indutus orator in foro et iudiciis agere cum laude et victoria poſſit. cf. de Orat. 2, 14. vbi oratio ſcriptorum lectorum tactu *colorari* dicitur, cum lectio aſſidua hoc efficit, vt ſenſim ſenſimque oratio ſimilem ex illis habitum, colorem, et formam arripiat. —

Porro cum et vtile et paene neceſſarium exiſtimaretur, vt aut verecundiae cauſa res dictu turpes velo quodam fictae orationis tegerentur, aut defendendi excuſandique facti conſilium aliquod et praetextus culpam mitigans inueniretur, vtrumque fictionis et defenſionis genus *color* Rhetoribus Latinis dictus eſt, accommodate quidem ad rationem loquendi Graecorum, qui idem χρῶμα appellabant, vt in Lex. gr. techn. docuimus. De priori *coloris* genere locus claſſicus eſt Quintil. 4, 2. 88. „Sunt quaedam, inquit, et falſae narrationes, quarum in foro duplex eſt genus, alterum, quod inſtrumentis adiuuatur, alterum quod eſt tuendum dicentis ingenio. Id interim ad ſolam verecundiam pertinet, vnde etiam mihi videtur dici *color;* etc. cf. Lib. 6, 5. 5. vbi ad *colores* refert, vt quis ſciat, *aſpere an leniter, an etiam ſubmiſſe loqui expediat.* Ex his iam puto intelligi poſſe, quid ſibi voluerit Quintil. Lib. 10, 1. 116. cum de Caſſio Seuero Rhetore haec dicit: „ſi ceteris virtutibus *colorem* et *grauitatem* orationis adieciſſet, ponendus inter praecipuos foret.“ Nam cum ex iis, quae de illo oratore paſſim veteres memorarunt, appareat, in eo haec duo maxime vitia fuiſſe, primum ſeueritatem aſperitatemque morum, deinde acerbitatem licentiamque iocandi, mihi certe dubium non eſt, *coloris* penuriam in Caſſio eo pertinere ex mente Quintiliani, quod ab omni dicendi moderatione et verecundia alienus fuerit, *grauitatis* autem,

 quod

quod cum in vita omni minus bene ſe geſſerit, tum vero iocandi acerbitati et amaris ſalibus nimium iuſto indulſerit. Quare Quintilianus mox et haec addit: *plus ſtomacho quam conſilio dedit: er folgte mehr ſeiner Leidenſchaft, und muthwilligen Laune, als irgend einer vernünftigen Rükſicht.* cf. Senec. Controu. Lib. 3. init. Tacit. Annal. 4, 21. — Poſterioris generis, quod defenſioni et excuſationi ſeruit, exempla reperiuntur apud Senecam in Controu. et Quintil. l. c. §. 97. ſqq. qui ideo et *remedia* hos ipſos colores dicere videtur, quoniam eorum ope excuſare poſſimus, quae contra nos ſint. Sic apud Senecam Lib. I. Controu. p. 81. haec controuerſia proponitur: *Quaedam virgo a piratis capta venit; emta a lenone et proſtituta eſt. Eadem militem qui ad ſe venerat, colluctantem et vim inferentem occidit: accuſata et abſoluta, remiſſa ad ſuos eſt: petit ſacerdotium, contradicitur.* Iam pro hac puella Fuſcus Rhetor hunc *colorem* introduxiſſe dicitur: „*Voluerunt*, inquit, *dii immortales in hac puella vires ſuas oſtendere, vt appareret, quam nulla vis humana diuinis reſiſteret: magis putauerunt miraculo eſſe in captiua libertatem, in proſtituta pudicitiam, in accuſata innocentiam.*" Talium *colorum*, qui in variis declamationum generibus adhiberi poſſent, libros edidiſſe Othonem quendam Iunium, idem Seneca p. 97. memorat. —

Denique etiam, vt *pigmenta*, ita et *colorem*, pro ornamentis orationis dixiſſe videtur Cic. ad Quint. Fr. 2, 15. „pingam *coloribus* tuis, penicillo meo." In Brut. Cap. 87. „voluendi, inquit, ſunt libri cum aliorum, tum inprimis Catonis: intelliges, nihil illius lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quae inuenta nondum erant, florem et *colorem* defuiſſe." Et de Orat. 3, 25. poeſin, vel orationem, quamuis *claris ſit coloribus picta*, h. e. ſuauiſſimo verborum ornatu figurata et inſtructa, ſine intermiſſione et varietate tamen diuturnam delectationem habere poſſe negat.

Commendatio.

Inter lumina et figuras ſententiarum refertur a Cicerone Or. 3, 53. Eandem nominat Quintil. 9, 2. 3. vna cum *conciliatione*, quibus affectus mitiores, quae τὰ ἤθη Graeci dixerunt, reguntur.

Commi-

Commiſeratio.

Haec eſt oratoris, miſericordiam auditorum in epilogo commouentis ap. Auct. ad Herenn. 2, 31. vbi et varii loci, quibus illa tractari poſſit, enumerantur. In fine, *commiſerationem*, ait, *breuem eſſe oportet: nihil enim lacryma citius areſcit:* quod dictum Cicero de Inuent. 1, 56. Apollonio Rhetori tribuit. Eadem eſt, quam l. c. *conqueſtionem* appellat. cf. Sulpic. Vict. Inſtit. Rhet. p. 249.

Commiſſiones.

A Suetonio *commiſſiones* dictae ſunt certamina oratoria et poetica, in quibus maxime oſtentatio ingenii quaerebatur, Graecorum quaedam ἐπιδείξεις. Sic in Octau. Cap. 89. Et Caligulam dicit Cap. 53. Senecae ſcripta *commiſſiones* vocaſſe, quod plena quaeſitis acuminibus eſſent. cf. Vit. Claud. 41. et de Illuſtr. Gramm. Cap. 17. vbi de Verrio Flacco: „ad exercenda diſcentium ingenia aequales inter ſe *committere* ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent, ſed et praemio, quod victor auferret.“ Vnde et Seneca Muſicorum aut cantorum *commiſſiones* appellat, quas nos vulgo *concerts*. vid. Epiſt. 85. vbi omnis locus huc pertinens hunc ſenſum confirmat.

Commoditas.

Virtus, praeſtantia, excellentia oratoris, ſi ad ipſam orationem pertineat, ab Auctore Libb. ad Herenn. *commoditas* dicta eſt. Sin de eo ipſo, qui dicit, praedicatur, facultatem notat idoneam, et dexteritatem, vt *commode* ſaltare dicuntur, qui in ea arte praeſtantes ſunt atque excellentes. Ille Auct. Lib. 1, 1. *non parum*, inquit, *in ſe fructus habet copia dicendi, et commoditas orationis.* In quo loco neceſſe eſt, copiam dicendi, pro ipſa facultate dicendi et arte oratoria dici, quoniam copia et vbertas orationis praecipua quaedam oratoris, et propria virtus habita eſt, adeoque *copiam* et *commoditatem* tanquam ſynonyma poni. Alioquin enim non ſatis intelligi poſſit, quare auctor *copiam*, quae eſt definita oratoris virtus, cum *commoditate*, quae eſt indefinita et varias virtutes complectitur, compoſuerit. Itaque de Or. 1, 54. quam *commo-*

de ſcriptam orationem dixerat, eandem non multo poſt *diſertam* et *oratoriam* appellat; ita tamen, vt ad ſolam artem dicendi, et ornatum referre illam commoditatem videatur. Nam *fortem* et *virilem* eandem orationem fuiſſe negat, quod vtrumque ad res ipſas et materiem orationis potiſſimum pertinet. Magis autem perſpicuus locus, ex quo intelligas, *commoditatem* ad elegantiam orationis et dexteritatem dicendi ab ingenio ortam, pertinere, eſt in Cic. Orat. pro Roſc. Amer. Cap. 4. „His de tantis rebus, inquit, neque ſatis me *commode* dicere, neque ſatis grauiter conqueri poſſe intelligo. Nam *commoditati* ingenium, grauitati aetas ſunt impedimento.“ Quo minus opus eſſe putamus, vt hoc verbum ſollicitetur in loco Cic. de Inuent. Lib. 1, 2. vbi manifeſte *ingenio* vt ſynonymum adiungitur, et eam artis peritiam et dexteritatem notat, quae maxime naturalibus ingenii bonis efficitur. „Primo quidem, inquit Cicero, ſic et nata et progreſſa longius eloquentia videtur; et item poſtea maximis in rebus pacis et belli cum ſummis hominum vtilitatibus eſſe verſata. Poſtquam vero *commoditas* quaedam, praua virtutis imitatrix, ſine ratione officii, dicendi copiam conſecuta eſt; tum *ingenio* freta malitia, peruertere vrbes, et vitas hominum labefactare adſueuit.“ Iam etiam illud videtur intelligi poſſe, quod Erneſtius ad h. l. ſe intelligere negabat, quomodo commoditas illa *virtutis imitatrix* dici queat. Nempe homines, quamuis a ratione officii alieni, eo tamen ingenio praediti, vt commode et diſerte dicere poſſint, ſaepe ſpecie virtutis et grauitatis fallere alios ſolent. Nam vt *eloquentiam* veteres ſemper cum animi bonitate et virtute coniunctam volebant, ita Cicero illis, qui ab ingenio quidem inſtructi ad dicendum, ab officii animique ratione alieni eſſent, adeoque eloquentiae nomine indigni, *commoditatem* tribuit. Quamobrem etiam mox Cap. 3. initio, eodem diſtinguendi conſilio et ſenſu, *diſertos* homines, ab *non incallidis* discreuit, in illis *eloquentiam*, in his hanc ipſam *commoditatem* cogitans. cf. de Orat. 3, 14. fin.

Commotus.

Genus dicendi *commotum*, idemque vehemens et forte, eius eſt oratoris, qui propter illam ipſam vehe-

mentiam

mentiam agendi et proloquendi non poteſt certo in loco tranquillus conſiſtere, ſed ſemper in motu eſt atque agitatione. Sic Cic. Or. 3, 9. vbi, cum Craſſus illud *genus commotum in agendo* Antonio tribuiſſet, mox ſe ipſum prorſus diſſimilem Antonio profeſſus, primum motus ſui mediocritatem commemorat, deinde ſe dicit, *quibus veſtigiis primum inſtitiſſet, in iis fere ſolere perorare.* Quibus verbis contraria illi commotioni tranquillitas et moderatio ſignificatur, *ſtatariorum* propria. vid. voc. *Statarius.* Hinc etiam *agens* orator, κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur, *ein lebhafter, feuriger Redner,* in Bruto Cap. 92. cf. voc. *lenis.*

Commoratio.

Auct. Libb. ad Herenn. 4, 45. *commoratio* eſt, cum in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutius, et eodem ſaepius reditur. vid. Lex. gr. techn. in ἐπιμονή. Apud Cic. de Inuent. 1, 49. *commorari* in aliqua re, et eam *augere* ponuntur vt ſynonyma: vnde vis commorationis intelligitur; eodemque ſenſu in Orat. 15. *haerere* et *habitare in bonis ſuis* orator dicitur. cf. de Orat. 3, 53. vbi contraria illi formae dicendi adfertur *percurſio.* Trapezuntius Lib. 5. Rhet. p. 85. *inhaeſionem* vocat, hanc ei vim tribuens, vt *inuentum extendat magnitudine rerum, et oratorem affectum oſtendat, et auditoris animum penetret.*

Communicatio.

Fig. eloc. gr. ἀνακοίνωσις, quae eſt quaſi cum iis ipſis, apud quos dicas, deliberatio. Sic Cic. Or. 3, 53. Et Orat. Cap. 39. *ſaepe cum iis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum aduerſariis deliberet.* Quintilianus 9, 2. 20. a *dubitatione* non procul abeſſe dicit illam communicationem, qua aut ipſos aduerſarios conſulamus, aut cum iudicibus quaſi deliberemus, aut aliquid inexſpectatum ſubiungamus. Ad eam, tanquam ſpecies pertinet ἰδιωτισμὸς Graecis dictus, quo nos gerimus iis, ad quos dicimus, familiares, vt ait Cic. Or. 39. item *ſuſtentatio,* de qua alibi diximus. cf. Iul. Rufinian. p. 26. ed. Pith.

Communis. Communio.

Haud dubie ad Latinorum technologiam rhetoricam pertinet, quod *commune exordium* dicitur, quo nihilo minus aduerſarius poteſt vti, eſtque ideo vitioſum. Sic Auct. ad Herenn. 1, 7. Cicero de Inu. 1, 18. definit: *quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem cauſae conuenire poteſt.* cf. de Or. 2, 78. Quintil. 4, 1. 71. Simili modo etiam *commune* argumentationis genus, ideoque vitioſum dicitur Ciceroni Inuent. 1, 48. *quod nihilo magis ab aduerſariis, quam a nobis facit.* vid. Quintil. 5, 13. 29.

Communionem nominis Aquila Rom. p. 180. ed. Ruhnk. interpretatur συνωνυμίαν, qua vtimur, quoties vno verbo non ſatis videmur aut magnitudinem aut dignitatem rei demonſtrare; ideoque in eiusdem ſignificationem plura conferuntur, vt ſi dicas: *proſtrauit, afflixit, perculit.*

Commutabilis.

Exordium *commutabile*, quod in vitio ſit, Cicero Inuent. 1, 18. dicit, quod ab aduerſario poteſt, leuiter mutatum, ex contraria parte dici. cf. Quintil. 4, 1. 71.

Commutatio.

Auctori Herenn. 4, 28. figura eſt, qua duae ſententiae inter ſe discrepantes ex traiectione ita efferuntur, vt a priore poſterior, contraria priori, proficiſcatur. Quintilianus 9, 3. 85. ἀντιμεταβολὴν dicit, qua verba declinata repetantur, vt: *non vt edam viuo, ſed vt viuam, edo.* vid. Berger. de nat. pulcr. Or. p. 196. vbi Iulii Caeſaris hanc ſententiam *commutatione* expreſſam adfert: *non ſeſe Gallis, ſed Gallos ſibi bellum intuliſſe;* et p. 683. hanc: *ire ſe ad exercitum ſine duce, et inde reuerſurum ad ducem ſine exercitu.* v. Lex. gr. techn. in voc. ἀντιμεταβολή.

Compar.

Figura, Graecorum ἰσόκωλον, ſ. πάρισα κῶλα, habens in ſe membra orationis, quae conſtant ex pari numero ſyllabarum, vt ait Auct. Herenn. 4, 20. — *Quae paribus paria referuntur,* inquit Cic. Or. 3, 54. et alio loco Orat. 12. *ſi verba verbis quaſi demenſa et paria reſpon-*

reſpondent. Nam Cicero ſibi in eo placere videtur, vt harum figurarum, quas vno verbo Graeci appellarunt, ſenſum variatis verbis ſaepe enuntiet. cf. Quintil. 9, 3. 76. — *Exaequatum membris* vocat Aquila Rom. p. 18. et *πάρισον prope aequatum.*

Comparabile.

In argumentatione probabili, *comparabile* dicitur, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet. Eius partes ſunt, *imago*, *collatio*, *exemplum*, quae, quam vim habeant, ſeparatim explicauimus. v. Cic. de Inu. 1, 30. et voc. *argumentatio.*

Comparatio.

Modus eſt hic defendendi, vel criminis mitigandi, in conſtitutione iuridiciali (Graeci *συλλογισμὸν* appellant) cum dicimus neceſſe fuiſſe alterutrum facere, et id quod fecerimus, ſatius fuiſſe facere. Ita Auct. Herenn. 1, 15. — Ciceroni Lib. 1. de Inu. Cap. 11. *comparatio* eſt, cum aliud aliquod alicuius factum rectum aut vtile contenditur, quod vt fieret, illud, quod arguitur, dicitur eſſe commiſſum. v. Lib. 2, 24. et infr. notata ad voc. *iuridicialis*. *Comparatiuam* defenſionem appellat Quintil. 7, 4. Graeci etiam *ἀντίστασιν.* Nam in comparatione malorum boni locum obtinet melius. cf. Lex. gr. techn. in voc. *ποιότης*. De *Comparatione*, quae ſit locus argumentandi, diſputat Cicero in Top. 18 ſqq. ex diſciplina Dialecticorum, quorum proprium erat, de comparandi variis generibus et formis diſputare. Quintilianus de eo genere amplificationis in elocutione, quod ſit *comparatione*, agit Lib. 8, 4. Haec nempe *incrementum ex minoribus petit: augendo enim, quod infra eſt, neceſſe eſt extollat id, quod ſupra poſitum eſt. Interim etiam, propoſito veluti ſimili exemplo efficiendum eſt, vt ſit maius id quod exaggerare volumus.* — Eſt etiam *comparatio* aliqua, in figuris ſententiarum commemorata Iulio Rufin. p. 29. qua res et perſonae inter ſe contrariae comparantur, quam Graeci *σύγκρισιν* vel *ἀντίθεσιν* dixerint.

Compenſatio.

Graec. *ἀντεισαγωγὴ*, eiusmodi figura deſcribitur ab Aquila Rom. p. 16. vel p. 154. Ruhnk. vbi aliquid dif-

ficile et contrarium confitendum eſt; ſed contra inducitur non minus firmum, vt illa Ciceronis: *difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis.* Mart. Capella, qui ex Aquila hauſit, *contrariam inductionem* appellat. — Deinde et *compenſatio* in diſciplina ſtatuum, et quidem *aſſumtiuae qualitatis*, dicitur is modus defendendi, quo incommodum, quod dicimur attuliſſe, compenſamus vicario commodo eius loci. vid. Sulpic. Vict. Inſt. Rhet. p. 267. Graeci hanc dixerunt *ἀντίστασιν*, de qua expoſuimus in Lex. gr. techn.

Complementum.

Numerorum *complementa*, Cicero Orat. 69. vocat verba illa quae oratores Aſiatici orationi inculcare ſoliti fuerint, ad rem et ſenſum non pertinentia illa quidem, ſed quibus numerus et concinnitas quaedam efficeretur: *Lückenbüßer, Flickwörter zur Ausgleichung des holprichten, und zur Beförderung des Numerus.* v. Lex. gr. techn. in voc. *παραπλήρωμα.*

Complexio.

Fig. verb. quae et repetitionem et conuerſionem complectitur, ita vt et repetatur idem primum verbum ſaepius, et crebro ad idem poſtremum reuertamur; Graecorum *συμπλοκή*. v. Auct. Herenn. 4, 13. Quintil. 9, 3. 31. et Aquila Rom. de Figg. p. 21. qui *connexum* appellat eandem figuram, ex epanaphora et anaſtrophe compoſitam. — Per *Complexionem* argumentari, quid ſit, dictum eſt ad voc. *argumentatio*, e Cic. Inuent. 1, 29. — *Complexio* verborum, pro periodo vel *ῥήσει* Cic. Or. 3, 47. Orat. 25. vt *complexum loquendi* Quintilianus 1, 5. dixit pro contextu et ſerie orationis, quam Graeci *συνάφειαν* vel *συνέπειαν* vocarunt. Cui ſimilis ratio eſt, qua Cic Phil. 2, 37. *miram verborum complexionem* pro mira dicendi ratione dixit. cf. Quint. Lib. 9, 4. 32. Sed idem etiam *complexionem* ibidem appellauit, quam Graeci *συναλοιφὴν* vel *συναίρεσιν* dicunt, qua duae vocales pronuntiatione iunguntur. Ei contraria eſt *διαίρεσις*, qua vocales ſeparatim enuntiantur, vt in *Europai.* v. Quintil. 9, 4. 36. et 59. vbi illam Graecorum *συναλοιφὴν coitum ſyllabarum* appellat. Denique *complexio* eſt etiam vltima pars ſyllogiſmi ſ. ratiocinationis, per quam id, quod conficitur

ex

ex omni argumentatione, breuiter exponitur. vid. voc. *Ratiocinatio.*

Compoſitio.

Gr. σύνθεσις, σύνταξις, Auct. Herenn. 4, 12. verborum conſtructio dicitur, quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. Ea conſeruabitur, ſi 1) crebras vocalium concurſiones, 2) eiusdem literae nimiam aſſiduitatem, 3) eiusdem verbi nimiam aſſiduitatem, 4) verborum traiectionem, 5) longam verborum continuationem vitabimus. In his ineſt, quae dicitur Cic. Or. 1, 33. *collocatio conformatioque verborum.* Vnde et ei compoſitioni, *horridus ſermo*, vt forte effluxerit, opponitur Quintil. 9, 4. 3. Omnino autem Quintilianus compoſitionis tres partes facit l. c. §. 22. *ordinem, iuncturam, numerum.* Cicero in Bruto 8. eam *ſtructuram* vocat veluti κατ᾽ ἐξοχὴν, quoniam *ea ſit oratio accurata, et facta quodammodo, et ad quendam modum numerumque concluſa.* Maxime autem valebunt ad vim compoſitionis intelligendam, quae Quintilianus in principio Cap. 4. Libri 9. vsque ad §. 18. eleganter et egregie disputat. Quorum haec veluti ſumma eſt, vt, quem in poemate locum *verſificatio*, eum in oratione *compoſitio* habeat.

Compoſitus.

Si Cicero de Or. 1, 11. ſatis diſtincte locutus eſt in his: „oratoris vim eſſe, vt *compoſite* et *ornate* et *copioſe* dicat, primum illud *compoſite* dicere in eo erit, vt verborum rectus et elegans delectus conſtructioque ſit: reliqua ars in elocutionis ornatu et copia cernetur. Haec ita nobis videbantur recte ſe habere. Quamuis, cum alium locum ſimilem Cap. 15. conſideraremus, incepimus dubitare, an Cicero in vſu illius vocabuli ſatis ſibi conſtiterit. Ibi nimirum propriam oratoris vim ita definit, vt oratorem dicat eſſe, qui, quaecunque res inciderit, quae ſit dictione explicanda, *prudenter*, et *compoſite*, et *ornate*, et *memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.* Nonne exiſtimemus his verbis deſcripta eſſe quinque illa oratoris officia, quae dicuntur, *inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem?* Ergo *compoſite* dicere nunc non ad concinnitatem verborum, ſed ad rectam con-

cinnamque rerum diſpoſitionem pertinebit. Eamque ſententiam confirmabit Cap. 31. vbi vis et facultas oratoris in easdem partes quinque distributa, in eo eſſe dicitur, vt 1) debeat *reperire* quid dicat (h. e. *inuentio*) 2) inuenta non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam et iudicio dispenſare atque *componere* (h. e. *diſpoſitio*. cf. Lib. 2, 19.) etc. E quo loco ſimul cauſa illius formulae loquendi intelligitur. Sed haec nondum ſufficiunt. Nam, quamuis *disponere* et *componere*, ſ. compoſite dicere, in vniuerſum in eadem re cernitur, tamen illud prius maxime ad *ordinem*, hoc poſterius autem ad oratoris *iudicium* et *prudentiam* pertinere, partim ex loco laudato, partim vero, et praecipue quidem, ex Lib. 2. de Or. Cap. 76. patet, vbi haec ſunt: „Redeo ad ordinem collocationemque rerum ac locorum. Cuius ratio eſt duplex: altera, quam affert natura cauſarum, altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur. Nam vt aliquid ante rem dicamus, deinde, vt rem exponamus, poſt vt eam probemus noſtris praeſidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde vt concludamus atque ita peroremus, hoc dicendi genus natura ipſa praeſcribit. Vt vero ſtatuamus, ea, quae probandi, docendi, perſuadendi cauſa dicenda ſunt, quemadmodum *componamus*, id eſt vel maxime proprium oratoris prudentiae." Sed vt ad locum ſupra commemoratum Libri de Or. 1, 11. redeamus, Cicero ibi mox orationem *compoſitam*, et *ornatam* et *artificio quodam* et *expolitione diſtinctam* iungit; vnde patet eum in voce *componere* et deriuatis notionem ſtudii, delectus et artificii elegantis in verbis collocandis ſibi informaſſe. Quae cauſa eſt, cur alii quoque *compoſitam* orationem oppoſuerint *extemporali*, vt Sueton. Aug. 84. cf. Lex. gr. techn. in voc. *συγκεῖσθαι*. De ſolis autem *verbis* cogitaſſe Ciceronem, euincunt proxime ſequentia: „haec autem oratio, ſi *res* non ſubeſt ab oratore percepta, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludatur. Quid enim eſt tam furioſum, quam verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia?" — Itaque *compoſitum dicendi genus* in Bruto 78. erit, elegans, concinnum, accuratum. Mox ibidem commemorat in C. Piſone *verborum delectum elegantem*, *aptam et quaſi rotundam*

conſtru-

conſtructionem, non disſimili ſenſu. Nam haec talia Cicero mirifice variat dicendo. Ita mox Cap. 79. de Calidii oratione haec addit: „nihil niſi *loco poſitum*, et tanquam in vermiculato emblemate, vt ait Lucilius, ſtructum verbum videres;" id quod ad artificioſam verborum concinnamque ſtructuram collocationemque pertinet, vnde ſuaues numeri, mollisque et lenis pronuntiatio pendet. Cf. Orat. 70. vbi *compoſiti* ſcriptoris bene ſtructa collocatio commemoratur. Ei contrarius eſt *inconditus* ſcriptor, vt ſententiae *aptae* et *compoſitae*, ſententia disſipata, diffluens, disſoluta; quae omnia ibi Cicero iunxit. cf. Cap. 61. fin. — Quintilianus etiam Lib. 10, 1. 44. *lene* et *nitidum* et *compoſitum* dicendi genus coniunxit. vid. voc. *ſaltare*. Quamuis aliam metaphoram ſecutus *compoſitam* actionem Lib. 11, 3. 110. dixit moderatam, quietam, qualis eſſe ſolet in initiis orationis, vbi nondum calor ex affectu oratorem occupauerit: tum enim geſtus cum ipſa orationis celeritate crebreſcit; plane vt Seneca, qui cum Ep. 40. in Serapione reprehendiſſet, quod ſoleat magno curſu verba conuoluere, *hoc non probo*, inquit, *in philoſopho, cuius pronuntiatio quoque, ſicut vita, debet eſſe compoſita*.

Comprehenſio.

Comprehenſio verborum pro periodo dicta Cic. Brut. 44. vid. voc. *ambitus*, et cf. Orat. 67. vbi Cicero aliam quoque metaphoram addidit a *crepidine* ductam, cui tanquam fundamento innititur aedificium, ne collabatur. „Omnia, inquit, tanquam crepidine quadam, comprehenſione longiore ſuſtinentur." Haec nempe opponit iis, quae membratim et per inciſa dicta eſſent. Georg. Trapezunt. Lib. 5. Rhet. Hermogenem ſecutus *comprehenſionis* ſpecies quasdam facit *circuitum* et *ambitum*, his vſus definitionibus: *comprehenſio* eſt duorum aut plurium membrorum ad abſoluendam ſententiam inter ſe cum dependentia compoſitio: *circuitus* eſt totius orationis rotunda et coacta denſa cum frequentatione verborum compoſitio: *ambitus* eſt membrorum inter ſe ad abſoluendum ſenſum ſine vi et commoratione comprehenſio. Eidem comprehenſioni ſubiicit etiam *productionem ſpiritus*, et *continuationem*, πνεῦμα et περιβολὴν ab Hermogene appellatas. — Pro omni orationis contextu *comprehenſionem* Cicero dixit Or. 58. fin.

Concer-

Concertatorius. Concertatiuus.

Concertatorium dicendi genus, quod et *forenſe*, et *iudiciale* dicitur Cic. Brut. 83. oratoris ciuilis et forenſis proprium eſt, habetque vim et contentionem, ad animos mouendos flectendosque aptam, quae abhorret a ceteris generibus, vt hiſtorico et vulgari, in quo ſedatior, lenior, et ſimplicior oratio eſſe debet; *ἐναγώνιον λόγον* Graeci dixere, de quo vid. Lex. gr. techn. et infr. voc. *contentio.* — *Concertatiuam* autem *accuſationem* Latini quidem Rhetores dixerunt, quam Graeci *ἀντικατηγορίαν*, *mutuam* accuſationem Quintilianus appellat, cum litigatores vel idem crimen inuicem intentant, vel aliud atque aliud. Lib. 3, 10. et 7, 2. 9. ſqq. *Concertatiuam* cauſam quam dixerit Sulpicius Victor, ad voc. *cauſa* notauimus.

Conceſſio. Conceſſus.

Gr. *συγγνώμη*, forma aliqua defenſionis in ſtatu iuridiciali, *cum reus ſibi poſtulat ignoſci.* Ea diuiditur in *purgationem*, et *deprecationem.* Ita A. Herenn. 1, 14. De eadem Cic. Inu. 1, 11. *conceſſio eſt*, inquit, *cum reus non id quod factum eſt defendit, ſed vt ignoſcatur, poſtulat.* vid. voc. *iuridicialis*, et Inuent. Lib. 2, 31. vbi vberius id genus explicatur. Eſt et illud genus *conceſſionis*, qua figurate, h. e. cum aliqua indignatione et affectu odii concedimus, vt quod velit quis faciat. Hanc vim Iul. Rufin. p. 28. Graecorum *ἐπιτροπῇ* tribuit. — *Non conceſſum* argumentationis genus, eoque vitioſum, Ciceroni Inuent. 1, 49. dicitur, *cum id, quod augetur, in controuerſia eſt.*

Conciliatio.

Hanc in figuris elocutionis commemorat Cic. Or. 3, 53. ad quem locum Strebaeus hoc exemplum adfert: „Fide ſapientiaque veſtra fretus plus oneris ſuſtuli, quam ferre me poſſe intelligo.“ Quintilianus autem Lib. 11, 3. 154. *conciliatio*, inquit, aut commendatione morum, aut orationis ſuauitate conſtat. Latius autem patet illa conciliatio, quae ad omnem oratoris artem pertinet, multumque ad vincendum valet; de qua elegans disputatio eſt Antonii apud Cic. de Or. 2, 43.

Concin-

Concinnitas.

Orationis ille habitus, qui in concinnitate cernitur, ita comparatus eſt ex veterum Rhetorum ſententia, vt vtrum in vitio an in laude ponatur, ſingulis in locis diſpiciendum ſit. In vniuerſum autem ornatus venuſtatisque accurationem, artisque captationem ſignificat, habetque locum in iis omnibus dicendi formis, in quas certa aliqua verborum, vel ordinis, vel interualli, vel magnitudinis dimenſio cadit. Qui ergo de induſtria hoc agit, vt v. c. verba verbis quaſi demenſa et paria reſpondeant, vt crebro conferantur pugnantia, comparenturque contraria, vt pariter extrema terminentur, eundemque in cadendo ſonum referant (Gr. *παρισώσεις*, *ὁμοιοτέλευτα*, *ἀντίθετα*, *παρομοιώσεις*) is, ſi quidem in eo genere orationis verſatur, quod has ornandi argutias nec deſiderat nec fert, in *concinnitatis* vitium incurrere, vel concinnitati ſtudere dicitur. Nam in eo genere, quod *ἐπιδεικτικὸν* Graeci vocarunt, quodque, vt Cicero ait, quaſi ad inſpiciendum et delectationis cauſa comparatum eſt, venia datur concinnitati ſententiarum, iudice eodem Cicerone Or. 12. Cum omni hoc loco comparandus eſt Iſocrates in Panathen. p. 684. ed. Wolf. vbi de eadem concinnitate ſimillimo modo loquitur. Sed definitius etiam *concinnitatem* dictam fuiſſe Ciceroni eam partem collocationis, qua forma ipſa verborum orbem ſuum quendam conficiat, patet ex Orat. 60. vbi *collocationis* tres partes ponit, *compoſitionem*, *concinnitatem*, et *numerum*. Has autem partes Cap. 44. ita luculentius expoſuerat: „collocabuntur igitur verba, inquit, vt 1) aut inter ſe quam aptiſſime cohaereant extrema cum primis, (h. e. compoſitio) 2) aut vt forma ipſa concinnitasque verborum conficiat orbem ſuum (h. e. concinnitas) aut 3) vt comprehenſio numeroſe et apte cadat (h. e. numerus). Deinde Cap. 65. *formae quaedam ſunt orationis*, inquit, *in quibus ea concinnitas ineſt*, *vt ſequatur numerus neceſſario.* Iam figuras illas nominat, quas ſupra commemorauimus. cf. Or. 6. vbi ſcriptoribus *concinnis* haec vis tribuitur, vt ſint faceti, florentes, et ornati, iisque *impoliti* opponantur, qui rudium et imperitorum orationem imitentur. cf. Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 25. p. 343.

Concio.

Conciones.

Conciones non ſolum dictae ſunt orationes in concionibus ſeu populi publicis conuentibus habitae, ſed etiam κατ' ἐξοχὴν, vt δημηγορίαι Graecorum (v. Lex. gr. tech. in h. v.) orationes illae, quas hiſtoriis interſerere, Thucydidis exemplo, ſolebant. Vnde opponebantur *orationibus*, iis nimirum, quae in foro et iudiciis habebantur. Sic Plin. Ep. 1, 16. de Saturnino: „in hiſtoria magis ſatisfaciet vel breuitate vel luce vel ſplendore etiam et ſublimitate narrandi. Nam in *concionibus* eadem quae in *orationibus* vis eſt, preſſior tamen et circumſcriptior et adductior." Et Cicero Or. 9. de Thucydide: „ipſae illae *conciones* ita multas habent obſcuras abditasque ſententias, vt vix intelligantur, quod eſt in oratione ciuili vitium vel maximum. Idem tamen in Bruto 83. easdem ſimpliciter *orationes* appellat. cf. Iuſtin. Hiſt. Lib. 38, 3. vbi Troium Pompeium tradit reprehendiſſe in Liuio et Salluſtio, quod *conciones* directas pro ſua oratione operi ſuo inſerendo, hiſtoriae modum exceſſerint. v. Berger de nat. pulcr. or. p. 145. ſqq.

Conciſus.

Cicero *conciſum* in oratione omnino dicit, quod nimia breuitate efferatur, ita vt non tam breuitati ſeruitum ſit, ſed magis venuſtati; vid. Or. 2, 80. *Kürze, als Wirkung einer abſichtlichen Künſteley, oder Affectation.* Itaque etiam Quintilianus Lib. 4. vlt. in vitio ponit *partitionem conciſam*, quae plures iuſto partes easque minutas faciat. *Nam et auctoritati*, inquit, *detrahunt minuta illa, nec iam membra ſed fruſta, et huius gloriae cupidi, quo ſubtilius et copioſius diuiſiſſe videantur, et ſuperuacua aſſumunt, et quae natura ſingularia ſunt, ſecant, nec tam plura faciunt, quam minora.* Vnde et in pronuntiatione vetat, ne ſpiritus crebro receptus *concidat* ſententias Lib. 11, 3. 53. et §. 107. *concidere actionem*, nimio manuum aut corporis motu, cui contrarium vitium eſt, ſi *manus otioſa* ſit. — Apud Cur. Fortunat. Rhet. p. 61. genus narrationis commemoratur *conciſum*, cum res geſtae, quoniam nobis obſunt, non continua narratione ſignificantur, ſed per totam orationem per paruas partes ſparguntur

guntur et quaſi conciduntur, vt ſtatim ſingulis occurramus, quod in narratione facere non poſſumus.

Concludere.

Cum Rhetores ad concinnitatem et numerum orationis inprimis etiam hoc referrent, vt ſententiae in fine apte caderent, et iucunde terminarentur, hinc nata illa quoque metaphora eſt, qua dicerentur *numeri aperte concluſi*, cum orationis partes et membra cum tanta numeri et rhythmi cura et concinnitate poſita et iuncta eſſent, vt artificium et ſtudiumo rnandi appareret, et in oratione verſuum quorundam, et poeticae concinnitatis ſimilitudo deprehenderetur. Tales numeri ſunt, quos παρισώσεις, παρομοιώσεις, ὁμοιοτέλευτα, et ſimiles formae dicendi, afferunt. Nam in his ſimiles verborum, ſententiarumque exitus (*Reimähnliche Harmonie*) et fines quaeruntur. Ita Cic. Brut. 79. in Calidii oratione laudat, *quod numeris, non aperte, nec eodem modo ſemper, ſed varie disſimulanterque concluſis adſtricta fuerit.* Scilicet artem celare et disſimulare, etiam in hac re ſummae artis eſt. — Faciliori ſenſu Quintil. 9, 4. 125. periodum praeſtare debere dicit, vt *ſenſum concludat.* Vnde et *comprehenſionem* Rhetores pro periodo dixerunt, quoniam, ſi iuſta et abſoluta eſt, totum aliquem ſenſum ſuo veluti orbe et ambitu comprehendere debet. Et Cic. Or. 5. *concluſam, terminatam*que orationem non alio ſenſu dixerat.

Concluſio.

Primum *concluſio* dicitur, quem ἐπίλογον Graeci vocarunt, *artificioſus terminus orationis*, tribus partibus, enumeratione, amplificatione, commiſeratione conſtans, vt eſt ap. Auct. Herenn. 1, 2. et 2, 30. Similis eſt Ciceronis de Inu. 1, 50. definitio: „*Concluſio* eſt exitus et determinatio totius orationis, habetque tres partes, enumerationem, indignationem, conqueſtionem. Deinde in figuris etiam elocutionis commemorat *concluſionem* A. Herenn. 4, 30. *quae breui argumentatione ex iis, quae ante dicta ſunt, aut facta, conficiat id, quod neceſſario conſequatur.* Cicero autem Or. 3, 53. *rationis aptam concluſionem* inter lumina vel figuras ſententiarum refert. Ad quem locum Strebaeus hoc exemplo vtitur: „Quodſi pro republ. oportere accedere

cedere ad periculum, et ratione demonſtratum eſt, et exemplo comprobatum: ii ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriae periculum vitant." — Porro *ſententiarum concluſio* pro periodo dicta Cic. Or. 5(. Latius vero patet ea, quam Lib. 2. de Or. Cap. 8. et alibi *verborum concluſionem* appellat. Nam rhythmum et numerum orationis intelligit: Strebaeus quoque de clauſula apte et ſuauiter cadente accepit. Sic Lib. 3. 44. quem cantum et verſum, item verborum numerum, et vocum modum dixerat, mox *vocis moderationem*, et *verborum concluſionem* appellat. vid. voc. *concludere.* Denique, cum Quintil. Lib. 10, 2. 17. reprehendit eos, qui *praeciſis concluſionibus* obſcuri, Salluſtium et Thucydidem ſuperare exiſtiment, de ἀποδόσεσι cogitandum eſt, quas, qui breuitatis nimiae vel acuminis cauſa omittunt, obſcuram orationem reddunt, quam inde ἀνταπόδοτον, ἀνακόλουθον et δυσπαρακολούθητον Graeci dixerunt. vid. Lex. Gr. techn. in h. vocc.

Concurſio. Concurſus.

In eadem verba impetus et concurſio, figura elocutionis a Cicerone memorata de Or. 3, 54. Capperonerius ad Quintil. 9, 1. intelligit Graecorum συμπλοκήν, cuius exemplum eſt Ciceronis pro Mil. „*Quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius.* Sic et Strebaeus. cf. Quint. 9, 3. 31. — Alia eſt *vocum*, ſ. vocalium literarum *concurſio*, vnde vel hians vel aſpera oratio redditur, de qua vid. Cic. Or. 44. ſqq. Idem *concurſus* etiam vocalium dicitur Quintil. 9, 4. 33. *qui, cum accidit*, inquit, *hiat et interſiſtit et quaſi laborat oratio.* — Alius *concurſus oris* eſt eorum, qui, ſi inter dicendum aut memoria fefellerit, aut cogitatio non ſuffragetur, labiis trepidant. Itaque Quintil. 11, 3. 56. hanc quoque *cum verbis colluctationem* appellat, et alio loco §. 121. *cum ore concurrente rixari.* cf. Seneca de Benef. 2, 1. de Ira 3, 15. pr. Epiſt. 11. quae loca Geſnerus ad Quintil. 10, 7. 8. laudauerat. Creſollius in Vacatt. Autumn. Lib. 2. p. 225. haec habet: „Qui timidi ſunt et verecundi, iis facile labra coeunt, et aegre diducuntur, quod Latini ſcriptores *os concurrere*, ſiue *labra* dicere ſolent. Sunt autem eiusmodi homines in periculo, ne compreſſa nimium labia, dum volunt poſtea diducere, ſonitum edant, quod graecae eruditio-

eruditionis auctores *βαμβαλεῖν* dicunt, h. e. *ψοφεῖν τοῖς χείλεσι*, vt docti monuerunt."

Condimenta.

Genera illa et modi dicendi, ex quibus oratio ſuauitatem et venuſtatem trahit, quales ſunt in facetiis, lepore, vrbanitate etc. v. Cic. Or. 2, 67. et Lex. Gr. techn. in voc. *ἥδυσμα*.

Conduplicatio.

Figura elocut. cum ratione amplificationis aut commiſerationis, eiusdem vnius aut plurium verborum iteratio. Ita definit Auct. Herenn. 4, 28. cf. Lex. gr. techn. in vocc. *ἐπίζευξις*, *ἐπαναδίπλωσις*, *παλιλογία*, quibus Graeci illam formam ſignificarunt. Affinis illi figurae eſt, quam idem Rhetor *interpretationem* vocat, quae non iterans idem redintegrat verbum, ſed id commutat, quod poſitum eſt, alio verbo, quod idem valeat. Cicero eandem innuit de Or. 39. his: *cum verba duplicantur*, vel *geminantur*, vt ait Quintil. 9, 3. 28. vel amplificandi vel miſerandi gratia. vid. *replicatio.* — Iul. Rufinian. p. 30. *duplicationem* interpretatur *ἀναδίπλωσιν*, qua idem verbum continuatim repetatur. vid. voc. *incluſio.*

Confirmatio.

Auct. Herenn. 1, 3. *Confirmatio*, inquit, eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeueratione. Ciceroni de Inu. 1, 24. dicitur *ea pars orationis, per quam argumentando noſtrae cauſae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio.* Sequitur ibi vberrimus locus de iis rebus, ex quibus argumentatio omnis, cauſarum ſingulis generibus apta, conficiatur. De hac *confirmatione,* quae in partibus orationis tertium locum poſt narrationem occupat, copioſius agit Quintil. 4, 3. „*Probanda* ſunt, ait, quae propter hoc expoſuimus," h. e. narrationem cauſae ſequi debet *confirmatio* earum rerum quas narrauimus. Quod Quintil. plerumque *confirmare* dicit, alio loco Lib. 5, 1. etiam *alleuare* nominat.

Conformatio.

Auctori Herenn. 4, 53. *conformatio* dicitur, cum aliqua quae non adeſt, perſona confingitur, quaſi adſit, aut cum res muta aut informis fit elegans, et formata, et ei oratio tribuitur ad dignitatem accommodata aut actio quaedam. Deſcribitur in his *προσωποποιΐα*, coniuncta cum *εἰδωλοποιΐα* et *ἠθοποιΐα*, de quibus cf. Lex. gr. techn. — Cicero autem ea voce vtitur, vt notet, quas vulgo *figuras* ſententiarum, Graeci *σχήματα διανοίας* vocant, vt Cic. Brut. 37. et Or. 39. vbi *conformatio ſententiae* dicitur. cf. Quintil. 9, 2. et Clau. Ciceron. in h. v.

Confragoſus.

Verſus et voces *confragoſas* Quintil. 1, 1. fin. appellat, in quibus ex pluribus et aſperrime coeuntibus inter ſe ſyllabis magna difficultas pronuntiandi naſcitur. Metaphora luculenter translata ex aquis, quae inter obſtantia ſaxa ſe *frangunt*, et reluctantur: vnde illi generi oratio *aequabiliter fluens* opponitur. v. voc. *fuſus*. Lib. 9, 4. 116. etiam *fragoſis*, *lenia*, et 8, 5. 29. *inaequalia* et *confragoſa* ita *eminentibus* opponuntur, vt illa in vitio, haec in virtute ſint. Nam ad illa impingimus et offendimus, haec admiramur. vid. Berger de nat. pulcr. Or. p. 338. ſq. vbi hoc omne genus dicendi, numeris et ſuauitate et concinnitate carens, ſcriptorum veterum recentiorumque exemplis apte illuſtrat. Similis metaphora eſt, qua Sidon. Apollin. Lib. 9. epiſt. aſperitatem illam orationis ſignificat, cum *orationem ſalebroſas paſſam iuncturas, per cameram palati volutatam balbutire* dicit. cf. Senec. Ep. 100. Itaque et Quintilian. 11, 2. 46. orationem *ſalebroſam* et *reſiſtentem* dicit, quae memoriae vitio vel negligentia interrumpitur: *der ſtockende Vortrag eines Redners, der ſchlecht memorirt hat.* Eandem mox *deformem haeſitationem* appellat.

Confuſio. Confuſus.

Simplex et vndique praeciſa narratio, inquit Quintilianus 4, 2. 47. non tam *narratio* vocari poteſt, quam *confuſio*. vid. Lex. gr. techn. in voc. *σύγχυσις*, ex qua illa expreſſa videtur. Hinc *confuſa* oratio Ciceroni

ceroni Or. 3, 13. eſt obſcura, ex negligentia ordinis, in qua nihil ſit primum, nihil ſecundum: vnde et *perturbata* dicitur: *verwirrt, undeutlich.* Ei oppoſita eſt *clara, pura, dilucida*, metaphoris ab aqua vel turbida, vel clara, vel pellucida ſumtis. cf. Cap. 10. l. c. Iam intelligi poterit, quale ſit vitium vocis et pronuntiationis, quod Plin. Ep. 4, 7. *confuſum os* appellat. Ei contrarium *os planum* commemorat idem Lib. 6. ep. 11. hoc eſt, interpretante Geſnero, quod ſingula verba recte explicet, ſyllabas non obſcuret, aut deuoret etc.

Confutatio.

Auct. Herenn. 1, 3. *confutatio* eſt, ait, contrariorum locorum diſſolutio. Graeci etiam λύσιν dixerunt, vt docuimus in Lex. gr. techn. ad voc. λύσις. vid. infr. *reprehenſio.* Etymologiam vocabuli docte expoſuit Voſſ. Inſtit. Rhet. Lib. 3. p. 379. ſq.

Congeries.

In collocandis tractandisque argumentis *congeries* dicitur, cum omnia argumenta, vt fortius aduerſarium feriant, in vnum locum conferuntur et colliguntur, quam et *turbam* et *contextum* dicunt, cui contraria ratio eſt, quum argumenta *disſoluuntur* per partes vel *diducuntur.* Has omnes metaphoras in vno loco adhibet Quintil. 5, 13. 12. ſqq. —

Similis eſt *congeries* verborum et ſententiarum idem ſignificantium, quae amplificationem in elocutione efficit, docente Quintil. 8, 4. 26. Haec ratio amplificandi, ab illa, quae Graecis συναθροισμὸς dicitur, et inter figuras commemoratur, ita diſcrepat, vt haec vnius tantum rei multiplicationem, illa autem plurium rerum congeriem praeſtet. Ad alterutrum genus haud dubie pertinet, quam *conſummationem* dicit Quintil. 9, 2. 103. διαλλαγὴ a Gorgia Rhetore dicta, *cum plura argumenta ad vnum effectum deducuntur*, vel etiam *cum in digitos diducuntur*, vt ait Lib. 11, 1. 53. vbi aptior lectio eſſe videtur Cod. Goth. *deducet.* —

Ad *congeriem* etiam referre nonnulli ſolent formam illam orationis, qua *verba idem ſignificantia congregantur*, quam adfert Quintil. 9, 3. 45. vt in his: *Catilina, perge quo coepiſti, egredere ex vrbe, proficiſcere.* Item: *abiit, exceſſit, erupit, euaſit.* Hanc ta-

 men

men formam notat a Caecilio *pleonaſmum* dici, quae ſit abundans ſupra neceſſitatem oratio. Eandem etiam *pleonaſmo* vim tribuit Aquila Rom. de Fig. eloc. p. 23. Pith. „neceſſarius, inquit, huius figurae vſus in eo eſt, vt verba quidem adiiciamus, non tam enuntiandae rei neceſſaria, quam vt ex his magnitudo vel dignitas, vel moralis aliqua commendatio, aut denique ſpecies motura iudicem circumponatur. Alioquin, ſi nihil eorum additio verbi efficiet, vitioſa erit.“ De eodem genere augendae orationis cf. Gellius 13, 24. vbi *exaggerationem* appellat, cum verba vel ſententiae idem ſignificantes cumulantur: id quod multis Graecorum et Latinorum exemplis oſtenditur. vid. quae ad vocc. *Percurſio* et *Coaceruatio* dicta ſunt.

Coniectura. Coniecturalis.

Status, ſ. conſtitutio cauſae *coniecturalis*, Graecorum στοχασμὸς, Latinis Rhetoribus dicitur, cum de facto controuerſia eſt et coniectura rerum quaeritur. Sic A. Herenn. 1, 11. Vnde et *infitialis* hic ſtatus vocatur, quoniam factum negatur, vt habet Cic. Top. 24. cf. Partit. Or. 29. et Quintil. 3, 6. Alio loco idem ille Auctor Lib. 2, 2. primam et difficillimam hanc cauſam coniecturalem dicit, ibidemque ſex eius conſtitutionis partes numerat, *probabile*, *collationem*, *ſignum*, *argumentum*, *conſecutionem*, *approbationem*, quorum ſingulorum vis ſuis locis explicabitur. De ea conſtitutione vid. Cic. Inu. 1, 8. et vberius eius locos explicatos Lib. 2, 5. Ibi, *omnis coniectura*, inquit, *ex cauſa*, *ex perſona*, *ex facto ipſo*, *capienda eſt*. *Cauſa* distribuitur in *impulſionem*, et *ratiocinationem*. Ex *perſona* coniectura capietur, ſi eae res, quae perſonis attributae ſunt (v. Lib. 1, 24.) diligenter conſiderabuntur. Ex *facto* ipſo ſuſpiciones ducentur, ſi totius adminiſtratio negotii ex omnibus partibus pertentabitur. cf. Partit. Or. Cap. 10. vbi locos coniecturae ſeparatim et per partes ſingulas explicat, quarum omnium haec duo genera vniuerſa ponit, vt coniecturam vel in *veriſimilibus*, vel in *propriis* rerum notis poſitam ſtatuat.

Coniugatio.

Locus eſt argumentandi in Topicis *ex coniugatione*, cum argumentum aliquod ex verbis coniugatis, ſenſu

ſenſu grammatico, ducitur, vt *pluuia*, *pluere*, *compluuium*. vid. Cic. Top. 9. Quintil. 5, 10. 85.

Coniungere.

Coniungere vocales, apud Cic. Or. 44. eſt, contrahere, ita vt altera vocalis elidatur. „Nemo ita ruſticus eſt, inquit, qui *vocales* nolit *coniungere*.“ Eſt ergo deſcriptio *eliſionis*, quam συναλοιφὴν Graeci dixere. vid. Lex. gr. techn. in h. v. et Quintil. 10, 4. 36. Contrarium illi eſt apud Cic. l. c. *distrahere voces*, h. e. per hiatum, et ſine eliſione pronuntiare.

Conqueſtio.

In pronuntiatione oratoria, Auctori Herenn. 3, 13. *conqueſtio* dicitur oratio, quae incommodorum amplificatione animum auditoris ad miſericordiam perducit. — Ciceroni de Inu. 1, 52. dicitur tertia pars concluſionis, ſ. epilogi, eſtque oratio auditorum miſericordiam captans, quam Auctor. Herenn. *commiſerationem* dixerat. vid. Lex. gr. techn. in vocc. ἔλεος, et σχετλιασμός. Locos, e quibus auditorum miſericordia captari poſſit, ſedecim recenſet Cic. l. c. Cap. 55.

Conſecutio.

In variis modis tractandae cauſae coniecturalis, et coarguendi quidem in ea cauſa aduerſarii, numeratur etiam *conſecutio*, quae hanc vim habeat, vt quaeratur, *quae ſigna nocentis et innocentis conſequi ſoleant*. v. Auct. Herenn. 2, 5.

Conſiſtere.

Rhetores Latini, inprimis ſeriores, ex graeco συνιστάναι et ἀσύστατον, *conſiſtere cauſam vel controuerſiam* dixere, ſi ea iudicio et disceptationi apta eſſet, et in ea locum haberet intentio et depulſio. Sic Cur. Fortunat. Rhet. Schol. p. 39. et Gell. N. A. 5, 10. vbi vid. Gronou. Inde etiam haud dubie *conſtitutio* dicta, quamuis ea iam ab antiquioribus Rhetoribus vſurpata vox eſt. v. voc. *conſtitutio*. cf. Sulpic. Vict. Inſt. Orat. p. 242. Pith. qui Zoilum ſecutus eſt cum aliis Graecis, et inprimis Georg. Trapezunt. Lib. 1. Rhet. p. 8. ſqq. ed. Ald. vbi ἀσυστάτων, quae *inconſiſtentia* appellat, haec e graecis maxime conuerſa genera ponit:

nit: *vnicum* (*μονομερὲς*) *aequale* (*ἰσάζον*) *conuertibile* (*τὸ κατὰ τὸ ἀντίστροφον*) *inexplicabile* (*ἄπορον* v. Gell. 9, 15.) *non veriſimile* (*ἀπίθανον*) *impoſſibile* (*ἀδύνατον*) *turpe* (*ἄδοξον* vel *ἀπρεπὲς*) *ſine circumſtantia* (*ἀπερίστατον*) *ſine colore* (*ἄχρωμον*) *impenſum* (*ἑτερορεπὲς*) *erraticum* (*παρ' ἱστορίαν*) et *praeiudicatum*. Horum ſingulorum vis et ſenſus partim a nobis in Lexico gr. technol. declaratus, partim ex ipſis Trapezuntii libris petendus eſt.

Conſolatio.

Cic. Or. 3, 55. *conſolatio* dicitur id genus dicendi vniuerſum, quod conſolandi cauſa inſtituitur: *die Troſt-Rede, der Vortrag des Tröſters.*

Conſtitutio.

Explicante Auctore Herenn. 1, 11. *conſtitutio cauſae* (gr. *στάσις*) eſt *prima deprecatio defenſoris, cum accuſatoris inſimulatione coniuncta.* Hinc tres *conſtitutiones* ſtatuit, ex diſciplina quidem Hermetis doctoris, ſ. vt alii legunt, Hermagorae. *coniecturalem, legitimam, iuridicialem*, de quibus ſuo loco dicetur. — Cicero de Inuent. 1. 8. *conſtitutionem* vocat, *quaeſtionem ex qua cauſa naſcitur*, definitque *primam conflictionem cauſarum ex depulſione intentionis profectam.* Quatuor numerat conſtitutiones, ex controuerſia *facti, nominis, generis, actionis*, quarum prima *coniecturalis*, ſecunda *definitiua*, tertia *generalis*, quarta *translatiua* appellatur, gr. *στοχασμὸς, ὅρος, ποιότης, μετάληψις*, de quibus in Lex. gr. techn. copioſius dictum eſt. Cum autem Cicero multa in Libris de Oratore mutauit, accuratiusque et elegantius docuit, quam in illis Rhetoricis Libris fecerat, tum Lib. 2, 25. tria tantum conſtitutionum genera, *coniecturale, generale*, et *definitiuum* deſcribit, in quibus ſit vel controuerſia *facti*, vel *generis*, vel *nominis.* Et Cap. 26. „Ita ſunt, inquit, tria omnino genera, quae in diſceptationem et controuerſiam cadere poſſint, 1) quid fiat, factum, futurumque ſit (h. e. *coniecturale*) 2) quale ſit, (*generale*) 3) quomodo nominetur (*definitiuum*). Nam et illud quidem, quod quidam Graeci adiungunt, rectene factum ſit, totum in eo eſt, quod, quale ſit, quaerimus.“ vid. quae a nobis dicta ſunt in voc. *iuridicialis.* — In Topicis autem Cap. 25.

primum

primum *στάσιν* interpretatur *ſtatum*, quo verbo deinde ceteri etiam Rhetores vſi ſunt: „*refutatio accuſationis*, ait, *in qua eſt depulſio criminis, quae Graece στάσις dicitur, Latine appelletur ſtatus: in quo primum inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio*. Hunc locum adfert Quintil. 3, 6. 13. qui ibi ita ſtatuit: „Quod nos *ſtatum*, id quidam *conſtitutionem* vocant, alii *quaeſtionem*, alii *quod ex quaeſtione appareat*. Theodorus *generale caput* (*κεφάλαιον γενικώτατον*) ad quod referantur omnia. Appellatio autem (ſcil. *στάσεως* vel *ſtatus*) dicitur ducta vel ex eo, quod ibi ſit primus cauſae congreſſus, vel quod in hoc cauſa conſiſtat." Idem porro contendit, *ſtatum* non eſſe ipſam cauſarum conflictionem, ſed potius id, quod ex prima conflictione naſcatur. Ita v. c. prima conflictio haec ſit: *feci, non feci*. Hinc naſcitur *ſtatus*, quo quaeritur, *an fecerit?* et quidem *ſtatus coniecturalis*. Ex opinione Quintiliani, quam ibid. §. 21. adfert, *ſtatus cauſae eſt, quod eſt in ea potiſſimum, et in quo maxime res vertitur*. — In ſtatuum numero conſtituendo, quantum veteres Graeci inprimis Rhetores a ſe inuicem diſcrepauerint, docuit Quintil. l. c. vbi plurimorum, qui tres ſtatus generales faciebant, ſententiam amplectitur; quamuis et eos recenſet, qui quatuor, quinque, ſex, ſeptem et octo ſtatuum genera feciſſent. Negat enim vllam iuris diſceptationem eſſe, quae non poſſit, *finitione, qualitate, coniectura*, explicari. Sunt tamen nonnulla alia loca, in quibus quatuor ſtatuum genera vel commemorat vel probat. Libro 5, 14. 3. ita ſtatuit: „aut *negandum*, aut *defendendum*, aut *transferendum*: extra haec in iudiciis fere nihil eſt." Iam *negandi* forma eſt duplex, 1) aut non eſſe factum; quod eſt *coniecturae;* 2) aut non hoc eſſe quod factum ſit; quod eſt *finitionis*. *Defendendi* autem ratio ad ſtatum *qualitatis*, *transferendi* ratio ad actionis controuerſiam, ſ. *translationem* pertinet. Eodem modo Lib. 7, 5. init. quatuor genera conſtitutionum his verbis deſcribit: „Qui neque feciſſe ſe negabit, (*coniectura*) neque aliud eſſe quod fecerit, dicet, (*finitione*) neque factum defendet, (*qualitate*) neceſſe eſt in iure ſuo conſiſtat: in quo eſt *actionis* quaeſtio. Inprimis autem luculenter vim iſtarum quatuor conſtitutionum explicat Lib. 3, 6. 83. „Diſcant igitur ante omnia, *quadripartitam* in omnibus cauſis eſſe rationem,

quam primum intueri debeat, qui acturus eſt. Nam vt a defenſore incipiam, longe fortiſſima tuendi ſe ratio eſt, *ſi quod obiicitur, negari poteſt:* proxima, *ſi non id, quod obiicitur, factum eſſe dicitur:* tertia honeſtiſſima, *qua recte factum oſtenditur.* Quibus ſi deficiamur, vltima quidem, ſed iam ſola ſupereſt ſalus, aliquo iuris adiutorio elabendi ex crimine, quod neque negari, neque defendi poteſt; vt non videatur *iure actio intendi.* Hinc illae quaeſtiones, ſiue *actionis*, ſiue *translationis.*" — Sulpicius Vict. in Inſtitt. Rhet. p. 250. *ſtatum* dicit ſummam quaeſtionem, ad quam referenda ſit omnis oratio. Deinde Graecorum rationem ſecutus, ſtatus diuidit in *rationales* et *legales*, illisque attribuit *coniecturam, finem, qualitatem, translationem*, his autem legalibus quatuor partes adſignat, *ſcriptum et voluntatem, leges contrarias, collectionem, ambiguitatem.* cf. Aurel. Auguſtin. Princ. Rhet. p. 293. Caſſiodori Comp. Rhet. p. 337. et quae diximus ad voc. *quaeſtio.* Idem ille Auguſtinus mox p. 295. ita etiam vocabulum *ſtatus* explicat, vt ſimul metaphoram ex re gladiatoria et arena pugnantium ductam ſignificet. „Quam nos adhuc, inquit, *quaeſtionem* diximus, alii *ſtatum* nominarunt, ab eo videlicet, quod in ea et exordium quaeſtionis et ſumma conſiſteret. Primo enim quaſi eminus, cum hinc dicatur factum eſſe, inde non eſſe factum, nulla pugna eſt, ſed futurae pugnae meditatio. Deinde cum propius acceſſum eſt, et quaſi ad manus ventum, altercationi et contentioni mutuae media quaeſtio interuenit, ſit nec ne factum. In ea vterque *conſiſtit*, omiſſo quod ante dicebat: vnde ei quaeſtioni *ſtatus* nomen impoſitum eſt." cf. Iſidor. Art. Rhet. p. 357. et Georg. Trapez. Lib. 1. Rhetor. p. 10. Ald. qui in hac quidem de conſtitutionibus diſciplina nihil fere habet, in quo a veterum technologia recederet; et Voſſ. Inſt. Rhet. Lib. 1. p. 116. ſq.

Conſultatio. vid. *Quaeſtio.*

Conſummatio. vid. *Congeries.*

Contentio.

Quot in homine virium intendendarum modi cogitari poſſunt, totidem fere ſunt, quos in oratore obſeruatos

ſeruatos *contentionis* vocabulo Rhetores etiam Latini expreſſerunt. Quo primum illud pertinet, quod, vt Graecis ἀγῶνες, ita Latinis *contentiones* cauſarum orationes forenſes, ciuilium oratorum propriae, dictae ſunt v. Cic. Or. 2, 17. et 56. vbi etiam pro altercatione dici videtur. Quintil. 5, 1. et alibi paſſim. Semper enim cum pugna, et acie, et certamine, omnis illa opera forenſis comparari ſolet, vt a Cic. de Orat. 1, 34. in Bruto 9. et 62. de opt. gen. Or. Cap. 6. a Quintiliano Lib. 10, 5. 16. ſqq. qui et materiis demonſtratiuis h. e. ἐπιδεικτικοῖς, opponit eas, quae ſint *in actu* et *contentione*, ſuaſorias et iudiciales cauſas. Plinius Epiſt. 7, 9. hunc ipſum *ſtilum pugnacem et bellatorium* appellat. Et Caſſius apud Senecam (Excerpt. Controu. 3. p. 398.) demonſtraturus, quid inter declamationem et orationem forenſem interſit, „totum aliud eſt, inquit, *pugnare*, et *ventilare*. Hoc ita ſemper arbitratum eſt, ſcholam quaſi ludum eſſe, *forum arenam*. Et ideo ille in foro primum dicturus, *tiro* dictus eſt.“ Sic et Aquila Rom. p. 22. ad figuram τȣ̃ ἀσυνδέτȣ, quod *ſolutum* appellat, „optabile eſt, inquit, elocutionis figuris modum adhibere, et iis maxime, quas diximus ad oſtentationem (ἐπίδειξιν) magis, quam ad *certamen* (ἀγῶνα) facere.“ cf. Cic. ad Att. 1, 16. Quare argumenta, quibus rem noſtram defendimus, a Quintiliano 4, 2. 102. *auxilia* dicta ſunt, verbo e media re militari petito. cf. Geſneri adnotatio ad hunc locum, quem, aliqua ex parte mendoſum, ita vel legendum, vel certe intelligendum eſſe puto: *ſi plura proderunt, etiam coniungere licebit, vt, quae obſtant, in medio, velut auxiliis noſtris interpoſita minus habeant virium.* Ex eodem fonte eadem argumenta etiam *praeſidia* vocat Cicero de Or. 2, 76. — Propria autem oratoris ipſius *contentio* dicitur, quae ineſt in vi quadam et vehementia dicendi, animis flectendis commouendisque apta. v. Cic. Brut. 59. Et Cap. 66. vbi *animi* et *vocis contentionem* diſerte diſtinguit. —

In voce et pronuntiatione, ab Auct. Herenn. 3, 13. *contentio* vocatur oratio acris, et quodammodo clamoſa, ad confirmandum inprimis et confutandum accommodata, oppoſitaque *ſermoni*, h. e. ſedatiori dicendi modo: *lebhafte Erhöhung der Stimme, doch ohne Ausdruck des Pathos*. vid. quae dicta ſunt ad voc. *amplificatio*.

plificatio, et *ſermo*. Sic et Cic. Or. 3, 45. „non alia, inquit, ſunt *ſermonis*, alia *contentionis* verba; neque ex alio genere ad vſum quotidianum, alio ad ſcenam pompamque ſumuntur.“ Itaque in pronuntiandis periodis longioribus *contentiones* et *remiſſiones* dicuntur, quas Graeci ἄρσιν et θέσιν vocarunt, de quibus vid. Cic. Orat. 1, 61. et de Offic. 1, 37. Ad *contentionem* vocis etiam hoc referendum eſſe, vt variis modis ac ſonis vox diſtinguatur, et euitetur quod Graeci τὸ ὁμότονον dixerunt, patet e loco Cic. Brut. 66. vbi de Craſſo: *animi magna, vocis parua contentio, omnia fere vt ſimiliter atque vno modo dicerentur.* Vnde et *contenta* vox eſt, qua atrociter dicitur Cic. Or. 17. —

Denique Auct. ad Herenn. 4, 13. *contentionis* vocabulo quoque ſignificat figuram verborum (σχῆμα λέξεως,) *cum ex contrariis verbis aut rebus oratio conficitur*, vel, vt Cap. 45. definit, *cum contraria referuntur.* Inter haec autem duo contentionum genera hoc intereſt, quod illud ex verbis celeriter relatis conſtat, in hoc ſententiae contrariae ex comparatione referuntur. Vtrumque ineſt in antithetis vel verborum, vel ſententiarum. v. Cic. Or. 3, 53. Quintil. 9, 3. 32. et 81. vbi et *contrapoſitum* appellat. cf. Lex. gr. techn. in vocc. ἀντίθεσις et ἀντίθετον.

Contextus.

Hanc vocem, cuius nota ſignificatio eſt vulgaris illa, qua de verborum ſententiarumque coniunctione, commiſſura et iunctura, vel tota oratione dicitur, vt ap. Cic. Partit. 23. et alibi paſſim, Quintilianus Lib. 9, 4. 129. cum *orbe* ita coniunctim adhibet, vt naturam periodi hiſtoricae definiat: „Hiſtoria, inquit, non tam finitos numeros, quam *orbem* quendam *contextumque* deſiderat.“ In quo quidem loco numeri *finiti*, qui et *concluſi* dici ſolent, periodo oratoriae et abſolutae proprii ſunt, quae omnem ſenſum ambitu ſuo comprehendere debet: *contextus* autem laxiorem quendam membrorum nexum ſignificat, qui magis rerum coniunctionem, quam artificioſum verborum et ſententiarum ambitum requirit. Haec eſt quam εἰρομένην λέξιν Ariſtoteles, *fuſum* et *tractum* orationis genus Cicero dixerat. vid. voc. *fuſus* et in Lex. gr. techn. voc. εἰρομένη. — Eandem fere metaphoram, a textura ductam, ſecuti ſunt,

ſunt, qui orationi *filum* aut mollius aut craſſius tribuerent, vt vel elegantiam et concinnitatem quandam illius, vel ſimplicitatem et exilitatem et aſperitatem ſignificarent. Sic Quintil. 9, 4. 17. Lyſiae dicendi *textum* tenue et rarum tribuit; de quo vid. ad voc. *tenuis.* cf. Macrob. Saturn. 6, 3. — Cicero Lib. 9. epiſt. 21. „epiſtolas, inquit, quotidianis verbis *texere* ſolemus.“ Neque alia metaphora eſt, qua Horatius *tenui* deducta poemata *filo*, et verſus *deducere* dixit, Epiſt. 2, 1. 225. et Sat. 2, 1. 4.

Continens.

Hoc verbo Cicero in Topic. 25. interpretatur, quod Graeci in diſciplina de ſtatibus τὸ συνέχον dixere, h. e. firmamenta quaedam defenſionis, quibus ſublatis defenſio nulla ſit. vid. Lex. gr. techn. in voc. αἴτιον. Quintilianus 3, 11. τὸ συνέχον, inquit, *continens* alii, alii *firmamentum* putant, Cicero *firmiſſimam argumentationem defenſoris*, et *appoſitiſſimam ad iudicationem.* Ibi haec addit: „verius et breuius, qui ſtatum et continens et iudicationem idem eſſe voluerunt: *continens* autem, quo ſublato lis eſſe non poſſit.“ In quo quidem loco affectatam circa rerum nomina ſubtilitatem reprehendit, inprimis Hermagorae, qui haec omnia minutius concidiſſet. Libro autem 7, 2. init: „de re quaeſtiones generales ſunt et definitae, id eſt, quae *non continentur*, et quae *continentur.*“ — *Continentia* verba Cic. Partit. 15. dicuntur, quae per coniunctiones iunguntur. — *Continentia* autem *cum ipſo negotio* Cicero de Inuent. 1, 26. appellat ea, quae ab re ſeparari non poſſunt, et ſemper ad eam affixa eſſe videntur. Ex his prima eſt breuis complexio totius negotii, quae ſummam continet facti: deinde cauſa eius ſummae, per quam, et quamobrem, et cuius rei cauſa factum ſit, quaeritur: deinde ante rem geſtam quae facta ſunt, vsque ad ipſum negotium: deinde, in ipſo gerendo negotio quid actum ſit: deinde, quid poſtea factum ſit.

Continuatus. Continuatio.

Multiplicem et ad omnes fere orationis partes pertinentem iſtorum verborum vſum Rhetorum Latinorum lectio oſtendebat. In ipſa elocutione *continuatio* primum Auctori Herenn. 4, 19. ſimpliciter definitur, *denſa*

denſa et continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum, eamque ille in figuris orationis, et exornationis generibus numerat. Cicero idem *continuatum* appellauit Lib. 3. de Or. 54. cf. Georg. Trapez. Lib. 3. Rhet. p. 74. *Continuatio* autem *verborum* apud Ciceronem vim habet periodi, ita in orbem veluti quendam fictae, vt prima cum vltimis vno quaſi filo conſtricta cohaereant: de Or. 1, 61. et Or. Cap. 25. in hoc praecepto: „*continuationem verborum relaxet et diuidat*,“ h. e. membra breuiora periodis intermiſceat. Quamuis Aquila Rom. de Fig. p. 161. ſq. Ruhnk. *continuationem perpetuae orationis*, et *continuatam* orationem dixit eam, quam *εἰρομένην λέξιν* vocarunt Graeci, Cicero *genus dicendi fuſum* et *tractum* appellauit. „*Vbi ſemper continuatur oratio, nec vllae quaſi reſpirationes* (ſic corrigendus eſt hic locus) *ex interuallis atque definitionibus periodorum interponuntur, et audientem et dicentem fatigat.*“ Anguſtiori vero etiam ſenſu dicitur, cum non ſingula et ſimplicia verba, ſed coniuncta et contexta ſecum inuicem enuntiantur; quam Graeci *συνέχειαν* vel *συνάφειαν*, *contextum* quendam dixerunt. v. Cic. Or. 3, 43. Nempe ſermo ibi eſt de ornatu orationis, qui non ex ſingulis verbis fit, ſed ex *continuatis coniunctisque*. Haec autem *continuatio* primum collocationem, deinde modum quendam et formam deſiderat, h. e. numerum, qui non in ſimplicibus, ſed in coniunctis verbis cernitur. Huc pertinet quoque, quod Auct. Herenn. 4, 18. *continuata* verba dixit, quae ita inter ſe nexa ſint, vt vis concludendi appareat. Sermo eſt de *contrario*, quod inter exornationis genera retulerat: „hoc genus, inquit, breuibus et *continuatis* verbis perfectum eſſe debet:“ *die Gegenſätze müſſen vermöge der Kürze der Sentenz leicht zu überſehen ſeyn, und ſchnell auf einander folgen, ohne durch irgend einen andern nicht dazu gehörigen Gedanken getrennt zu ſeyn.* Hanc mox *breuem* et *abſolutam concluſionem* appellat. —

Continuus numerus eſt, qui definitis pedibus, vt in metro poetico, conficitur, diuerſus ab oratorio, qui eſt ſolutior et remiſſior interuallis. Sic Cic. Or. 3, 48. Graeci eodem modo *μέτρα συνεχῆ* dixere, vt docuimus ad voc. *συνεχής* in Lex. gr. techn. Porro Auct. Herenn. 3, 13. contentionis illius, quae in voce et pronun-

pronuntiatione oratoria cernitur, duas partes facit, *continuationem* et *distributionem;* et illam quidam definit, *orationis enunciandae accelerationem clamoſam.* Ea nimirum tum locum habet, cum orator affectu concitatus, continuo et accreſcente impetu loquitur. Ipſe enim Rhetor, vocis modum in eo genere adhibendum deſcripturus, *in continuatione*, inquit, *adaucto mediocriter ſono vocis, verbis continuandis, vocem quoque iungere oportebit, et torquere ſonum, et celeriter cum clamore verba conficere, vt vim volubilem orationis vociferatio conſequi poſſit.* Id faciunt, qui, vt Cicero ait Or. 25. *aceruatim multa frequentantes, vna complexione deuinciunt.* —

Denique memoriae etiam virtus eſt, *continuare verba*, hoc eſt, ſine haeſitatione, et intermiſſione, ex memoria orationem proferre. Itaque Quintil. 4, 1. 61. haec coniunxit: *turbari memoria, et continuandi verba facultate deſtitui.*

Contortus.

Obſeruaſſe mihi videor, Ciceronem duplici iſtam vocem ſenſu adhibuiſſe, totidem metaphoris nixo, quarum vnam ex Graecorum loquendi conſuetudine, alteram vero ex fundo Latino promſiſſe videtur. Cum enim Graeci Rhetores vocibus *συστρέφειν*, *συστροφὴ*, *καταστρέφεσθαι* vſi eſſent, vbi breuitatis, rotunditatis, contractionisque notio ſignificanda erat, iisque τὸ πλατύνειν, διαβαίνειν, et μῆκος oppoſuiſſent, id quod copioſius in Lex. gr. techn. demonſtrauimus, Cicero primum *contortum* dixit, quicquid nimia breuitate elatum eſſet, ex eademque obſcuritatem vel difficultatem quandam traxiſſet. Huc pertinet praeceptum illud Lib. 1. de Inuent. cap. 20. ne quid in oratione perturbate, ne quid *contorte* dicatur, et de Or. 1, 58. vbi res *contortas* et *difficiles* ſimillimo ſenſu iunxit. Quamuis Graevius ad Herenn. 1, 9. vbi idem narrationis praeceptum occurrit, *contortam* narrationem de confuſione ordinis rerum explicat, quae rerum coniungendarum tranſpoſitione, et non neceſſariorum interpoſitione fiat; *perturbatam* autem ad temporum confuſionem refert; Aldus vero Manutius *contorte dicere* de hyperbatis intelligebat. — Neque abſimilis metaphora eſt, qua idem *implicatum* et *tortuoſum* in oratione dicit, quod obſcuri-

tatis

tatis et difficultatis vitio laborat, de Fin. 3, 1. — Deinde, cum apud Latinos *contorqueri* haſta vel iaculum diceretur, quod, ante quam emitteretur, manibus agitatum vibrabatur, vt eo maiore cum vi et vehementia et celeritate ferretur (cf. Virg. Aen. II, 52. VII, 165. XII, 49..) hinc, quicquid in oratione vehementius animos feriret, ſiue ob celeritatem pronuntiandi ex acuta breuitate ortam, ſiue ob impetum et ſpiritum et vim dicentis aliquo affectu concitati, id omne *contorqueri*, et *contortum* dictum eſt. Itaque Cicero in Orat. 20. *contortam* et *acrem* orationem oratoris forenſis, opponit hiſtoricorum rationi dicendi *tractae* et *fluenti* h. e. leniori, moderatiori, quoniam in ea magis perſpicuitas et explanatio et ordo, et concinnitas, quam vis et celeritas, aut impetus ſententiarum quaeritur. Et ibidem Cap. 70. „Demoſthenis, inquit, non tam vibrarent fulmina illa, niſi *numeris contorta ferrentur.* cf. Quintil. 9, 4. 116. vbi *lenibus* opponuntur *contorta:* his aures excitantur, illis mulcentur. — Lubet in hoc loco, quomodo diuerſae gentes ad vnam eandemque rem ſignificandam variarum rerum ſimilitudines arripuerint, variauerintque metaphoras, animaduertere. Graeci quidem, vt illam ſententiarum vim, neruoſamque veluti breuitatem notarent, etſi iis quoque verbis vſi ſunt, quae *contrahendi contorquendique* poteſtatem habent, tamen non de haſta vel iaculo vel tormento, ſed potius de ſerpentibus cogitarunt, quae vires ſuas contorquendo, et membra conglobando maxime augent et exſerunt. Itaque Demetrius de Eloc. 8. *λόγον ἐσπειραμένον πρὸς δεινότητα*, orationem *in gyrum tortam* dicit, contrariam *τῷ ἐκτεινχαμένῳ*, huiusque metaphorae fontem ita monſtrat: *οὕτως ἐκτεινόμενον* (ſc. *τὸ ῥηθὲν*) *ἐκλύεται τοῦ λόγου τὸ θυμικὸν καὶ σφοδρόν. ὥσπερ τὰ θηρία συστρέψαντα ἑαυτὰ μάχεται. τοιαύτη τὶς ἂν εἴη συστροφὴ καὶ λόγου, καθάπερ ἐσπειραμένου πρὸς δεινότητα.* h. e. *adeo extenſa diſſoluitur orationis iracundia: vt belluae, cum ſe contorſerint, pugnant: huiuscemodi eſt orationis breuis compreſſio, quae in gyrum quaſi torta ſit ob grauitatem.* Quis dubitet, domeſticam Romanae gentis, Marti addictae, armorum conſuetudinem, bellatoriamque indolem, eo etiam valuiſſe, vt dicendi vim contentionemque iis maxime metaphoris ſignificarent, in quibus pugnae, belli, aciei, telorumque ſimilitudo repe-

riretur?

riretur? vid. quae de huiusmodi metaphoris ad voc. *contentio* notauimus, et cf. Creſoll. Vacatt. Autumn. Lib. III. Cap. 24. ſqq. Neque mirum eſt, Graecos, Muſis potius quam Marti libantes, vt oratores vehementes, acres, contentioſos declarent, σάλπιγγας, κρουστικούς, ὑπερφωνοῦντας, βακχεύοντας, τυμπανίζοντας, et τὸ ὑψηχὲς τῶν λόγων commemorare, vt idem ille Creſollius pluribus exemplis docuit, et nos paſſim in Lexico noſtro technol. adnotauimus.

Contractus.

Contractum dicendi propoſitum, quid ſit apud Quintilianum, ad voc. *ſiccus* explicamus. — *Contrahi* etiam verba dicuntur Ciceroni Or. 45. cum in pronuntiatione vltima vocalis litera alterius verbi eliditur, propterea, quod ſequens verbum a vocali incipit: gr. συναλοιφή, de qua vid. Lex. gr. techn. Inprimis autem in voce *contractum* dicitur, cum vox non late ſe extendere ad ſonos graues acutosue pôteſt propter quasdam in faucibus anguſtias vel aliud incommodum: *Stimme von wenigem Umfange.* Cic. Or. 3, 57. Huic contrarium eſt *diffuſum*, *Stimme von weiten groſsem Umfange.* Sic et Quintil. 11, 3. 15. *contractam fuſae* opponit, vbi de naturali vocis habitu et indole ſermo eſt. Niſi forte et nunc *contractam* dixit vt *ſubmiſſam*, et veluti verecundam, vt quandam loquentis ſollicitudinem et naturalem timiditatem in vocis ſono etiam expreſſam indicare videatur. Sunt enim, quibus a natura talis tanquam ex metu et anxietate anguſta vox eſt: *Fuſam* autem, liberiori ſpiritu, et cum quadam confidentiae audaciaeque naturalis indicio prolatam: *die kleinlaute, gleichſam beklommene Stimme, im Gegenſatze der freyern, dreiſtern, unbefangenern.* Plane ita Quintil. §. 48. pronuntiationem ſententiae, ſollicitudinem et timorem quendam ſignificantis, *contractam* et *ſubmiſſam* poſtulat, quale commemorat illud Ciceronis: „*etſi vereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere.* Contra *latum* et *fuſum* appellat, quod in eodem Ciceronis exordio ſequitur: *non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt, vt ſolebat.* Ergo etiam vox et omnis pronuntiatio, qua haec dicuntur, *fuſa* tum erit, cum illa liberius, et contentius et veluti audacius enuntiantur. Quare etiam alio loco, in quo docet, quomodo

quomodo affectibus dicentis et rebus ipſis accommodanda vox ſit, §. 64. „in metu, inquit, et verecundia vox ſit *contracta:* at in egreſſionibus *fuſa* et *ſecurae claritatis.*“ Eodem ſenſu etiam §. 175. *ſummiſſa* et *contracta* vox iungitur, eique *erecta* et *concitata* opponitur.

Contrarius.

In figuris elocutionis Auctor Herenn. 4, 18. *contrarium* commemorat, hanc vim habens, vt *ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter et facile confirmet.* Aquila Rom. p. 18. id *oppoſitum e contrariis* vocat: gr. *ἀντίθετον.* cf. Cic. Or. 3, 54. Orat. 12. Quintil. 9, 3. 90. vbi idem eſſe ſtatuit, quod Graecorum *ἐναντιότης*, h. e. *ſumta ex aduerſo probatio*, negatque in figuris numerandum. *Cum contrariis opponuntur contraria*, quae Graeci *ἀντίθετα* nominant, inquit Cicero Or. 50. — Verba *relata contrarie* eidem Or. 2, 65. eſt genus ridiculi, cum ei qui nos laceſſit, eodem modo reſpondetur. — *Contrarium* genus argumentationis, idque vitioſum, Cicero Inuent. 1, 50. definit, quod contra ea dicitur, quae ii, qui audiunt fecerunt. Quintiliano autem 5, 13. 30. *contrarium* eſt, quo aduerſarius bene vti poteſt. — De *contrariis legibus* diximus ad voc. voc. *Lex.*

Controuerſia. Controuerſus.

Seneca in Controu. Lib. 1. praef. quamuis contendit *controuerſiae* nomen recentius eſſe, et poſt Ciceronem demum inductum, qui *cauſam* dixerit, quaeſtionem certis perſonis et temporibus finitam, (v. voc. *cauſa*, et cf. Voſſ. Inſt. Rhet. Lib. 1. p. 4.) tamen, vt Senecam refellamus, vti poſſumus loco Ciceronis de Orat. 2, 15. vbi diſerte *controuerſias, quae temporibus et perſonis notatae ſint*, h. e. forenſes, commemorat, iisque *infinitas quaeſtiones* opponit; Cap. 19. etiam *cauſae controuerſiam*, quam mox et *cauſam* dicit, poſitam in rerum disceptatione et controuerſia, oppoſitam *quaeſtioni*, quae in infinita dubitatione inſit. cf. Cic. Or. 3, 58. et Voſſius de Rhetor. Nat. et Conſtitut. p. 34. — Quas autem Seneca *Controuerſias* dixit, et commemorauit Plinius Epiſt. 2, 3. cauſae fictae erant, quas Rhetores in vtramque partem agere et tractare, quibusque veris

veris cauſis forenſibusque praeparare iuuenes ſolebant. De his vid. Sueton. de Clar. Rhet. Cap. 1. p. 571. ed. Ern. vbi easdem olim *appellationes*, Graece συντάξεις, nominatas notat. Tales fuerunt, quas Hadrianum Caeſarem declamaſſe dicit Spartian. Cap. 16. — Apud Quintilianum *controuerſiae* ſimpliciter pro orationibus iudicialibus dicuntur, opponunturque *ſuaſoriis*, quae ſunt ex genere deliberatiuo. cf. Lib. 2, 4. 33. et Lib. 3, 8. 59. et Cap. 12. et Creſollii Theatr. Rhet. Lib. 4, 7. p. 406. ſqq. — *Controuerſum* argumentationis genus, eoque vitioſum, Ciceroni de Inu. 1, 49. dicitur, in quo ad dubium demonſtrandum, dubia cauſa adfertur.

Conuerſio.

Graecorum ἀντιστροφή, vel ἐπιστροφή, figura verborum, per quam ad poſtremum verbum continenter reuertimur, vt definit Auct. Herenn. 4, 13. Cic. Or. 3, 54. *ad extremum conuerſio;* ad quem locum Strebaeus hoc exemplo vtitur: *Poenos pop. Rom. iuſtitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.* vid. Lex. gr. techn. in voc. ἐπιφορά. In Orat. Cap. 39. hanc formam ita deſignat: *cum in idem verbum oratio coniicitur.* cf. Quintil. 9, 3. 31. et Aquila Rom. p. 20. qui ἐπαναφορᾷ contrariam facit. Sed quae ſimpliciter *conuerſio* dicitur apud Ciceronem l. c. hanc formam orationis efficit, vt ſi dicas: *Sine inuidia culpa plectatur, et ſine culpa inuidia ponatur.* — *Conuerſio* etiam Ciceroni Or. 3, 48. et 49. dicta, quae Graecis καμπή et συστροφή, de periodi ea rotunditate, quam iunctus cum initio ſententiae finis efficit. Sic ad numerum oratorium l. c. inter alia et hoc refert, vt oratio *conuerſiones abſolutas* habeat h. e. periodorum recta forma et proportio ſit. Ea ſunt, quae in periodis ἐυκατάστροφα appellat Demetr. Phal. de Eloc. 10. Ibidem, *non ſemper*, inquit, *vtendum eſt perpetuitate et quaſi conuerſione verborum, ſed ſaepe carpenda membris minutioribus oratio eſt.* Eodem modo Aquila Rom. p. 158. ed. Ruhnk. periodicum illud dicendi genus, quod κατεστραμμένον Graeci dixerunt, *conuerſum* et *circumſcriptum* appellat. vid. Lex. gr. techn. in κατεστραμμένη.

Copia.

Si de verbis et elocutione quaeritur, *copia* in expedita quadam et profluente celeritate ineſt. Id patet

e Cic. Brut. 59. et 61. vbi cum Curionis *copiam verborum* laudaſſet, mox hanc ipſam laudem ita repetit, vt ei *expeditam* illam et *profluentem celeritatem* tribuat. Sin de generibus variis dicendi ſermo eſt, *copia* pertinet ad amplum, varium ornatumque habitum orationis, eſtque inter virtutes oratoris eloquentis, ciuilis et forenſis, proprias, cuius imaginem deſcripſit Cic. Or. 28. Et in Bruto Cap. 13. Menelaum, quamuis dulcem auctore Homero, tamen oratorem negat exiſtimandum eſſe, quoniam *pauca* dixerit. *Breuitas enim*, ait, *laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in vniverſa eloquentia laudem non habet*, hoc eſt, oratoris eſt, non breuiter, ſed copioſe et vberrime dicere. Itaque Cic. de Inuent. 1, 1. init. *copiam dicendi* veluti *κατ᾽ ἐξοχήν* pro ipſa eloquentia, et ſummo eloquentiae ſtudio dixit. Hinc et *copiae*, *breuitas* opponitur Quintil. 10, 1. 46. Copiae autem vitium eſt, *redundare*, *effundi*, ibid. §. 62. Quae quo pertineant, luculenter Plinius Ep. Lib. 5, 20. in Fonteii cuiusdam oratoris iudicio declarauit: „reſpondit mihi, inquit, Fonteius Magnus, vnus e Bithynis, plurimis verbis, pauciſſimis rebus. Eſt plerisque Graecorum, vt illi, *copia*, *volubilitas:* tam longas, tamque frigidas periodos vno ſpiritu, quaſi torrente, contorquent. Itaque Iulius Candidus non inuenuſte ſolet dicere, aliud eſſe *eloquentiam*, aliud *loquentiam*." cf. Seneca Epiſt. 40.

Copulatio.

Figura eloc. gr. *πλοκή*, in qua idem verbum aut nomen bis continuo poſitum diuerſa ſignificat. Sic Aquila Rom. p. 19. Pith. p. 171. Ruhnk. Cicero hanc formam dicendi varie, vt ſolet, elocutus eſt; de Orat. 3, 54. *eiusdem verbi crebrius poſiti quaedam diſtinctio.* Orat. 39. *cum continenter vnum verbum non in eadem ſententia ponitur.*

Correctio.

Figura eloc. (gr. *ἐπανόρθωσις*, *ἐπιδιόρθωσις*, *μετάνοια*, de quibus vid. Lex. gr. techn.) quae tollit id, quod dictum eſt, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit. Auct. Herenn. 4, 26. vbi bene vis oratoria huius figurae, quae aliquid vitii aut temeritatis habere videri poſſit, explicatur et defenditur. Ex hoc

hoc fonte hauſit, quae de eadem figura habet Georg. Trapezunt. Lib. 5. Rhet. p. 79. — Cicero Or. 3, 53. tria genera et modos *correctionis* facit, vel *ante*, vel *poſtquam dixeris*, vel *cum aliquid a te ipſe reiicias*. In Oratore autem Cap. 39. ita definit: *cum corrigimus nosmetipſos, quaſi reprehendentes*. Hanc *poenitentiam dicti* appellat Quintilianus 9, 2. 60. ex Graeco μετάνοια translato vocabulo, quod ſeruauit Rutil. Lup. p. 5. — *Praecedens correctio* Aquilae Rom. dicitur gr. προδιόρθωσις, quae, vbi aliquid neceſſarium dictu et inſuaue audientibus, aut odioſum nobis dicturi ſumus, praemunit. — Quam *aliam correctionem* nominat inter figuras verborum Cic. Or. 3, 54. videtur eſſe huius formulae dicendi: *qui ſcriptores Graecos latine verterunt, verius dicam, peruerterunt.* Strebaeus in Commentar. ad h. l. hoc exemplum poſuit: „Nam poſtquam iſti vicerunt, atque adeo victi ſunt, eam quomodo appellem victoriam, quae victoribus plus calamitatis, quam boni dederit?" vid. Iul. Rufinian. p. 32. Pith.

Correptio.

Figura eloc. qua duabus diuerſisque ſententiis et rebus vnum datur verbum minime vtrisque conueniens. Ita Iul. Rufin. p. 30. Graecorum σύλληψιν interpretatur, de qua plura in Lex. gr. techn. diximus, vnde et nonnulla petenda ſunt, quae ad hanc Latinorum technologiam pertinent.

Corruptus.

Apud Quintilianum, qui inprimis hac voce vtitur ſenſu rhetorico, *corruptus* is dicitur, qui ſententiarum acumen et concinnitatem, ex prauo κακοζηλίας ſtudio, ambitioſe ſectatur, Lib. 2, 3. 9. Omnino enim ea voce prauum rerum bonarum vſum, et quandam a recta ratione aberrationem atque exceſſum notare ſolet. Sic Lib. 10, 2. *laetis* opponit *corruptos*, h. e. qui vbertatem orationis ita cupide ſectantur, vt in proximum huic virtuti vitium incidant. De *corrupto* aut *vitioſo* dicendi genere locus claſſicus eſt Lib. 12, 10. 73. vbi ita nominat, quod *aut verborum licentia reſultet, aut puerilibus ſententiolis laſciuiat, aut immodico tumore turgeſcat, aut inanibus locis bacchetur, aut caſuris, ſi leviter*

viter excutiantur, floſculis niteat, aut praecipitia pro ſublimibus habeat, aut ſpecie libertatis inſaniat.

Credibilis.

In argumentatione probabili *credibile* eſt, quod ſine vllo teſte, auditoris opinione firmatur. Sic Cic. Inu. 1, 30. cf. voc. *argumentatio. Credibilis* narratio, quae ſit, tradit Quintil. 4, 2. 52. *Credibilis erit narratio ante omnia, ſi prius conſuluerimus animum noſtrum, ne quid naturae dicamus aduerſum; deinde ſi cauſas et rationes factis praepoſuerimus, non omnibus, ſed de quibus quaeritur; ſi perſonas conuenientes iis, quae facta credi volemus, conſtituerimus, vel contra, ſi defendemus; praeterea loca, tempora, et ſimilia.*

Criminatio.

Gr. διαβολή, quaſi denuntiatio eorum, quae futura ſunt, apud Iul. Rufinian. p. 27. qui inter figuras ſententiarum eam commemorat, et hoc Ciceronis pro Milone exemplo vtitur: *Erit, erit illud profecto tempus, et illuceſcet aliquando ille dies* etc.

Cultus. vid. voc. *Ornare.*

Curſus.

Cicero Or. 3, 33. reprehendit nonnullos, qui eloquentiam in clamore et *curſu verborum* poſitam putent. Significat id, quod nos dicimus, *eine geläufige Zunge, gutes Maulwerk.* Eandem et alio loco Or. Cap. 16. *celeritatem, volubilitatem, flumen verborum,* eodem ſenſu appellat. Vnde in loco ſupra laudato malos oratores, qui ad clamorem et verborum illam volubilitatem omnia referrent, *clamatores ad clepſydram,* et *latrantes* dicit Cap. 34. atque in his ineſt, quam Cap. 35. *ſtultitiam loquacem* nominat. Quintil. 10, 1. *circulatoriam volubilitatem* appellat, cui *vim orandi* opponit. cf. Senec. Ep. 40. vbi in ſumma metaphorarum curſum illum et volubilitatem exprimentium varietate, Haterii oratoris rationem ita deſcribit: *nunquam dubitavit, nunquam intermiſit: ſemel incipiebat, ſemel deſinebat.* In ea re autem, qui moderatiores erant, *gradarii* dicti ſunt, quo nomine ipſe Seneca ibidem Ciceronem vocat. Huc et pertinet *fluentia dicendi,* quam graui

veterum

veterum eloquentiae opponit Ammian. Marcell. Lib. 30, 4. — *Expeditam* et *facile currentem* orationem Cicero Brut. 63. cum laude commemorat. cf. Cap. 95. vbi de Aſiaticae dictionis genere disputans, verbis *volucri* et *incitato*, Aeſchylum Cnidium et Mileſium Aeſchinem commemorat, in quibus admirabilis *orationis curſus* fuiſſet, et denique addit Hortenſium adoleſcentem, illo genere orationis florentem, *clamores* feciſſe. Iam hic omnis *curſus*, quo incitatius etiam fluere oratio dicitur Ciceroni Or. 63. maxime e breuitate pedum oritur, vt a longitudine *tarditas*. *Curſum*, inquit, *contentiones magis requirunt, expoſitiones tarditatem.* Quo ſenſu Horat. Serm. 1, 10. 9. „Eſt breuitate opus, vt *currat* ſententia etc." Quintilianus, qui Lib. 9, 4. 45. ſqq. illam ipſam pedum celeritatem et tarditatem paſſim commemorat, ſubtiliori etiam discrimine *curſum* tribuit breuibus ſyllabis, ſi quibusdam longis miſceantur, easdem autem, ſi continuentur, *exultare* dicit. „Plurimum auctoritatis, inquit §. 91. et ponderis habent longae, celeritatis breues, quae ſi miſcentur quibusdam longis, *currunt*, ſi continuantur, *exultant.*" vid. voc. *ducere.* — Porro cum, quo quaeque rotundiora ſunt, eo melius currant, et voluantur, rotunditas autem in oratione maxime cernatur in ſententiis apte compoſitis et numeroſe concluſis, iisdem et *curſus* et *volubilitas* tribui ſolet. Ita Gellius 11, 13. „*curſus* hic et ſonus *rotundae volubilisque* ſententiae eximie nos et vnice delectabat." Eandem mox *orationem apte cadentem*, et non multo poſt *verba apte numeroſeque poſita*, et modulatum *currentis facundiae* ſonitum appellat, quae omnia expeditae illi rotunditati exprimendae ſeruiunt, quae periodorum concinnarum propria eſſe debet.

Curtus.

In verborum ambitu, vel periodo, *curtum* Latinis Rhetoribus dicitur, ſi periodus non eſt perfecta et completa, ſed aliqua parte deficit et claudicat. Sic Cicero Or. 50. „meae quidem aures, inquit, et perfecto et completo verborum ambitu gaudent, et *curta* ſentiunt, nec amant *redundantia.* Graeci, inprimis Ariſtoteles *μειυρὸς*, ſimili metaphora, tales periodos dixerat. v. Lex. gr. techn. in h. v.

D.

Declamare.

Proprium Sophiſtarum, et Rhetorum, qui his declamationibus muneri oratorio praeludebant, Graecis τὸ μελετᾷν. Itaque Quintiliano 4, 2. 29. declamatio eſt *forenſium actionum meditatio.* Et Lib. 5, 13. 17. *declamationes*, inquit, *quibus ad pugnam forenſem velut praepilatis exerceri ſolebamus, olim iam ab illa vera imagine orandi receſſerunt, atque ad ſolam compoſitae voluptatem, neruis carent* etc. cf. Cic. Or. 1, 16. vbi *declamatorio opere iactatum* dicit eum, qui orationibus iudiciorum, concionum et ſenatus vtatur, in quibus genus dicendi forenſe et deliberatiuum cernitur. Legenda inprimis ſunt, quae Quintil. 10, 5. 14. de declamationum ſcholaſticarum vtilitate disputat. Suetonius in Vita Iuuenalis: „ad mediam fere aetatem *declamavit*, animi magis cauſa, quam *quod ſcholae aut foro praepararet.* cf. Quintil. 2, 10. vbi inter alia declamationem *iudiciorum conſiliorumque imaginem* appellat, h. e. exercitationem, qua rebus fictis iuuenes ad actiones iudiciales et ſuaſorias praepararentur. cf. Voſſ. de Rhetor. Nat. et Conſtit. Cap. 16. p. 111. et Lexicon gr. techn. ad voc. πλάσμα, et μελετᾷν. et inprimis Creſſoll. Theatr. Rhetor. 4, 6. p. 400. ſqq.

Declinatio.

Cic. Or. 3, 54. in figuris λέξεως, ſ. elocutionis *declinationem* commemorat, ſimpliciter ſic dictam, qua idem verbum varie mutatum et flexum in vna periodo ponitur. Eam formam παρηγμένον Graeci dixere, Latini etiam *coniugatum*, et *deriuationem*, de qua alio loco expoſuimus. Strebaeus tamen confert Graec. κλίσιν, eiusque hoc exemplum ponit: *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Declinatio breuis a propoſito*, ibidem a Cicerone Cap. 53. nominata, diſtinguenda eſt a digreſſione, ſitque, cum breuiter et obiter aliquid praeter propoſitum addimus.

Decoctus.

Suauitas *decocta*, quam Cicero Or. 3, 26. dicit, ilius eſt oratoris, qui ſine intermiſſione, ſine varietate, ſuauis eſt et ornatus, adeoque ſuauitas nimis mollis et languida,

languida, quae propter hanc perpetuam dulcedinem, ſatietatem quandam et faſtidium adfert. Ei opponitur ſuauitas *auſtera* et *ſolida*, quae ornatus varietatem habet, et auſtera dulcibus miſcet. Cicero in illo loco illud genus dicendi explicat, quod maxime teneat auditores, et quod non ſolum delectet, ſed et ſine ſatietate delectet. Metaphora ſumta eſt a liquoribus dulcibus, in quibus, ſi decoquuntur, ſola dulcedo et quidem nimia remanet, ceteri humores, qui illam temperabant, euaneſcunt. Qui ita graues ſunt, vt Rhenani nectaris ſolidam auſteritatem, decoctae Hiſpanienſium vinorum dulcedini anteponant, vim et elegantiam ſententiae Ciceronianae recte aeſtimabunt.

Decorum.

Graecorum τὸ πρέπον, id eſt, quod decet in oratione tractanda, quod videre et obſeruare, ad ſapientiam refert Cic. Or, 21. Cum enim in illo loco tria dicendi genera, quorum vnum in probando, alterum in delectando, tertium in flectendo eſſet, commemoraſſet, ita pergit: „Magni igitur iudicii, inquit, ſummae etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, et quaſi temperator huius tripartitae varietatis. Nam et iudicabit, quid cuique opus ſit; et poterit, quocunque modo poſtulabit cauſa, dicere. Sed eſt eloquentiae, ſicut reliquarum rerum, fundamentum, ſapientia. Vt enim in vita, ſic in oratione, nihil eſt difficilius, quam, quid deceat, videre.“ Itaque in hoc tali orationis contextu *ſapientia* non, vt nonnulli iuſto laxius interpretati ſunt, de omni philoſophia accipienda eſt, ſed ſpeciatim natiuum illud ingenii vel mentis acumen quoddam ſignificat, quo quis inſtructus, quid in quacunque re, in dictis et factis, in omni vita, aptum et decorum ſit, prudenter et celeriter videat: *ein natürlicher Sinn und Gefühl für Schicklichkeit, oder ein feiner richtiger Geſchmack.* In hoc tantum ſapientiae genus cadit illud, quod Cicero mox addit: *huius ignoratione non modo in vita, ſed ſaepiſſime et in poematis et in oratione peccatur.* cf. Cap. 35. vbi Cicero eandem ſententiam, atque luculentius etiam, repetit: omnino autem legenda ſunt, quae Cicero de Offic. 1, 27. et 28. praeclare disſeruit. Neque autem illud decorum in ſententiis ſolum, ſed et in verbis animaduerti debet. Nam

non omnia rerum et περιστάσεων genera, vno verborum genere tractari poſſunt. Ergo hoc *decorum* in tribus poſitum eſt, in *re*, de qua agitur, in *perſonis* cum eorum qui dicunt, tum eorum qui audiunt. Definit autem Cicero ita, vt *decere* ſit, quaſi aptum eſſe et conſentaneum tempori et perſonae, quod cum in factis ſaepiſſime, tum in dictis valeat, in vultu denique et geſtu et inceſſu: contraque item *dedecere*. cf. Cap. 36. vbi mirifica verborum varietate praecepta de decoro ſeruando repetit. Eandem *decori* obſeruationem deſcribit Quintil. 10, 1. 62. vbi Steſichorum laudat, qui *perſonis in agendo ſimul et loquendo debitam dignitatem reddat.* In ſequentibus etiam, quid in Menandro *decorum* ſit, per partes luculentius docet. De hoc decoro, in cuius obſeruatione *aptum dicendi genus* cernitur, Quintilianus copioſe expoſuit Lib. 11, 1. vid. voc. *aptus.*

Deferre.

Cauſam deferre dicuntur clientes ad patronos cum eos docent argumentum litis et controuerſiae ſuae, patroni autem *diſcere.* vid. Cic. Or. 3, 13. et Brut. 22. — De ratione cauſae diſcendae ex inſtituto agit Quintil. 12, 8.

Definitio. Definitiuus.

In quatuor cauſae conſtitutionibus, quas Cicero appellat Inu. 1, 8. *definitiua* dicitur ea, quae nominis habet controuerſiam, quia *vis vocabuli definienda* eſt; expreſſa e Graecis voce, qui ὅρον et στάσιν ὁρικὴν nominant. Nempe *nominis* controuerſia vocatur, quia id, quod factum ſit, aliud alii videatur eſſe, et idcirco alius alio nomine id appellet. cf. Lib. 2, 17. vbi loci, quibus haec conſtitutio tractanda ſit, vberius atque ex inſtituto recenſentur et explicantur. Hinc aliis *ex definitione* cauſa conſtare dicitur, cum in controverſia eſt, quo nomine factum appelletur. Auct. Herenn. 1, 12. hanc *definitionem* in partibus conſtitutionis legitimae numerat, quae apud Graecos, vt iam dictum eſt, peculiarem ſtatum, ὅρον, efficit. cf. Cic. de Inu. 2, 51. et quae dicta ſunt in Lex. gr. techn. ad voc. ὅρος et infra ad voc. *legitimus.* In Topicis Cap. 21. Cicero tradit in *definitione,* cum quaeritur, quid ſit, quatuor

quatuor res explicandas eſſe, *notionem, proprietatem, diuiſionem*, et *partitionem*. Sed haec disputatio omnis magis eo, vt, quae quaeſtionum varia genera ſint, explicetur, quam ad diſciplinam de *ſtatibus*, pertinet. cf. Lib. 2. de Or. Cap. 25. Quintilianus plerumque *finitionem* ſimpliciter hanc conſtitutionem appellat. vid. voc. *conſtitutio* et illius Lib. 7, 3. vbi ſic definitur: „*finitio* eſt rei propoſitae propria et dilucida et breuiter comprehenſa verbis enuntiatio. Ex hac deinde oritur *ſtatus finitionis* ſ. *finitiuus*, in quo de nomine facti quaeritur, et hoc factum definitur. Vnde et *finem* pro illa definitione dicit, vt Lib. 4, 4. 3. —

Figura etiam orationis, Gr. ὁρισμὸς, Latinis *definitio* dicta, huiusmodi eſt, vt rei alicuius proprias poteſtates breuiter et abſolute amplectatur. Sic Auct. Herenn. 4, 25. Eandem Cic. Or. 39. ita deſignat: *cum transegerit, iam aliquid definiat.* Senſu autem dialectico in Topicis Ciceroni *definitio* dicitur, oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid ſit. Nempe hic eſt vnus e variis locis argumentandi; quoniam ſaepe ex definitione argumentatio peti debet ac poteſt, de quo genere agit Cap. 5. His autem addendus eſt locus Cic. de Offic. 1, 2. vbi haec ſunt: „Placet igitur, inquit, quoniam omnis disputatio de officio futura eſt, ante definire, quid ſit officium. Omnis enim, quae a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a *definitione* proficiſci, vt intelligatur, quid ſit id, de quo disputetur.“ Immo vero Cicero in ſequentibus non definit officium, ſed a partitione disputationem orditur. Iam poſſumus quidem ita defendere Ciceronem, vt dicamus ex illa ipſa partitione poſtea officii vim et notionem ſatis luculenter effici: poſſumus etiam repetere, quae ſupra ex Topic. 21. laudauimus, vel his addere locum Cic. de Or. 3, 29. ab Heuſingero laudatum, vbi *distributio in partes, ad definitionis disceptationes* refertur. Sed nec contemnenda videtur ratio Caſp. Laurentii, qui ad Hermog. Inu. II, 1. Ciceronem contendit in illo loco definitionem dixiſſe, pro conſtitutione rei tractandae, ſ. καταστάσει, quam et Rhetores ὅρον dixerint, vt Schol. Demoſth. contra Midiam: κατάστασις ὅρȣ δύναμιν ἔχει, *conſtitutio cauſae habet vim finiendi*, h. e. proponit ſtatum controverſiae.

Deflexum. vid. *Annominatio.*

Deformatio. vid. *Proſopopoeia.*

Degreſſio.

Cicero Inuent. 1, 51. tradit Hermagoram in partibus orationis ante concluſionem poſuiſſe *degreſſionem* (ſiue is *παράβασιν*, ſiue *παρέκβασιν*, ſiue *παρεκδρομὴν*, ſiue *ἐκδρομὴν* dixerat, de quibus cf. Lex. gr. techn.) hoc quidem ſenſu, vt quaedam inferretur oratio, a cauſa atque iudicatione remota, quae aut ſui laudem aut aduerſarii vituperationem contineret, aut in aliam cauſam deduceret, ex qua conficeret aliquid confirmationis, aut reprehenſionis, non argumentando ſed augendo per quandam amplificationem. *Hanc*, inquit, *ſi quis partem putarit orationis, ſequatur Hermagoram licebit. Nobis autem non placet, hanc partem in numero reponi, quod de cauſa digredi, niſi per locum communem, displicet.* Inprimis de degrediendi cauſis et vi cf. Lib. 2. de Orat. Cap. 77. Libro autem 3. de Orat. Cap. 53. *ab re longam degreſſionem* appellat, *in qua cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus eſſe debebit.* Hoc Graeci haud dubie *ἐπεισοδιῶν* dixerunt. Itaque ab ea forma ibidem Cicero *breuem a propoſito declinationem* diſtinguit, quandam *παρατροπήν.* Idem Or. 39. *declinet a propoſito, deflectatque ſententiam;* quibus verbis meram *παρέκβασιν* deſcribit, vid. voc. *exceſſus.* Quae autem ſimpliciter *degreſſio* dicta inter figuras verborum a Cicerone nominatur Cap. 54. l. c. Strebaeo videbatur ad *μετάβασιν* quandam vel *ἀποστροφὴν* pertinere, et hanc vim habere, vt *digrediatur a recto ductu orationis*, qualis eſt in his: „Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, et auro Vi potitur: Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames?"

Deliberatiuus.

Genus dicendi *deliberatiuum* eſt, quod in conſultatione poſitum habet in ſe ſuaſionem et disſuaſionem. Sic definit Auct. Herenn. 1, 2. Vnde et idem Lib. 3, 1. ſimpliciter *deliberationes* appellat, quibus partim quaeratur, vtrum potius faciendum ſit, partim, quid potiſſimum faciendum ſit, conſideretur. Cicero autem de

Inuent.

Inuent. 1, 5. *deliberatiuum* eſt, inquit, quod poſitum in disceptatione et conſultatione ciuili, habet in ſe ſententiae dictionem. Vbi Erneſtius quidem notat *conſultationem* ad curiam, *disceptationem* ad forum pertinere. Sed haec forenſis disceptatio ad genus potius iudiciale pertinet. Mihi quidem videtur in illa definitione expreſſum eſſe ἓν διὰ δυοῖν, ita vt *disceptatio* omnino cauſam innuat, ad generis deliberatiui autem discrimen ſola *conſultatio* pertineat, quae tamen et ad ſenatum et ad concionem referebatur. vid. de Orat. 2, 81. Quare et Ariſtoteles Rhet. 1, 3. genus συμβουλευτικὸν ad ἐκκλησίαν pertinere dicit; vnde Quintil. 3, 4. Ariſtotelem notat *concionalem* pro deliberatiua appellare. Et idem Cap. 8. in hoc genere deliberatiuo *ſenatus* et *concionum* ſeparatim meminit, et mox §. 65. *ſententias et conciones*, cum de ſolo deliberatiuo genere ſermo eſſet; iterumque §. 12. *priuatam deliberationem* diſerte a *concionibus* diſtinguit. cf. Cic. Or. 1, 6. vbi *forenſes diſceptationes iudiciorum*, a *deliberationibus*, et Cap. 11. *iudicia* a *conciunculis* diſtinguuntur. Cap. autem 8. *populi motus*, *ſenatus grauitas*, et *iudicum religiones* ita commemorantur, vt duo priora haud dubie ad deliberatiuum, poſterius autem ad iudiciale genus pertinere debeant. cf. de Or. 1, 16. fin. Gell. 18, 7. Quodſi autem de rerum argumentorumque generibus, quae cauſarum deliberatiuarum propriae fuerint, quaeritur, Cicero de Inu. Lib. 2, 4. *in deliberationibus*, inquit, *quid honeſtum ſit, et quid vtile, quaeritur: nam ceteri vtilitatis modo finem in ſuadendo et disſuadendo exponi poſſe arbitrati ſunt.* Id v. c. fecit Ariſtoteles, cuius mentionem iniicit Cap. 51. vbi ex inſtituto praecepta de hoc genere cauſarum poſuit. Quintilianus vero Lib. 3, 8. „deliberationes miror, inquit, a quibusdam ſola *vtilitate* finitas. Ac ſi quid in his vnum ſequi oporteret, potior fuiſſet apud me Ciceronis ſententia, qui hoc materiae genus *dignitate* maxime contineri putat.“ Locus Ciceronis extat de Orat. 2, 82. — Emporius Rhetor, cuius libelli Rhetorici extant in Sylloge Pith. p. 286. generis deliberatiui duodecim locos, vel elementa recenſet: legitimum, iuſtum, aequum, conueniens, honeſtum, vtile, religioſum, pium, facile, poſſibile, neceſſarium: quamuis notat has veluti ſpecies ſubeſſe quatuor generibus his: honeſto,

honeſto, vtili, aequo, et facili. Copioſe de hoc genere cum ex diſciplina Ciceronis in Libris de Inuentione expoſita, tum Graecorum, maxime Hermogenis auctoritate, agit Trapezuntius Lib. 4. Rhet. p. 45 ſqq. cf. Voſſ. Inſt. Rhet. Lib. 1, 3. p. 29. et 30. vbi et Scaligerum refutat, qui Lib. 1. Cap. 1. de re poet. orationes generis deliberatiui a nonnullis *ſuaſorias* recte dictas eſſe negabat, quamuis idem Lib. 3, 126. tria genera cauſarum *iudiciale*, *ſuaſorium*, et *demonſtratiuum* appellat. Poterat talis refutatio abſolui vno loco Ciceronis de Orat. Lib. 2, 81. vbi pro genere deliberatiuo ſimpliciter *ſuaſiones* commemorat.

Delicatus. Deliciae.

Vtrumque, ſi de oratione ſ. elocutione dicitur, nimiam mollitudinem, vel concinnitatem, ex artis elegantiaeque affectatione ortam notat. Nam vtrumque proprie in hominibus mollitiei, luxui, et elegantiae omnis generis addictos, paeneque effeminatos adhiberi ſolet. cf. Cic. Or. 3, 25. vbi *molles* et *delicatae* cantus flexiones iunguntur, et Orat. in Piſon. 29. vbi ſunt *delicatiſſimi* verſus. vid. Orat. Cap. 12.

Deminutio.

Forma dicendi, eo nomine appellata Auct. Herenn. 4, 38. ita definitur: *cum aliquid eſſe in nobis, aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut forma, aut induſtria, dicemus egregium, quod, ne qua ſignificetur arrogans oſtentatio, deminuitur et attenuatur oratione.*

Demonſtratio.

Primum Auct. Herenn. 3, 13. in doctrina de voce et pronuntiatione oratoria, *demonſtratio* vocatur oratio, quae docet demiſſa voce,. quomodo aliquid fieri potuerit, aut non potuerit: *der Lehr- oder Demonſtrir-Ton.* Itaque mox, „in *demonſtratione*, inquit, voce paululum attenuata, crebris interuallis et diuiſionibus vti oportebit, vt ipſa pronuntiatione eas res, quas demonſtrabimus, inſerere atque interſecare videamur in animis auditorum. — Deinde ibidem Lib. 4, 55. in exornationibus vel figuris orationis, *demonſtratio* dicitur, cum ita res verbis exprimitur, vt geri negotium, et res ante oculos eſſe videatur, quam *διατύπωσιν*

τύπωσιν Graeci dixerunt, et διασκευὴν et ἐνέργειαν. v. Lex. gr. techn. in voc. ὄμμα et διατύπωσις. — Denique *demonſtrationem* Rhetores inprimis recentiores pro genere dicendi demonſtratiuo dicere ſolent. Sic paſſim Georg. Trapez. Lib. 4. Rhet. vt Graeci ἐπίδειξιν, quam Quintil. 4, 3. et 2, 10. *oſtentationem*, et *oſtenſionem* dixit Aquila Rom. de Figg. p. 186. ed. Ruhnk. Vnde et ſeriori aeuo milites, qui ad ſolam pompam habebantur, *oſtenſionales* appellati ſunt, οἱ πρὸς ἐπίδειξιν καὶ παράστασιν βασιλέως. vid. Lampridii Al. Seuer. Cap. 33. et ibi Caſaub. cum Salmaſ. cf. Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 3, 5.

Demonſtratiuus.

Genus dicendi *demonſtratiuum* eſt, quod tribuitur in alicuius certae perſonae laudem vel vituperationem, vt definit Auct. Herenn. 1, 2. vid. Cic. Inuent. 1, 5. et Lib. 2, 4. *in demonſtrationibus*, ait, *quid honeſtum ſit, quaeritur.* Libro 2. de Or. 84. orationes quae ad hoc genus pertinent, *laudationes* appellantur. Sed Ciceronis de his laudationibus ſententia digna eſt, quam ex illo loco adſcribamus: *noſtrae laudationes*, inquit, *quibus in foro vtimur, aut teſtimonii breuitatem habent nudam atque inornatam, aut ſcribuntur ad funebrem concionem, quae ad oratoris laudem minime accommodata eſt.* Idem in Or. Cap. 11. ad hoc genus ἐπιδεικτικὸν, *quod quaſi ad inſpiciendum delectationis cauſa comparatum ſit*, referre videtur *laudationes*, *ſcriptiones*, *hiſtorias*, et *ſuaſiones tales, qualem Iſocrates fecit Panegyricum.* Et Cap. 13. *dulce igitur*, inquit, *orationis genus, et ſolutum et effluens, ſententiis argutum, verbis ſonans, eſt in illo epidictico genere, quod diximus proprium ſophiſtarum; pompae quam pugnae aptius, gymnaſiis et palaeſtrae dicatum; ſpretum et pulſum foro.* cf. Quintil. 2, 10. 11. et Lib. 3, 4. 12. vbi *laudatiuum* a parte meliore appellatum hoc genus notat, vtrumque autem nomen a Graecis fluxiſſe, qui ἐγκωμιαστικὸν et ἐπιδεικτικὸν dicant. „Sed mihi, inquit, τὸ ἐπιδεικτικὸν non tam *demonſtrationis* vim habere, quam *oſtentationis* videtur, et multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre. Itaque panegyricos, qui ἐπιδεικτικοὶ ſint neceſſario, formam quidem ſuadendi habere, ſed plerumque de vtilitatibus Graeciae loqui, obſeruat. Ex inſtituto

tuto autem de hoc genere cauſarum agit Cap. 8. vbi notat, ex more Romano, hoc genus non ad oſtentationem, vel delectationem auditorum ſolum, vt ab Ariſtotele et Theophraſto factum ſit, ſed et ad negotia adhiberi, et cum re publica coniungi ſolere. Copioſe etiam de eodem genere exponit Georg. Trapezunt. Lib. 4. Rhet. p. 49. ſq. vbi inprimis ex inſtituto oſtendit, in hoc genus nullam conſtitutionem cadere, quoniam ad certam rem pertineat, nec vlla aduerſarii contentio locum habeat. vid. quae de hac Graecorum, a Trapezuntio vbique expreſſorum, diſciplina diximus in Lex. gr. techn. ad voc. *ἀστασίαστον*.

Depictus.

Nimium *depicta* in oratione dicuntur, nimium ornata, concinnata, et veluti coloribus obruta; quas et *delicias* et *ineptias* Cicero vocat: *verſchnörkelt, mit Flitterputz und bunten Farben überladen.* Cic. Or. 12. vbi ſermo eſt de dicendi genere *ἐπιδεικτικῷ*, arguto et nimis ornato, quod ſecuti nonnulli *λογοδαίδαλοι* a Socrate dicti fuerint. vid. Lex. gr. techn. in h. v. Iam hi concinnitatem illam inprimis ſectabantur, quae in paribus relatis, contrariis, repugnantibus, antithetis, ſimilibusque figurarum luſibus cernitur. Itaque in his ipſis illa *depicta* inſunt.

Deponere. vid. *Suſpendere.*

Deprecatio.

In defenſione rei publica dicitur *deprecatio*, cum et peccaſſe ſe, et conſulto feciſſe reus confitetur, et tamen poſtulat, vt ſui miſereantur. Ita definit Auct. Herenn. 1, 14. vbi et haec adnotat: „*hoc in iudicio fere non poteſt vſu venire, niſi, quando pro eo dicimus, cuius multa recte facta conſtant. hoc modo in loco communi per amplificationem iniiciemus:* „*Quodſi hoc feciſſet, tamen ei pro priſtinis beneficiis ignoſci conueniret: verum nihil poſtulat ignoſci.*" cf. Lib. 2, 17. vbi vberius hoc defendendi genus definitur, et Cic. de Inu. 2, 34. ſq. — Quintilianus Lib. 5. 13. 5. „*deprecatio*, inquit, quae eſt ſine vlla ſpecie defenſionis, rara admodum, et apud eos ſolum iudices, qui nulla certa pronuntiandi forma tenentur." Haec Cicero l. c. ita notat:

tat: *Hoc genus vix in iudicio probari poteſt, ideo quod conceſſo peccato, difficile eſt ab eo, qui peccatorum vindex eſſe debet, vt ignoſcat, impetrare. Quare parte eius generis, cum cauſam non in eo conſtitueris, vti licebit.* Sulpicio Victori Inſt. Rhet. p. 271. *deprecatio* eſt veniae petitio, cum de eo quod intenditur et confitemur, ſcilicet veniam petimus, praecedenti aliqua facti cauſa, quare poſſit ignoſci. — Quae autem inter figuras ſententiarum a Cicerone de Orat. 3, 53. commemoratur *deprecatio*, illa videtur eſſe, quam *προπαραίτησιν* vel *συγγνώμην* Graeci Rhetores dixerunt, de quibus vid. Lex. gr. technol.

Deprimere.

Deprimere, cui oppoſitum eſt augere vel amplificare, attenuandi minuendique vim habet. Sic *cauſam deprimimus*, quando iis orationis momentis et artificiis vtimur, quibus efficiatur, vt cauſa minus grauis appareat, et ad alia animi auditorum traducantur. v. Auct. Herenn. 3, 2. Hinc excelſis *depreſſa*, hoc eſt, ſummiſſa, lenia, opponi ſolent, eaque *reſidere* dicuntur, dum illa *attolluntur*. vid. Plin. Lib. 5. epiſt. 17. et quae infra ad voc. *ſummiſſus* dicta ſunt. — Idem ille Auct. Herenn. cum Lib. 3, 12. ſuadet in principiis vocem *depreſſam*, firmitudinis cauſa, adhibendam, ſedatiorem, remiſſioremque intelligit. *Nam laeduntur arteriae*, inquit, *ſi antequam leni voce permulſae ſunt, acri clamore compleantur.* Alio loco Cap. 14. vbi de conqueſtione loquitur, eodem fere ſenſu *depreſſam vocem*, et *inclinatum ſonum* iungit.

Deriuatio.

Verborum *deriuatio* Quintiliano Lib. 3, 7. 25. dicitur, qua vitiis virtutum vicinarum nomina, vel contra, tribuimus, vt cum pro temerario fortem, pro prodigo liberalem dicimus, eſtque ſpecies quaedam *ὑποκορισμȣ*, de quo vid. Lex. gr. techn. Geſnerus ad illum locum ita metaphorae ſedem monſtrat, vt dicat deriuationem illam intelligi, *quae aquas a ſede ſua atque a loco in alium commodiorem locum traducat.* Simplicius mihi videtur ipſe Quintilianus rem explicaſſe Lib. 11, 90. vbi eandem dicendi formam commemoraturus, „*verborum etiam moderatione*„ inquit, *detrahi ſolet, ſi qua*

qua eſt rei inuidia, ſi aſperum dicas nimium ſeuerum, iniuſtum perſuaſione labi, pertinacem vltra modum tenacem eſſe propoſiti." Iam in deriuatione etiam detractionis vis ineſt: metaphorae modo variatae ſunt. Miror viros doctos, qui Quintilianum explicarent, non cogitaſſe de loco Cic. Milon. Cap. 10. in quo et *derivationis* exemplum, et ſignificationis illius verbi fundus ineſt. Ibi Cicero, quod nolebat ſimpliciter et craſſius dicere, ſeruos Milonis Clodium occidiſſe, hanc ſententiam hoc modo effert: „fecerunt id ſerui Milonis (dicam enim *non deriuandi criminis* cauſa, ſed vt factum eſt,) neque imperante, neque ſciente, neque praeſente domino, quod ſuos quisque ſeruos in tali re facere voluiſſet." vid. quae de *deductione*, cuius ſimilis metaphora eſt, ad voc. *iudicatio* notauimus. Ceterum huc illud quoque pertinet, quod Lib. 5, 13. 26. modum aliquem defendendi hunc eſſe ſtatuit, vt, ſi accuſator acri et vehementi vſus fuerit oratione, defenſor *eandem rem ſuis verbis mitioribus proferat*, et pro luxurioſo liberaliorem, pro ſordido parcum, pro maledico liberum dicat. — Iulius Rufinian. p. 32. Pith. latine *deriuationem* interpretatur figuram illam, quam Graeci παρηγμένον dixerunt, *qua ex ſupradicto verbo aliud deriuatur*. vid. *declinatio*.

Deſcriptio.

Rerum conſequentium perſpicuam et dilucidam grauitatem, interpretatur Auct. Herenn. 4, 39. haud dubie vim ἐκφράσεως, vel διατυπώσεως, vel διαγραφῆς expreſſurus, de quibus vid. in Lex. gr. techn. notata. Cicero quoque de Or. 3, 53. *deſcriptionem* inter lumina ſententiarum commemorat. Quintilianus 9, 2. 44. ad διατύπωσιν refert *deſcriptionem locorum*, quae τοπογραφία dicitur. Aquila Rom. p. 15. *deſcriptionem* ſ. *deformationem* appellat, vbi rebus ſubiectis perſonarum et formas ipſas et habitus deſcribimus et exprimimus. Et alio loco eandem deſcriptionem ſ. διατύπωσιν cum λεπτολογίᾳ confert, quae hanc vim habeat, vt in rebus deſcribendis vel enarrandis etiam minima quaeque demonſtrentur. Vnde et Quintil. 8, 3. 66. eodem exemplo, quo Aquila ad λεπτολογίαν explicandam vſus eſt, ἐνάργειαν ſeu *repraeſentationem* et *euidentiam* illuſtrat. — Ceterum, quoniam in *deſcribendo* Latini inprimis

primis etiam rei accurationem et ordinem, aptamque collocationem ſignificare ſolent, eo factum, vt *deſcriptus* ordo verborum Ciceroni Or. 59. pro certo aptoque diceretur. cf. de Fin. 3, 22. et de Or. 2, 9.

Deſinere.

Similiter deſinens eſt, inquit Auct. Herenn. 4, 20. cum, tametſi caſus non inſunt in verbis, tamen ſimiles exitus ſunt, hoc pacto: *Turpiter audes facere, nequiter ſtudes dicere.* In promtu eſt deſcribi formam dicendi, quam Graeci ὁμοιοτελεύτῳ ſignificarunt. cf. Cic. Or. 3, 54. et Lex. gr. techn. in voc. ὁμοιόπτωτον. Nam huius formae, quam *ſimiliter cadentem* Latini appellant, et quae in caſuum ſimilitudine cernitur, tanta cum illa affinitas intercedit, vt ſaepe vtraque in iisdem orationis partibus ſimul locum habeat. Eius coniunctionis exemplum Auctor ille Herennian. l. c. hoc ponit: „*perditiſſima ratio eſt, amorem petere, pudorem fugere: diligere formam, negligere famam.*" In his enim et exitus et caſus ſimiles ſunt.

Deſtituere.

Quintilianus 11, 3. 33. ad pronuntiationem vitioſam, hoc eſt, minus dilucidam, hoc quoque refert, ſi verborum partes et ſyllabae *deſtituantur*, quod fit, cum extremas ſyllabas, is qui loquitur, non profert, dum priorum ſono indulget. Ab eo diuerſum eſt *deuorare* ſyllabas, de quo vitio alio loco diximus.

Deſtruere.

Deſtruere pro refellere, confutare, gr. ἀνασκευάζειν, dixit paſſim Quintilianus, vt Lib. 2, 4. 18. Ei contrarium facit *conſtituere*, κατασκευάζειν, hoc eſt, adſtruere, confirmare, probare, vt Lib. 3, 9. 5. Alibi, vt Lib. 5, 1. *alleuare* h. e. confirmare, et *refellere* ſibi opponuntur. — *Deſtruere teſtem* eodem ſenſu dixit Lib. 8, 3. 21. et *deſtructionem*, *confirmationem*que ſententiarum iungit Lib. 10, 5. 2. vt ἀνασκευὴν et κατασκευὴν Graeci, de quibus Rhetores in Progymnaſmatis, nominatim Theon et Aphthonius exercitationis gratia expoſuerunt. Hinc ἀνασκευὴ a Iulio Rufin. p. 37. inter figuras ſententiarum relata, *deſtructio* ſ. *euacuatio*

 expli-

explicatur, *qua ab aduerſariis propoſita deſtruimus ac redarguimus velut falſa.*

Detractio.

Sic Aquila Rom. de Figg. p. 23. Pith. latine interpretatur, quam Graeci ἔλλειψιν dixere, et quam ille πλεονασμῷ contrariam figuram eſſe docet, quandam ei celeritatem (γοργότητα, τάχος) tribuens, qua commotior reddatur oratio.

Deuorare.

Cicero in Brut. 82. de Calui oratoris genere dicendi: „eius oratio, inquit, nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illuſtris: a multitudine autem et foro, cui nata eloquentia eſt, *deuorabatur.*" Senſus eſt: doctis et attente audientibus et iſti ſubtilitati adſuetis oratio Calui ſatis illuſtris et plana erat: vulgo autem indocto obſcura; ideoque erat ille orator doctus et ſubtilis, ſed non popularis. Iam illam *obſcuritatis* notionem, quae ſimul ſuauitatem audiendi, et dictorum perceptionem excludit, ea metaphora, breuitatis gratia, expreſſit, quam, ni fallor, *attenuatae* orationis commemoratio ſuppeditabat. Sic enim *deuoramus* puluerem, vel muſcas, non ſentientes, propter illarum tenuitatem: craſſiores maſſas non illico deuoramus, ſed in ore detinemus, comminuimus, adeoque etiam eorum ſenſum aliquem habemus. *Der einſichtsvollere, gelehrte Theil des Publikums fand den Vortrag des Caluus lehrreich und intereſſant, weil er die Feinheiten ſeiner Sprache* verſtand: *die größere, ungebildete Menge, welche dieſe Feinheiten weder faſſen noch ſchätzen konnte,* hörte ihn, ohne Sinn *darinne* und Gefallen daran *zu finden: ſie wußte nicht, was ſie hörte.* Vellem Cicero vel ſine metaphora mentem ſuam expreſſiſſet, vel ſaltem vſus eſſet faciliori. Sed quamdiu vocem illam non mutamus, tam diu eius ſenſum illum eſſe puto, quem modo explicaui. Ceterum in voce *deuorari,* contrarium quid illis, *illuſtris erat,* dici, etiam ex additis verbis: *cui nata eſt eloquentia,* intelligi poteſt. Nam hoc additamentum, ſi quid video, hoc ſibi vult: orationis Calui nimiam tenuitatem et religionem hoc incommodi habuiſſe, quod illi hominum generi, cui maxime prodeſſe orator eloquentia

tia ſua debeat, plane inutilis fuerit, et ſolis potius doctis aperta et vtilis, ad quos eloquentia non pertineat. Nempe, vt Cicero ait de Fin. 2, 6. rhetoricam illam forenſem, neceſſe eſt, cum populariter loquatur, eſſe interdum paullo hebetiorem: acumina iſta elocutionis populus non capit. His addimus locum Plinii H. N. XI, 52. „Mira praeterea ſunt de voce digna dictu. - In theatrorum orcheſtris ſcrobe et harena ſuperiecta *deuoratur*, et rudi parietum circumiectu, doliis etiam inanibus:" *geſtreuete Späne, Sand, desgleichen grob beworſene Wände, und leere Fäſſer verſchlucken die Töne, das iſt, verhindern die Reſonanz, und machen alſo die Stimme weniger hörbar, und deutlich.* Iam ſi vel maxime Ciceronis ſententiam ex hac metaphora iudicemus, rurſus *oratio a multitudine deuorata* alia eſſe non poteſt, quam *obſcura* multitudini. Idem videtur ſine metaphora dixiſſe Suetonius de Tiber. Cap. 70. *affectatione et moroſitate nimia ſtilum obſcurabat.* Alia metaphora, ni fallor, Cicero de Or. 3, 59. eandem rem ita expreſſit: „Verba neminem mouent, niſi eum, qui eadem linguae ſocietate coniunctus eſt: *ſententiaeque ſaepe acutae non acutorum hominum ſenſus praeteruolant.* — Faciliori ſenſu in pronuntiatione ſyllabae vel partes verborum *deuorari* dicuntur Quintil. 11, 3. 33. ſi velvti intra fauces occultantur: *verſchlingen, verſchlucken.* Cicero Or. 3, 11. idem fere ſibi vult, cum literas *negligentius obſcurari* vetat.

Dialectica.

Cum Rhetores Latinos, qualis Dialecticae cum Rhetorica ſiue neceſſitudo, ſiue coniunctio eſſet, dilucidius, quam Graecos docuiſſe videremus, praetermiſſam in Lexico technologiae Graecorum Rhetoricae de Dialectica disputationem in hunc potiſſimum locum coniiciendam duximus. Quamuis enim nonnulli Graecorum de Dialectica ita loquebantur, vt eam pro parte Rhetoricae maxime coniuncta et neceſſaria habuiſſe videri poſſint, ſiue quod aliqua eloquentiae forma primum in philoſophorum disputationibus (vnde τȣ διαλέγεσθαι et τῆς διαλεκτικῆς appellatio et poteſtas nata eſt) ſe exſeruiſſet, ſiue quod nonnulli philoſophorum, quorum princeps fuit Ariſtoteles, ſummum eloquentiae momentum in iis rebus ponerent, quae in dialecticis

 percipe-

perciperentur, reliqua, quae oratoris ingenio, arti, elegantiaeque debebantur, et vel ad delectationem, vel ad commouendos flectendosque animos comparata eſſent, contemnerent, aut repudiarent; (cf. Ariſt. Rhet. 1, 10. vbi Rhetoricam *μόριον τῆς Διαλεκτικῆς*, et mox *ὁμοίωμα* vocat; quibus ſimilis eſt illa ratio, qua Cap. 1. *ἀντίστροφον τῇ Διαλεκτικῇ* dicit) tamen huius omnis opinionis vel explanationem vel moderationem quandam a Latinis melius diſci, nobis quidem perſuaſum erat. Itaque iam ſingula loca veterum, in quibus eius rei mentio fit, diligentius examinabimus. Primum autem illud nobis erit in memoriam reuocandum, Philoſophiam omnem a veteribus in partes tres fuiſſe distributam, *moralem*, *naturalem*, *et rationalem*, quarum prima Ethicam, ſecunda Phyſicam, tertia Logicam ſ. Dialecticam comprehenderet. De hac distributione inprimis legendi ſunt Cic. de Or. 1, 15. 3, 1. Orat. Cap. 4. et 32. de Offic. 2, 2. 4. Academ. Quaeſt. 1, 5. 8. Quintil. Prooem. 1, 16. Senecae Epiſt. 89. Auct. Dial. de corr. Eloq. Cap. 30. p. 121. ed. Schulz. et aliis in locis, quae paſſim commemorabimus. Ceterum Diog. Laert. 36. Dialecticae ad Philoſophiam additionem Platoni tribuit. „Primum enim, inquit, vniformis erat omnis doctrina philoſophica, et ad naturae cognitionem pertinebat: poſtea Socrates, Ethicam addidit: denique Dialecticam Plato adiiciens philoſophiae ambitum abſoluit.“ Quod idem Cicero quoque confirmat partim Academ. Lib. 1, 5. partim in Orat. Cap. 3. „Fateor, inquit, me oratorem, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatiis extitiſſe. Illa enim ſunt curricula multiplicium variorumque ſermonum, in quibus Platonis primum impreſſa ſunt veſtigia: ſed et huius et aliorum philoſophorum disputationibus et exagitatus maxime orator eſt, et adiutus.“ cf. Quintil. 12, 2. 23. Cic. Or. 1, 18. Brut. 31. Paradox. praef. Orat. 3, 18. 19. 28. Lib. 1, 34. Auct. Dial. de corr. Eloq. Cap. 31. et Cic. Tuſc. 2, 3. Iam igitur de Dialecticae ad Rhetoricam ratione, eiusdemque cum illa coniunctione quid primum Cicero ſenſerit, videbimus. Is in eo ipſo loco, Orat. 3. quem modo laudauimus, haec disputat: „*Poſitum ſit in primis, ſine philoſophia non poſſe effici quem quaerimus eloquentem: non vt in ea tamen omnia ſint, ſed vt ſic adiuuet vt palaeſtra hiſtrionem:*

nem: nam nec latius nec copioſius de magnis variisque rebus ſine philoſophia poteſt quisquam dicere." Deinde huius philoſophiae partes ita deſcribit: „*nec vero ſine philoſophorum diſciplina, genus et ſpeciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes poſſumus: nec iudicare. quae vera, quae falſa ſint, neque cernere conſequentia, repugnantia videre, ambigua diſtinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis ſuppeditat copiam? An de vita, de officiis, de virtute, de moribus, ſine multa earum ipſarum rerum diſciplina aut dici aut intelligi poteſt?* Ergo in his ſtudium Dialectices oratori futuro non magis, quam Phyſiologiae et Ethices commendatur; non vt partes ſint, ſed adiumenta eloquentiae. Similis locus eſt Cap. 32. Ibi inter ea, quorum ſcientia imbutum eſſe vult oratorem perfectum, Dialecticorum etiam diſciplinam refert, eamque rationem *loquendi* contractiorem appellat, ita ab eloquentia diuerſam, vt haec ſit *dicendi* ratio latior et fuſior, h. e. quae de rebus iisdem non nude, non ſubtiliter disſerat, ſed ornatum etiam et copiam et amplitudinem adhibeat. Dudum enim Zeno Dialecticam pugno, Rhetoricam autem palma comparauerat, quod illa contractior, haec fuſior et latior dicendi ratio eſſet, vt tradit de Fin. 2, 6. Et in Tuſcul. 4, 5. eandem rem ita expreſſit, vt *vela orationis pandere* ad copioſiorem orationis elocutionem referret, *remis* autem *paululum propellere orationem* Dialecticis proprium ſtatueret. Porro de his, quae ad diſciplinam dialecticam pertineant, Cicero ita iudicat: „*haec tenenda ſunt oratori: ſaepe enim occurrunt: ſed quia ſua ſponte ſqualidiora ſunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.*" Huc et pertinent, quae in ſqq. Cicero de definitionibus et generis in formas et partes ſuas distributione addit. cf. Academ. 1, 8. — In Topicis ad Trebatium Cap. 2. cum *rationem disſerendi* duas partes habere dixiſſet: vnam *inueniendi*, alteram *iudicandi*: Stoicos autem in iudicandi potius ratione et ſcientia, quam Dialecticen appellent, elaboraſſe: ſed Topicen, h. e. inueniendi artem, quae ad vſum potior eſſet et ordine naturae prior, totam reliquiſſe; mox, omiſſa Dialectica, Topices diſciplinam, duce Ariſtotele, tradit. Locus autem Ciceronis claſſicus, et Commentarii inſtar, eſſe videtur Lib. 2. de Or.

38. „Ex tribus iſtis clariſſimis philoſophis, Antonius inquit, quos Romam veniſſe dixi, videsne Diogenem fuiſſe, qui diceret, artem ſe tradere bene disſerendi, et vera et falſa diiudicandi, quam verbo Graeco διαλεκτικὴν appellaret? In hac arte, ſi modo eſt haec ars, nullum eſt praeceptum, quo modo verum *inueniatur*, ſed tantum eſt, quomodo *iudicetur*. Nam et omne, quod eloquimur ſic, vt id aut eſſe dicamus, aut non eſſe, et ſi ſimpliciter dictum ſit, ſuſcipiunt dialectici, vt iudicent, verumne ſit, an falſum: et ſi coniuncte ſit elatum, et adiuncta ſint alia, iudicent, rectene adiuncta ſint: et verane ſumma ſit vniuscuiusque rationis: et ad extremum ipſi ſe compungunt ſuis acuminibus et multa quaerendo, reperiunt non modo ea, quae iam non poſſint ipſi disſoluere, ſed etiam quibus ante exorſa, et potius detexta prope, retexantur. *Hic nos igitur Stoicus iſte nihil adiuuat, quoniam quemadmodum inueniam, quid dicam, non docet: atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quae neget vllo modo poſſe disſolui, et genus ſermonis affert non liquidum, non fuſum ac profluens, ſed exile, aridum, conciſum ac minutum: quod ſi quis probabit, ita probabit, vt oratori tamen aptum non eſſe fateatur. Haec enim noſtra oratio, multitudinis eſt auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur. Quare iſtam artem totam dimittamus, quae in excogitandis argumentis muta nimium eſt, in iudicandis nimium loquax.* Ex his patet Latinos a Dialectica proprie ſic dicta, qualem Ariſtoteles in libris περὶ ἑρμηνείας et τῶν ἀναλυτικῶν expoſuit, et in qua ſola Stoici elaborabant, diligenter ſeparaſſe illam partem, quae in inueniendo verſabatur, et τοπικὴ dicta eſt, a Peripateticis tractatam, et Ariſtotele inprimis, quem ideo Cicero Or. 14. dicit *locos* tradidiſſe, quaſi argumentorum notas, vnde omnis in vtrumque partem traheretur oratio, in eoque genere adoleſcentes exercuiſſe, non ad philoſophorum morem tenuiter disſerendi, ſed ad copiam rhetorum, in vtramque partem vt ornatius et vberius dici poſſet. Quare et Antonius l. c. Critolaum Peripateticum plus ſtudio oratorio prodeſſe potuiſſe iudicat. Chryſippi autem Stoici libellos binos περὶ συντάξεως τῶν τοῦ λόγου commemorans Dionyſius Halic. Lib.

Lib. *περὶ συνθ.* haec ſentit: *οὐ ῥητορικὴν θεωρίαν ἔχουσιν, ἀλλὰ διαλεκτικήν.* Et mox: *οὐδεμίαν οὔτε χρείαν οὔτ' ὠφέλειαν τοῖς πολιτικοῖς λόγοις συμβάλλουσι, οὐδένα ἡδονὴν ἢ κάλλος ἑρμηνείας, ὧν δεῖ στοχάζεσθαι τὴν σύνθεσιν.* Et Cicero de Fin. 4, 3. Cleanthem et Chryſippum Stoicos Rhetoricam quidem ait ſcripſiſſe, ſed ſic, *vt, ſi quis obmuteſcere concupierit, nihil aliud legere debeat;* non alia de cauſa, niſi quod disſerendo tantum occupati, inueniendi artem, quae *argumentorum locos et theſauros* vt Cap. 4. ait, tradat, intactam reliquerint.

Quintilianus vero ita de Dialectica iudicat, vt intelligatur id, quod ſupra diximus, illius cum Rhetorica coniunctionem non eam habitam fuiſſe, quae partibus cum corpore ſuo intercedit, ſed multo latiorem, et ex ſola probandi, definiendi, concludendique neceſſitate ortam. Sic ille Lib. 1, 10. 37. „Orator, inquit, etiamſi raro, non tamen nunquam probabit dialectice. Nam et ſyllogiſmis, ſi res poſcet, vtetur, et certe enthymemate, qui rhetoricus eſt ſyllogiſmus.“ In eodem loco geometriae ſtudium oratori commendat, quoniam et geometria ex certis incerta probet, quod in dicendo quoque fieri ſoleat, et tota conſtet ſyllogiſmis: vnde fuiſſe quosdam, qui Geometriam Dialecticae ſimiliorem, quam rhetoricae putauerint. Quis vero idcirco Geometriam Rhetoricae partem eſſe contendat? Sic a Rhetoribus graecis et latinis multa ex Ariſtotelis disputationibus dialecticis ad vſum rhetoricum, ob qualemcunque rerum ſimilitudinem, translata ſunt. Qui v. c. *οὐσίαν* dixerunt de ſtatu coniecturali, et *τόπους οὐσιώδεις* locos ad eundem ſtatum pertinentes, ex Categoriis Ariſtotelicis nomen petierunt, quarum vna eſt *οὐσία*, qua quaeritur *an ſit?* Atqui ex eadem quaeſtione ſtatus etiam coniecturalis oriri ſolet in cauſarum conflictionibus. Itaque ad Quintil. 3, 6. 23. vbi illae categoriae, vel elementa Ariſtotelica enumerantur, Geſnerus recte adnotat, hanc diuiſionem non tam ad vſum oratorium, quam ad ſubtiliorem et propriam philoſophis disputationem eſſe comparatam. Eodem modo in Dialecticis de *ambiguo* vel *ἀμφιβολίᾳ* ſubtilis disputatio eſſe ſolet. Iam Rhetores quoque hunc locum de *ambiguo* tractant, quoniam in conſtitutione legitima ex illo controuerſia naſcitur. vid. voc. *Ambiguum.* Sed audiamus, quomodo de ea re ſentiat Auctor Herenn.

2, 11. vt Dialecticorum et Rhetorum partes diſtinguat. „Sunt, inquit, qui arbitrentur, ad hanc cauſam tractandam vehementer pertinere cognitionem amphiboliarum eam, quae a Dialecticis profertur. Nos vero arbitramur, non modo nullo adiumento eſſe, ſed potius maximo impedimento. Omnes enim illi amphibolias aucupantur, eas etiam, quae ex altera parte ſententiam nullam poſſint interpretari. Itaque et alieni ſermonis moleſti interpellatores, et ſcripti tum odioſi, tum obſcuri interpretes ſunt: et dum caute et expedite loqui volunt, infantiſſimi reperiuntur. Ita dum metuunt in dicendo, ne quid ambiguum dicant, nomen ſuum pronuntiare non poſſunt. In praeſentiarum hoc interdicere non alienum fuit, vt *huius infantiae garrulam diſciplinam contemneremus.*“ — Apertius etiam Quintilianus, quid de Dialectices et Rhetorices finibus ſentiret, declarauit Lib. 5, 14. 27. ſqq. in quo loco vim et rationem enthymematis, ſ. ſyllogiſmi rhetorici expoſuerat. „Ego, inquit, vt in oratione ſyllogiſmo quidem aliquando vti nefas non duco, ita conſtare totam, aut certe confertam eſſe aggreſſionum et enthymematum ſtipatione minime velim. Dialogis enim et dialecticis disputationibus erit ſimilior, quam noſtri operis actionibus, quae quidem inter ſe plurimum differunt. Namque illi homines docti, et inter doctos verum quaerentes, minutius et ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, et ad liquidum confeſſumque perducunt: vt qui ſibi et inueniendi et iudicandi vindicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Nobis ad aliorum iudicia componenda eſt oratio, et ſaepius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum loquendum eſt: quos niſi et delectatione allicimus, et viribus trahimus, et nonnunquam turbamus affectibus, ipſa quae iuſta et vera ſunt, tenere non poſſumus. Locuples et ſpecioſa vult eſſe eloquentia: quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis et crebris, et in vnam prope formam cadentibus conciſa, et contemtum ex humilitate, et odium ex quadam ſeruitute, et ex copia ſatietatem, et ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur non ſemitis, ſed campis: non vti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed vt latiſſimi amnes totis vallibus fluat, ac ſibi viam ſi quando non accepit, faciat.“ Haec Quintilianus, cuius

ius omnem locum adſcripſimus, quoniam ex eo omne illud diſcrimen, quod inter Dialecticam et oratoriam eloquentiam ſtatuat, luculenter intelligi poteſt. cf. Dial. de corr. Eloq. Cap. 31. et quae ad vocc. *adſtrictus, preſſus, exilis,* ex eodem genere notauimus. Neque minus notabilis eſt locus Libr. 7, 3. 24. ſqq. vbi de diſcrimine definitionis dialecticae et rhetoricae ita loquitur, vt illam ad diſputationes mutuas et altercationes dialecticas amandet, quae in cauſis agendis parum momenti faciat. Et Lib. 10, 1. 35. in eadem re hoc iudicium adhibendum eſſe vult, vt, cum vel maxime in rebus verſetur iisdem orator, in quibus philoſophi, non tamen eadem ſit conditio *litium* ac *diſputationum*, *fori*, et *auditorii*, *praeceptorum*, et *periculorum*. Nam Cap. 7, 13. *mihi ne dicere quidem videtur*, ait, *niſi qui diſpoſite, ornate, copioſe dicit.* Haec autem tria profecto non ſunt dialecticorum, vt ſupra vidimus, ſed ſolius oratoris. His, neceſſe eſt, vt addamus ea, quae Quintil. Lib. 12, 2. diſputat. Ibi cum commemoraſſet philoſophiam in tres partes diuiſam, *naturalem*, *moralem*, *rationalem*, cum oratoris opere coniunctam eſſe, ita pergit: „De vltima illa (ſc. rationali, ſ. dialectica parte) quae tota verſatur in verbis, nemo dubitauerit, ſi et proprietates cuiusque vocis noſſe, et ambigua aperire, et perplexa diſcernere, et de falſis iudicare, et colligere ac reſoluere, quae velis, oratoris eſt. Quamquam ea non tam minute atque conciſe in actionibus eſt vtendum, quam in diſputationibus; quia non *docere* modo, ſed mouere etiam et delectare audientes debet orator, ad quod impetu quoque et viribus et decore opus eſt. Et vt palaeſtrici doctores illos, quos numeros vocant, non idcirco diſcentibus tradunt, vt his omnibus ii, qui didicerint, in ipſo luctandi certamine vtantur, ſed vt ſubſit copia illa, ex qua vnum aut alterum, cuius ſe occaſio dederit, efficiant: ita *haec pars dialectica*, ſiue illam dicere malimus diſputatricem, *vt eſt vtilis ſaepe et definitionibus et comprehenſionibus, et ſeparandis, quae ſunt differentia, et reſoluenda ambiguitate*, et *diſtinguendo*, *diuidendo*, *illiciendo*, *implicando: ita ſi totum ſibi vindicauerit in foro certamen, obſtabit melioribus, et ſectas ad tenuitatem ſuam vires ipſa ſubtilitate conſumet.* In quibus quidem Quintilianus, quamuis non multum, tamen plus

 tribuit

tribuit Dialecticae, quam Craſſus apud Ciceronem Lib. 1. de Or. 15. qui haec inter alia oratorem monet: *Si me audierit, quoniam philoſophia in tres partes eſt tributa, in naturae obſcuritatem, in disſerendi ſubtilitatem, in vitam et mores; duo illa relinquamus, tertium vero,* (ſc. de vita et moribus) *quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus eſt oratori perdiſcendus: cetera ſi non didicerit, tamen poterit, ſi quando opus erit, ornare dicendo, ſi modo erunt ad eum delata, et tradita.* Praeter haec, quae ex principum Rhetorum Latinorum, Ciceronis et Quintiliani ſcriptis attulimus, ſimillimae etiam recentiorum de Dialecticae cum Rhetoricae coniunctione ſententiae ſunt. Sic Iſidorus de Art. Rhet. p. 356. apud Pith. *Coniuncta eſt*, inquit, *Grammaticae arti, Rhetorica et Dialectica.* In Grammatica enim ſcientiam *recte* loquendi diſcimus, in Rhetorica *ornate*, in Dialectica *probabiliter.* Et Georg. Trapez. Lib. 5. Rhet. p. 60. hoc modo dicit: *inuentionem dialectica ſubtilitate iuuari.* Cum hoc loco conferendi ſunt alii ſimiles, vt p. 81. et p. 84.

Iam illud colligamus, quod ex his omnibus confectum eſſe putamus. Graeci igitur et Latini Dialecticam non pro parte Rhetoricae ea habuerunt, ſine qua haec conſiſtere nullo modo poſſit, ſed quoniam in Dialectica partim eſſet quaedam muneris oratorii ſimilitudo, partim quod eadem, vt philoſophiae pars, argumentandi, concludendi, definiendi, iudicandique ſubtilitatem adferens, adiumenta haberet copiae oratoriae, idcirco plerumque et comparata fuit Rhetoricae, et ad ſtudium eloquentiae a nonnullis commendata, ita tamen, vt qui ſequerentur auctoritatem Ariſtotelis, hoc eſt, qui in probando et argumentando ſummam eloquentiae ponerent, plus Dialecticae tribuerent, quam alii, qui vtrumque illud, vel ex ingenio cuiusque, vel ex vniuerſo philoſophiae ſtudio petendum exiſtimarent. Ceterum cum his coniungenda ſunt, quae in voc. *dicere* adnotauimus; praeterea autem legenda illa, quae Voſſius de Rhetor. Nat. et Conſtitut. paſſim disputauit, vt pag. 30. ſq. pag. 45. inprimis autem Cap. VII. pag. 51. vbi ex inſtituto Rhetorices a Dialectica quadruplex diſcrimen, vna cum Ariſtotelis locorum huc pertinentium

tium accurata explicatione, traditur: et Cap. 18. in quo, quibus rebus inuentio et diſpoſitio dialectica ab illa rhetorica differat, explicatur.

Dicacitas.

Praeter ea, quae de *dicacitate* ad voc. *cauillatio* et *dicere* dicta ſunt, addimus locum Quintil. 6, 3. 21. „*dicacitas* ſine dubio a dicendo, quod eſt omni generi commune, ducta eſt: proprie tamen ſignificat *ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem.*"

Dicere.

Hoc verbo ita accurate et caute vtitur Cicero in omnibus fere ſcriptis Rhetoricis, vt proprium eſſe oratoris ſolius declarare voluiſſe videatur. Certe oratorem a dialectico, vel eloquentiam ab dialecticorum ratione et diſciplina ita ſeparat, vt ſoli oratori munus et artem *dicendi*. dialecticis autem *loquendi* et *disputandi* et *disſerendi* tribuat. vid. Brut. 31. et omnino Orat. 32. qui locus eſt de hac re claſſicus. Ibi deinde Cap. 39. „*dicere*, inquit, nihil aliud eſt, niſi omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias." Nimirum, quando Dialectici disputabant de rebus ſuis, id faciebant *preſſe et anguſte* et *erudite;* (cf. Cap. 33.) ſed oratoris eſt, de iisdem rebus dicere *explanatius* et *vberius* et *ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodatius, et aliquanto neruoſius,* vt addit Cap. 36. ſub finem. Itaque oratores, cum in eo ſunt, vt ex variis locis argumenta proponant, tum proprie *disputant*, ſed eadem etiam *dicunt*, quoties ornatum et copiam adhibent. In illo priore genere dialecticum orator agit, in poſteriore vtriusque, praecipue tamen oratoris munere fungitur. cf. quae diximus ad voc. *fuſus.* Porro Acad. Quaeſt. 1, 2. artem *dicendi*, et *disſerendi* diſtinguit, illam oratoribus, hanc dialecticis tribuens; plane vt Quintil. 7, 3. 12. tum varias finitionum formas exhibuiſſet, „*ſed de his*, inquit, *disputatur, non litigatur*," ſignificans prius ad ſcholas philoſophorum, poſterius ad forum pertinere. Hinc et *dictiones* vocantur orationes in iudiciis vel concionibus habitae, et ſemper quidem ita, vt non de philoſophis, ſed de oratoribus ſermo ſit. vid. Dial. de corr. Eloq. 34. Quintil. 2, 4. 27. Cic. de Or. 1, 33. et Brut. 73. — Verum

dicere

dicere etiam κατ' ἐξοχὴν et ſimpliciter adhibuerunt pro iocari, ita tamen, vt ſignificarent iocos breues, acutos, quos proprie *dicta* appellarunt, quo et *dicteria* et *dicacitas* pertinent. Nam haec omnia eandem vim habent. Sic Quintil. 6, 3. 70. cum docuiſſet illud *dictorum* genus per figuras etiam mentis (σχήματα διανοίας) valere, haec addit: „quaedam vt miſerantes, et quaedam vt iraſcentes *dicimus*.“

Diducere. vid. *Congeries.*

Diffluens.

Cic. Brut. 79. poſteaquam M. Calidii oratoris virtutes elocutionis enumeraſſet, *nec vero*, inquit, *haec ſoluta, nec diffluentia, ſed adſtricta numeris, non aperte, nec eodem modo ſemper, ſed varie diſſimulanterque concluſis.* E quibus ita oppoſitis et coniunctis patet, *diffluens* dicendi genus eſſe, quod nullis numeris adſtrictum, veluti vagetur, adeoque inconcinnum ſit. vid. quae ad vocc. *numerus*, *adſtrictus*, *ſolutus*, diximus. Gellius etiam N. A. 1, 15. futiles locutores dixit, qui nullo pondere verborum innixi, verbis humidis et lapſantibus *diffluant*.

Diffuſum. vid. *Contractum.*

Digeſtio.

Figura eloc. qua in partes ſuas totum digeritur. Cic. Or. 3, 54. gr. μερισμός. Vnde Quintiliano 11, 3. 114. *in digitos* argumenta *digerere* dicuntur, qui ea ſingulatim et ad digitos adnumerant. Strebaeus ad locum Ciceronis hoc digeſtionis exemplum adfert: „Tres ſunt res, quae obſtent hoc tempore S. Roſcio, crimen aduerſariorum, et audacia, et potentia etc.

Dignitas.

Auctor Herenn. 3, 13. *ſermonem*, quem dicit in oratione ſedata cerni, quatuor partibus diſtribuens, *dignitate*, demonſtratione, narratione, et iocatione, primam illam ita definit, vt ſit *oratio cum aliqua grauitate* et *vocis remiſſione pronunciata.* In hac dignitate, vt mox idem Rhetor praecipit, plenis faucibus, quam ſedatiſſima et depreſſiſſima voce, vti conueniet, ita tamen,

men, vt ne ab oratoria conſuetudine ad tragicam tranſeamus. cf. Cic. Or. 3, 38. Illud eſt, quod Graeci τὸ ἀξιωματικὸν dixerunt, et ἀξίωσιν. — In elocutione *dignitas* eſt, quae reddit ornatam orationem, varietate diſtinguens, ap. Auct. Herenn. 4, 13. Ea in exornatione verborum et ſententiarum cernitur. vid. Trapez. Lib. 5. p. 70. ed. Ald. — *Rerum et perſonarum dignitates* dicuntur, quibus res vel perſona, aut eſt magna, aut parua, aut mediocris, αἱ ἀξίαι Graecorum. v. Cic. Or. 3, 14.

Dilatare. vid. *Anguſtus.*

Diligenter.

Diligenter dicere, apud Ciceronem hanc vim habet, vt delectus verborum ſignificetur, vnde oritur elegans oratio, in qua nihil ſit inſolens neque ineptum. Cic. Brut. 37. vbi iſti rationi contrarium commemoratur, *inquinate* dicere. vid. voc. *calumniari*, et *emendatus*. *Genauigkeit in Beziehung auf Reinheit der Sprache, und deren eigenthümliche Form.*

Dilucidus.

Perſpicuitati ſignificandae iſtam metaphoram ſeruire, nota res eſt. Sed operae pretium erit, cognoſcere, quomodo Rhetores Latini in ſingulis orationis partibus hoc perſpicuitatis genus definierint. Itaque Auct. Herenn. 1, 9. *dilucide narrare*, eſt, ſi, vt quidque primum geſtum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem conſeruabimus, vt res geſtae erunt, et vt potuiſſe geri videbuntur. Hic erit conſiderandum, ne quid perturbate, ne quid contorte, ne quid ambigue, ne quid noue dicamus, ne quam in aliam rem tranſeamus, ne ab vltimo repetamus, ne longe perſequamur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus, et ſi ſequamur ea, quae de breuitate praecepta ſunt. Nam quo breuior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet. A Cicerone de Or. 3, 10. *dilucidus ſermo* ita definitur, *vt id, quod quis dicit, intelligamus.* Inprimis autem Cap. 13. ſingula, quae iſtam orationis dilucidam rationem, ſeu perſpicuitatem efficiant, ita enumerantur: „*latine loquendo, verbis vſitatis, et proprie demonſtrantibus ea, quae ſignificari*

ficari et declarari volemus, ſine ambiguo verbo aut ſermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae ſimilitudinis cauſa ex aliis rebus transferuntur, non diſcerptis ſententiis, non praepoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine." Ibidem orationi planae vel dilucidae, opponitur *confuſa*, et *perturbata*, in qua nihil primum eſt, nihil ſecundum. vid. voc. *apertus.* Apud Gellium N. A. 1, 10. adoleſcenti voces nimis priſcas et ignotiſſimas in quotidianis ſermonibus expromenti commendatur exemplum veterum, qui *plane* et *dilucide* cum ſuis fabulati ſint. — Quintilianus Lib. 8, 2. „Si neque pauciora, inquit, quam oportet, nec plura, neque inordinata, aut indiſtincta dixerimus, erunt *dilucida*, et negligenter quoque audientibus *aperta.* Vnde et eidem Lib. 11, 3. 3‹. *dilucida* pronunciatio dicitur, quae verba tota exigat, vel exprimat, quam mox *verborum explanationem* appellat. Curius autem Fortunatian. p. 76. *dilucidam pronunciationem* in eo collocat, vt ſonus vocis medius ſit, nec grauiſſimus, nec acutiſſimus.

Dinumeratio.

Fig. eloc. gr. ἀπαρίθμησις. Cic. Or. 3, 54. Eam tamen ad figuras referendam negat Quintil. 9, 3. qui eam ex Rutilio laudat. Vnde Ruhnkenius ad Rut. Lup. p. 61. ſuſpicatur μερισμὸν a Quintiliano illo nomine latino elatum.

Diſceptationes.

Hae ſunt controuerſiae forenſes, ab oratore ciuili tractandae in foro et iudiciis. Cic. de Or. 1, 15. gr. ἀγῶνες.

Diſcerpere.

Sententiae *diſcerptae* a Cicerone de Or. 3, 13. in recenſu earum rerum commemorantur, quae perſpicuitatem tollant, et obſcuram orationem reddant, oriunturque tum, cum ſententiarum contextus variis nimiumque multis interiectionibus atque inciſis (gr. παρεμπτώσεσι, vel παρενθέσεσι veluti disrumpitur, vt cum in fine ſententiae verſamur, eius initii obliti ſimus.

Diſiun-

Diſiunctio.

Auctor Herenn. 4, 27. eo nomine appellat figuram elocutionis, qua eorum, de quibus dicimus, aut vtrumque aut vnum quodque certo concluditur verbo; quod Graeci *διεζευγμένον* dixerunt. Affines huic figurae ſunt, 1) *coniunctio*, cum interpoſitione verbi et ſuperiores orationis partes comprehenduntur (gr. *μεσόζευγα*. vid. Lex. gr. in voc. *ζεῦγμα*). Hanc *interiectionem* ſ. *ἐπιβολὴν* vocaſſe videtur Aquila Rom. de Fig. p. 23. — 2) *adiunctio*, cum verbum, quo res comprehenditur, non interponimus, ſed aut primum (*πρόζευγα*), aut poſtremum collocamus (*συνεζευγμένον*, aut *ζεῦγμα*, vt in hac ſententia: *amantium irae amoris redintegratio eſt.*) — Cicero Or. 3, 54. idem hoc *ζεῦγμα* deſcribit, *quod de ſingulis rebus propoſitis ductum, refertur ad ſingula.* Quamuis alia *adiunctio* eſt, quam ibidem inter figuras verborum nominat. Eius Strebaeus hoc exemplum ponit: „Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.“ v. Quintil. 9, 3. 62. et Iul. Rufin. p. 30. vbi *ligationem* et *adnexionem* hanc figuram dicit. — Aquila Rom. p. 22. *diſiunctum* vocans, *haec figura*, inquit, *ita ornat et amplificat orationem, vt diuerſis redditionibus verborum membra, quae vocantur κῶλα diſiungat et ſeparet, ſiue duo, ſiue plura. Animaduertere autem potes, nihil intereſſe, vtrum in poſtremis partibus membra diſiungantur, neceſſitate verborum, an in primis, an hoc viciſſim fiat.* vid. *iniunctum.* Ad idem genus pertinet et *ὑπόζευξις*, quam Iul. Rufin. p. 30. interpretatur *ſubiunctionem*, vel *ſubinſertionem*, vel *ſubnexionem*, cum ſingulis rebus ſententiisque ſingula debita verba iunguntur. —

Aliud genus *diſiunctionis* eſſe videtur, quod in nominum idem ſignificantium ſeparatione ineſt, a Quintiliano Lib. 9, 3. 45. memoratum, hoc exemplo addito: *vos ſtatuiſtis, vos ſententiam dixiſtis, vos iudicaſtis.* Ibidem hoc genus *μετωνυμίαν* dici ait, pro quo Turnebianus Commentator *συνωνυμίαν* legendum putabat. Ei contrariam mox eam formam ponit, qua verba idem ſignificantia congregantur, quod eſt genus *pleonaſmi*, vt in illis: *abiit, exceſſit, euaſit, erupit.* In quo tamen et virtus et vitium ineſſe poteſt, cum partim vim dicendi adiuuet, partim abundantem ſupra neceſſitatem

ceſſitatem orationem reddat, vt bene Quintilianus notat. — Aliter etiam in Dialecticis *disiunctio* dici ſolet, de qua vid. Cic. Top. 14. et de Nat. Deor. 1, 25.

Diſpoſitio.

Auctori Herenn. 1, 2. *diſpoſitio* eſt ordo et distributio rerum, quae demonſtrat, quid, quibus in locis ſit collocandum, vel alio loco Lib. 3, 9. per quam illa; quae inuenimus, in ordinem redigimus, vt certo quidque loco pronuntietur. Vnde et Lib. 4. vlt. *diſtincte et ordinate disponere* praecipit. Ciceroni de Inuent. 1, 7. *diſpoſitio*, rerum inuentarum in ordinem distributio dicitur. Vnde hanc partem oratoriae facultatis Cicero Or. 2, 76. etiam *ordinem collocationemque rerum et locorum* appellat; facitque duplicem, alteram, quam afferat natura cauſarum, alteram, quae oratorum iudicio et prudentia comparetur. Quintilianus Lib. 3, 3. „non tantum refert, inquit, quid et quomodo dicamus, ſed et *quo loco;* opus ergo eſt et *diſpoſitione.*“ Inprimis autem dilucidae metaphorae ſunt, quibus Lib. 7. praefat. et capite vltimo *diſpoſitionis* vim et ambitum et vero etiam neceſſitatem, vtilitatemque explicare ſtudet. Priori in loco haec ſunt; „vt opera exſtruentibus ſatis non eſt, ſaxa et materiam, et cetera aedificanti vtilia congerere, niſi diſponendis iis collocandisque artificum manus adhibeatur: ſic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congeſtum. niſi illas easdem *diſpoſitio* in ordinem digeſtas, atque inter ſe commiſſas deuinxerit.“ Poſteriori autem alia metaphora vſus diſpoſitionem comparat virtuti imperatoris, copias ſuas partientis ad caſus praeliorum, retinentis partes propter caſtella tuenda, cuſtodiendas vrbes, petendos commeatus, obſidenda itinera, mari denique ac terra diuidentis. Fortaſſe Rhetor in hanc metaphoram incidebat, cum de Graecorum τάξει cogitaret, quam vocem illi diſpoſitionis eiusdem ſignificandae cauſa ex media re militari transtulerunt. vid. Lex. gr. techn. in voc. τάξις. Eundem rei militaris fontem ſecutus Cicero *inſtruere* pro diſponere dixit, vt infra docuimus ad h. v. Ceterum Quintilianus Cap. 1. *diſpoſitionem* dicit diuiſione et partitione conſtare, et *vtilem rerum ac partium in locos distributionem* definit. vid. voc. *diuiſio.* Quod vero idem

idem l. c. Cap. vlt. *oeconomicam* totius cauſae *diſpoſitionem* appellat, ſecutus eſt Dionyſium Halicarnaſſenſem, qui paſſim *οἰκονομίαν* vocat, quam Latini diſpoſitionem. cf. Lex. gr. techn. in illo voc. Vnde et Lib. 8, 3. 59. *τὸ ἀνοικονομητὸν* Graecorum interpretatur, *quod male diſpoſitum eſt.* Singula praecepta, quae diſpoſitio per omnes partes orationis, inprimis per varia quaeſtionum genera deſiderat, in Libro 7. collocauit et explicauit. Haec autem omnia proxime ad vſum forenſem et iudicialem comparata ſunt, ſubtilitatemque ſcholaſticam redolent, ornatum orationis reſpuentem, adeoque etiam copia verborum technologica non admodum abundant.

D i s p u t a t i o.

Sic Ciceroni de Or. 3, 55. vocatur peculiare genus dicendi, quo pro re, et contra rem in medium adductam alternis vicibus disſeritur: *der gelehrte, der wiſſenſchaftliche Unterredungs - Vortrag.*

D i s ſ i p a t i o.

Figura eloc. qua totum ita partimur, vt loca diverſa ac disſita exprimantur, *hic* — *illic.* v. Cic. Or. 3, 54. Quintil. 9, 3. 39. vbi illum ipſum Ciceronis locum laudat, et exemplum addit e Virgil. Georg. 1. 54. — Contraria illi figurae eſt forma illa, quae coniunctam rerum diuerſitatem exhibet, qua multa in vnum congeruntur, *μεταβολή* dicta Caecilio. vid. Lex. gr. techn. in *μεταβολή*.

D i s ſ i p a t u s.

Orator *disſipatus* Ciceroni dictus, qui inuenta non recte disponere, et apte collocare ſolet. Sic in Bruto 59. „M. Curio *tardus in cogitando, tum in inſtruendo disſipatus fuit.*“ Ipſa autem *oratio disſipata* Or. 65. eſt, quae omnino numeris et concinnitate caret; quam eandem et *incultam* et *fluentem* appellat. cf. Cap. 70. vbi compoſiti oratoris bene ſtructa collocatio opponitur *disſipatae* inconditi oratoris ſententiae. quae et *diffluens et ſoluta* vocatur. Neque alia de cauſa *disiunctus* Brutus dicitur apud Auctorem Dial. de corr. Eloq. Cap. 18.

D i s ſ i m u l a t i o. D i s ſ i m u l a t u s.

Rhetores Latini *disſimulationem* interpretati ſunt, quam *εἰρωνείαν* Graeci dixerunt, eiusque vim ita adum-

 brarunt,

brarunt, vt, ſiue tropus ſiue figura exiſtimaretur, ad vrbanitatem quandam orationis, tanquam ſpecies, pertineret. Ita Cic. Or. 2, 67. „vrbana etiam *disſimulatio* eſt, inquit, cum alia dicuntur, ac ſentias, non illo genere, de quo ante dixi, cum contraria dicas, ſed cum toto genere orationis ſeuere ludas, cum aliter ſentias, ac loquare. Genus eſt perelegans, et cum grauitate ſalſum, cumque oratoriis dictionibus, tum vrbanis ſermonibus accommodatum.“ Et mox huic disſimulationi finitimum eſſe dicit, *cum honeſto verbo vitioſa res appellatur*; quod εὐφημισμȣ̃ vel ὑποκορισμȣ̃ genus eſt. vid. *Deriuatio*. In figurarum recenſu a Cicerone commemoratur Lib. 3, 53. *illa, quae maxime quaſi irrepit in hominum mentes, alia dicentis, alia ſignificantis, disſimulatio.* Eandem in Orat. Cap. 39. ita deſcribit: *contra ac dicat, accipi et ſentiri velit.* cf. Quintil. 6, 3. 68. et 85. vbi *ſimulationem* a *disſimulatione* ita diſtinguit, vt illa ſit opinio quaedam animi ſui imitantis, haec aliena parum ſe intelligere fingentis. Libro autem 9, 2. 44. quoniam nomine *disſimulationis* vires τῆς εἰρωνείας parum oſtendantur, ſatius eſſe ſtatuit, in Graeca appellatione acquieſcere: itaque *ironiam*, ſiue tropus, ſiue ſchema ſit, non genere ipſo diſtare, quod in vtroque *contrarium ei, quod dicitur, intelligendum* ſit, ſed ſpecies eius tamen diuerſas eſſe. Deinde ita cenſet: *quemadmodum* ἀλληγορίαν *facit continua* μεταφορὰ, *ſic hoc ſchema troporum ille contextus facit.* Species vero huius figurae ita explicat: εἰρωνεία eſt et, cum ſimiles imperantibus vel permittentibus ſumus, vt: *I, ſequere Italiam ventis;* et, cum ea, quae nolumus videri aduerſariis eſſe, eis concedimus. Nec in perſonis tantum, ſed et in rebus verſatur *haec contraria dicendi, quam quae intelligi velis, ratio*, vt in eleuationibus huius generis: *ſcilicet is ſuperis labor eſt.* Ad eandem formam pertinent 1) confeſſio nihil nocitura 2) conceſſio, cum aliquid etiam iniquum videmur cauſae fiducia pati. 3) conſenſio. Iulius etiam Rufinian. p. 37. εἰρωνείαν latine *disſimulationem et irriſionem* interpretatur: pag. autem 24. ſex ironiae ſpecies numerat, chleuaſmum ſ. ἐπικερτόμησιν, charientiſmum, ſ. σκῶμμα, aſteiſmum, diaſyrmon, ἐξȣθενισμὸν, σαρκασμόν. — Sed praeter illud vrbane et facete dicendi conſilium, aliae quoque disſimulationis cauſae et fere honeſtio-

neſtiores quidem illae, cogitari poſſunt. Saepe enim vel modeſtiae vel prudentiae gratia disſimulamus, vt aut arrogantiae ſuſpicionem amoliamur, aut plus proſimus. Vtrumque disſimulandi genus in dicendi virtutibus Quintilianus commemorauit. Itaque *disſimulata actio* Lib. 4, 1. 60. dicitur eſſe oratoris, qui nec verbis nec vultu nec geſtu nimium promittit, ſed artem ſuam veluti occulit, vt illaboratae ſimilis oratio videatur. Eam actionem ἀνεπίφατον Graecos dixiſſe, ibidem Fabius notauit. Deinde eiusdem libri Cap. 2. §. 117. *compoſitionem disſimulatam* dicit ita concinnam et numeroſam verborum ſtructuram, vt tamen ars, et induſtria concinnandi non appareat.

Disſoluere.

Expreſſiſſe videntur Graecorum λύειν, refutare, confutare argumenta accuſatoris, quod facit is, qui defendit. Sic Quintilianus paſſim, vt Lib. 5, 13. init. vbi tamen mox §. 15. *disſoluere argumenta* etiam is dicitur, qui ſeparatim ad ſingula reſpondet, cui contraria ratio eſt *congerendi*, vt *turba valeant: die Beweiſe einzeln nach einander beantworten.* Quale autem ſit *disſolutum dicendi genus*, ad vocc. *fluctuans* et *numerus* explicauimus.

Disſolutio.

Gr. διάλυσις, ſ. λύσις figura, quae coniunctionibus verborum e medio ſublatis, partibus ſeparatis effertur, vt definit Auct. Herenn. 4, 30. hoc exemplo vſus: *Gere morem parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus.* Hoc genus, inquit, et acrimoniam habet in ſe, et vehementiſſimum eſt, et ad breuitatem accommodatum. cf. Cic. Partit. Cap. 6. *Disſolutum* vocat Cic. Or. 3, 54. Vnde et Graecis ἀσύνδετος λέξις, et διαλελυμένη et ἄλυτος dicitur, de quibus vid. Lex. gr. techn. In Orat. Cap. 39. eadem ita enunciatur: *cum demtis coniunctionibus, disſolute plura dicuntur.* cf. Quintil. 9, 3. 50. vbi hanc formam a nonnullis etiam βραχυλογίαν, veluti *copulatam disſolutionem* dici notat. Aquila Rom. p. 22. *ſolutum* appellat. Contrarium eſt, quod Graeci πολυσύνδετον, ſ. συνάφειαν, Latini *connexum*, et *coniunctionibus abundans* ſchema vocant. v. Quintil. 9, 3. 51. et Berger. de nat. pulcr. or. p. 174.

D i ſt i n ct i o.

Eiusdem verbi crebrius poſiti diſtinctio, in figuris commemoratur Cic. Or. 3, 54. Capperonerius ad Quintil. 9, 1. aliquod genus πολυπτώτȣ intelligit. Quintil. 9, 3. 65. *diſtinctionem* interpretatur formam illam dicendi, qua ſimilia discernuntur, vt in his: *cum te pro aſtuto ſapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberati diligentem;* cui nomen Graeci dederint παραδιαστολὴν, contrariam τῇ συνοικειώσει, quae duas res diuerſas colligit. v. Lex. gr. techn. in συνοικείωσις. Eandem formam Graecorum Iul. Rufinian. p. 33. *discriminationem* appellat. Deinde Quintil. l. c. §. 82. *diſtinctionem* etiam appellari tradit ſpeciem quandam ἀντιθέτȣ ſ. contrapoſiti, hac quidem ratione, vt varia verba ſimili caſu, disſimilique ſententia in vltimo locentur, vt: *quod in tempore mali fuit, nihil obſit, quin, quod in cauſa boni fuit, proſit.*

D i ſt i n g u e r e. D i ſt i n ct u s.

Cum hae voces proprie rerum per interualla poſitarum notationem habeant, vſurpatae Rhetoribus ſunt maxime in orationis ornamentis, quorum virtus et vis in raritate quadam et moderatione cernitur. Vnde et haec ornamenta paſſim a Rhetoribus *flores*, et *inſignia, lumina, ſtellae, margaritae, purpura, diademata, aurum*, vocantur, quoniam harum rerum ea natura eſt, vt ſeparatione quadam et dispoſitione, et per interualla certa diſtinctione placeant, et vim ſuam exſerant. De his metaphoris et ſimilibus, ex omnibus ſcriptoribus accurate congeſtis et explicatis, vid. Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 3, 21. p. 307. ſqq. Sic Cic. Or. 3, 25. „vt conſperſa ſit oratio quaſi verborum ſententiarumque floribus, id non debet eſſe fuſum aequabiliter per omnem orationem, ſed ita *diſtinctum*, vt ſint, quaſi in ornatu, dispoſita quaedam inſignia et lumina.“ cf. Partit. Cap. 13. Et Auctori Herenn. 4, 11. *diſtincta* coloribus oratio eſt, quae raras exornationes habet. Hoc enim artis eſt: inertiae autem, obruere inepte coloribus, vnde *oblita* oratio oritur. „Omne genus orationis, inquit, dignitate afficiunt exornationes; quae ſi rarae disponantur, *diſtinctam*, ſicuti coloribus; ſi crebrae collocabuntur, *oblitam* reddent orationem.“ Eodem ſenſu Cic. Or. 3, 25. *concinna, diſtincta, ornata, feſtiua,*

ſeſtiua, oratio coniunctim dicitur, vt in *diſtincta* id genus ornatus notetur, quod verborum et ſententiarum floribus et luminibus ſplendeat. Quo et puto illud referendum eſſe, quod Cicero in Dial. de corr. Eloq. Cap. 18. Graccho et Craſſo *diſtinctior* dicitur.

Sed aliae quoque ſunt formulae dicendi, in quibus propriam potius vocabuli *diſtinguere* ſignificationem ſecuti videntur. Si quis enim ſimpliciter *diſtincte* locutus eſſe notatur, oratio accurata, et certo deliberatoque ordine inſtructa intelligi videtur. Ita Gellius 7, 3. Catonis orationem contra Tironis reprehenſiones defendens: „non *diſtincte* nimis, nimisque comte et modulate res acta eſt: ſed quaſi in ancipiti certamine cum ſparſa acies eſt, multis locis Marte vario pugnatur, ſic in iſta tum cauſa Cato omnibus *promiſcue* tuendi atque propugnandi modis vſus eſt" Cum autem Cicero Or. 3, 14. ad ſummam oratoris laudem et admirationem hoc maxime requirit, vt *diſtincte*, explicate, abundanter, illuminate et rebus et verbis dicat, et in oratione quaſi quendam numerum verſumque conficiet, non dubito, huius *diſtinctae orationis* vim eandem eſſe, quam accurata rerum inuentarum diſpoſitio habeat, qua efficitur, vt ne quid perturbate, et obſcure et promiſcue dicatur. Similia ſunt, quae ad h. l. Strebaeus diſputat. „*Diſtincte* dicit is, inquit, qui non res crebras, et inordinatas congerit in vnum, more ſubtilium philoſophorum, ſed argumentum ab argumento, ſententiam a ſententia, locum a loco quibusdam velut interuallis diſtinguit et ſeparat." Ergo huc quoque pertinet locus Cic. de Offic. 1, 1. vbi apte, *diſtincte* et ornate dicere, proprium oratoris eſſe iudicat. Vnde in virtutibus pronuntiationis a Quintiliano Lib. 11, 3. 35. et hoc ponitur, vt ſit oratio *diſtincta*, h. e. vt is, qui dicit, et incipiat vbi oportet, et deſinat. Ad quam diſtinctionem pertinet, vt obſeruetur, quo loco *ſuſtinendus*, vel *ſuſpendendus* ſermo, et quo *deponendus* ſit. De his vocibus ſeparatim ſuo loco dictum eſt. Ciceroni autem Tuſcul. 2, 3. *diſtincte ſcribere* is dicitur, qui ita ſcribit, vt ambigua diſtinguat.

Diſtributio.

Ex diſciplina Auctoris Herenn. 1, 10. in cauſarum diuiſione, quae poſt narrationem inſtituitur, *diſ-*

tributio fit duobus modis, *enumeratione*, cum dicimus numero, quot de rebus dicturi ſimus, et *expoſitione*, cum res, de quibus dicturi ſumus, breuiter et abſolute exponimus. Idem Lib. 3, 13. contentionis illius, quae voce et pronuntiatione oratoria efficitur, duas partes ſtatuit. *continuationem*, et *distributionem*, quam quidem dicit eſſe *orationem frequentem, cum raris et breuibus interuallis, acri vociferatione.* Tum nempe orator affectu concitatus, non continuo impetu, ſed clamore per interualla et veluti quosdam ſingultus aucto, loquitur. Verum in vtroque genere non tam affectus, qui proprie dicitur, quam ἐνϑυσιασμὸς quidam confirmandi aut confutandi intelligendus eſt. Cap. 14. „in *distributione*, inquit, ab imis faucibus exclamationem, quam clariſſimam adhibere oportet, et quantum ſpatii per ſingulas exclamationes ſumſerimus, tantum in ſingula interualla ſpatii conſumere iubemur.“ vid. voc. *contentio.* — Figura elocutionis, quae *distributio* dicitur Auct. Herenn. 4, 35. et Cic. Or. 3, 53. hanc vim habet, vt in plures res aut perſonas negotia quaedam dispertiantur. Eandem haud dubie Cicero in mente habuit, cum de Orat. 39. haec ſcriberet: *aliud alii tribuens dispertiat.* Iul. Rufinian. p. 33. διαίρεσιν Graecorum, quae eodem pertinet, *distributionem*, vel *deſignationem* interpretatur. Hinc et *distribute ſcribere* dicitur, qui ita ſcribit, vt genera in formas accurate distribuat. cf. Tuſcul. 2, 3. et de Inuent. 2, 59.

Diuinus.

Quamuis hic modus loquendi, quo *diuinum*, et *Deum* adeo dicere ſolebant, quem eloquentiſſimum, et ſummum dicendi artificem ſignificare vellent, ad τεχνολογίαν rhetoricam, quam proprie vocamus, non pertinet, tamen metaphoram dignam cenſebamus, quae commemoraretur hoc loco et explicaretur. Mucius apud Ciceronem de Or. 1, 23 ad Craſſum: „equidem, inquit, te cum in dicendo ſemper putaui *deum*, tum vero tibi nunquam eloquentiae maiorem tribui laudem, quam humanitatis.“ Neque de genere ſolum, et omni eloquentia id valuit, ſed et in parte aliqua, vt *in dispoſitione argumentorum Deum* Antonium eſſe Catulus praedicat apud Cic. de Or. 2, 42. Sic et perfecti oratoris *diuinitas* commemoratur Lib. 2, 74. et ſimpliciter

adeo

adeo Cap. 89. Catulus Antonii *in cauſis diuinitatem* admiratur. cf. Lib. 3, 14. — *Diuinitas* autem *loquendi* Theophraſti, qui ex ea nomen inuenit, ita commemoratur Orat. Cap. 19. vt eam Cicero ad ornatum venuſtumque atque elegans dicendi genus potius, quam ad excellentiam oratoris proprie ſic dicti retuliſſe videatur. Nam illi diuinitati neruos et aculeos forenſes et oratorios opponit. vid. Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 1, 9. et quae in Lex. gr. techn. ad voc. *βασιλεὺς* et infra ad voc. *regnare* diximus.

Diuiſio.

Auctor Herenn. Lib. 1, 3. et 4, 40. duplex genus *diuiſionis* commemorat, quarum vna eſt, per quam aperimus, quid conueniat cum aduerſario, quid in controverſia ſit, et per quam exponimus, quibus de rebus ſimus dicturi. Haec narrationem ſequitur, habetque veluti partem ſpecialem, *diſtributionem*, de qua ſupra vidimus. Eadem ſine dubio eſt, quam Graeci *διαίρεσιν*, Latini frequentius *diſpoſitionem* vocarunt. cf. Quintil. Lib. 8. prooem. et Lex. gr. techn. in voc. *οἰκονομία*. Altera eſt, quae rem ſemouens a re, vtramque abſoluit, ratione ſubiecta. Inter vtramque hoc intereſt, quod illa prior diuidit per enumerationem aut per expoſitionem, quibus de rebus in tota oratione diſputatio futura ſit, haec poſterior ſe ſtatim explicat, et breui duabus aut pluribus partibus ſubiiciens rationes, orationem exornat. Hoc genus *μερισμὸν*, ſ. *ἐπιμερισμὸν* vel *ὑπομερισμὸν* Graeci dixiſſe videntur. vid. Lex. gr. in his vocc. et quae ad voc. *partitio*, et *digeſtio* dicta ſunt. — Quintilianus Lib. 7, 1. *diuiſionem* a partitione et diſpoſitione ita diſtinguit, vt iſta ſit rerum plurium in ſingulas res partitio, ſingularum in partes discretus ordo, et recta quaedam locatio prioribus ſequentia adnectens: diſpoſitio autem, vtilis rerum ac partium in locos distributio. Capite autem 9. *diuiſionem* appellat, cum verba, quae coniunctim pronuntiata ambiguitatem ſenſus facere poſſint, interſpiratione et mora dicentis ita ſeparantur, vt ambiguitas tollatur; quae potius grammatica quam rhetorica ratio eſſe videtur. Deinde Lib. 2, 6. 1. *materias diuiſione dirigere*, Rhetor in ſcholis dicebatur, cum diſcipulis materiam aliquam partibus et capitibus ſuis distributam pro-

 ponebat,

ponebat, quam protinus ipſi latius exponerent, et in declamationem conuerterent. Hanc ideo paulo poſt *praeformatam materiam* appellat, *eine Skizze von Materialien zu einer ausführlichern Declamazion, eine ſkizzirte Darſtellung des Ganzen.* De hoc genere vid. Seneca in Controu. Lib. 3. praef. quem locum attulimus ad voc. *implere;* et Creſoll. Theatr. Rhet. 4. 8. p. 416. — Ex recentioribus Georg. Trapezunt. Rhet. Lib. 1. p. 7. *diuiſionem* contentionis (τῦ ἀγῶνος) partem facit, inque *ſeiunctionem* et *distributionem* dispertitur. vid. *partitio.*

Dolor. vid. *Senſus.*

Dubitatio.

Auct. Herenn. 4, 29. hanc formam dicendi ita deſignat, vt *quaerat orator, vtrum de duobus potius, aut quid de pluribus potiſſimum dicat.* vid. Lex. gr. techn. in διαπόρησις et ἀπορία. cf. Cic. Or. 3, 53. et 54. vbi figuram ſententiarum et verborum eſſe ſtatuit. In Orat. 39. ita adumbrat: *addubitet quid potius, aut quo modo dicat.* Quintilianus Lib. 9, 2. 19. „affert, inquit, aliquam fidem veritatis et *dubitatio,* quum ſimulamus quaerere nos, vnde incipiendum, vel deſinendum, quid potiſſimum dicendum ſit. Alio loco Cap. 3, 88. *dubitationem* ita iudicat, vt alia ſit in re, alia in verbo, quemadmodum in hac formula: *ſiue me malitiam, ſiue ſtultitiam dicere oportet.* — Aquila Rom. p. 14. διαπόρησιν *addubitationem* interpretatur, qua vtamur, cum propter res aliquas videri velimus dubitare, et quaſi ab ipſis iudicibus conſilium capere, quo potiſſimum genere orationis vtamur. cf. Iul. Rufinian. p. 25. qui ἀπορίαν et διαπόρησιν easdem eſſe ſtatuit, eandemque, quam ſupra Quintiliani eſſe diximus, interpretationem habet. Macrobius Saturn. 4, 6. ἀπόρησιν h. e. addubitationem, πάθος facere dicit, quia ſit vel dolentis, vel iraſcentis, dubitare quid agas, eiusque hoc exemplum e Virgilio adfert: *en quid ago? rurſusne procos irriſa priores experiar?*

Dubius.

Genus cauſae *dubium* vel anceps (gr. ἀμφίδοξον) dictum eſt, cum haberet in ſe cauſa et honeſtatis et turpitu-

turpitudinis partem. Sic Auct. Herenn. 1, 3. vid. voc. *anceps*.

Ducere.

Ducere os, quo ſenſu dicatur, ad voc. *vultus* notauimus. Sed alius ſubtilior apud Quintilianum, elegantiſſimum metaphorarum auctorem, illius vocabuli vſus eſt, cuius vim hac data occaſione accuratius explicare conabimur, praeſertim cum ea explicatio nonnullis aliis dicendi formis, non minus ſubtiliter delectis, lucem ſit allatura. Diſciplinae Rhetoricae Graecorum Latinorumque praeceptum eſt ſatis celebratum, vt orationis compoſitio et omnis concinnitas conſentanea ſit naturae ipſarum rerum, de quibus dicamus. Hae res autem ita diſtingui poſſunt, vt vel ſublimia, vel lenia, vel vehementia, vel mollia et delicata dicendo ſignificemus. Iam vero cum orationi pedes quidam tributi ſint, quorum vel longitudine vel breuitate, vel vtriusque viciſſitudine et coniunctione varia, varii etiam tarditatis celeritatisque gradus ſignificari pronuntiando poſſunt, ſingulis illis rerum affectionibus congruentes, hinc factum eſt, vt hos ipſos gradus numerorum ſuis quemque nominibus Rhetores inſignirent et declararent. In quo quidem genere ſubtilitatis neſcio an ceteros omnes Quintilianus ſuperauerit. Is ergo Lib. 9, 4. 140. hoc ponit: „ſublimia *ingredi*, lenia *duci*, acria *currere*. delicata *fluere* debere." De ſublimibus antea ita iudicauerat: *ſublimia ſpatioſas claraſque voces habent, amant amplitudinem dactyli quoque, ac paeonis, temporibus ſatis pleni;* haec ſublimia itaque *ingredi* debent, h. e. iis vocibus maxime ſignificari, quibus ex longioribus pedibus grauis quidam et ſeuerus ſtabilisque inceſſus eſt, vt hoc ipſa ſublimitatis natura ſuſtentetur. In Graecis ῥυθμὸς βεβηκὼς dictus eſt, qualis eſt inprimis ſpondaicus numerus, de quo et Cicero Orat. 64. *habet ſtabilem et non expertem dignitatis gradum; das gravitätiſch einherſchreitende Sylbenmaaß.* vid. Lex. gr. techn. in voc. βαίνειν. — Quomodo autem *lenia duci* debeant, notionibus vtrique vocabulo ſubiectis expediendis aſſequemur. Nam vt lenia in oratione dicuntur, quae remiſſa ſunt et moderata, tum ornatu et ſplendore, tum affectibus et actione, ita in *ducendo*, ſiue hoc propter imbecillitatem,

ſiue modeſtiae cauſa fiat, temperatum quendam et tardiorem motum cogitare ſolemus. Itaque *lenia ducuntur* tum, cum verbis maxime iis vtimur, quae numerum ex longis breuibusque pedibus mixtum habent. Sic ipſe Quintilianus de narratione dixerat, in quam illa lenitas orationis inprimis cadit: *narratio fere tardiores, atque vt ſic dixerim. modeſtiores deſiderat pedes, et nominibus maxime mixtos.* — Tertium orationis velvti motum, qui *curſu* conſtat, et vehementiae vel acrimoniae proprius eſt, vnde *acria currere debere* dicuntur. Quintilianus in proxime antecedentibus ita fere explicuerat: *argumenta acria et citata pedibus quoque ad hanc naturam accommodatis vtentur, non tamen ita vt trochaeis, quae celeria quidem, ſed ſine viribus ſunt: verum quamuis ſint breuibus longisque mixta, non tamen plures longas quam breues habebunt.* Vnde τροχερὸς ῥυθμὸς Ariſtoteli dicitur Rhetor. 3, 8. 2. Dionyſius autem Halic. τάχος τῆς ἀπαγγελίας tribuit verſibus Homericis, quibus ſaxum de vertice montis deuolutum deſcribitur, propter numerum dactylicum, de Compoſ. Cap. 20. p. 142. ed. Reisk. cf. omnino Lex. gr. techn. in voc. τάχος et γοργότης — Vltimus motus eſt ſimilis aquae fluentis, in qua cum leniſſimae tranquillitatis et mollitudinis notionem concipiamus animo, in oratione etiam quae delicata ſunt, h. e. ſuauia, tenera, mollia, *fluere* debere dicuntur, cum iis numeris efferuntur, qui iſti notioni ſeruandae apti ſunt, quales eſſe ſolent elegiaci, vnde elegi *fluentes* dicti Plinio Epiſt. 5, 17. vid. Lex. gr. techn. in voc. ῥέειν.

Ductus.

Ductus rei credibilis apud Quintil. 4, 2. 53. eſt cohaerentia quaedam et συνάφεια rerum narratarum, quarum contemplatio rem credibilem facit. *Aliqua enim*, inquit, *naturaliter ſequuntur et cohaerent, vt, ſi bene priora narraueris, iudex ipſe, quod poſtea ſis narraturus, expectet: ein gewiſſer natürlicher Zuſammenhang in den Umſtänden der Erzählung, der uns aus der Andeutung eines Umſtandes, alle übrigen noch darzuſtellenden voraus ahnen oder errathen läſt.* In ſententia autem vel enuntiatione ſingulari *ductus* Quintil. 9, 4. 30. dicitur certa quaedam verborum collocatio et compoſitio, a certo dicentis conſilio pendens,

quos et *elocutionum tractus* appellat Lib. 4, 2. 118. — Porro apud Cur. Fortunatian. in Rhet. Schol. p. 41. Pith. *ductus* vocatur veluti methodus cauſae agendae, vel ipſa cauſae ratio et indoles, quae aptam ſibi tractationem deſiderat. Itaque quinque genera ductus commemorat, ſubtilem, ſimplicem, figuratum, obliquum, mixtum: quae omnes veluti ſunt quaeſtionum variae formae, quae totidem tractandi methodos requirunt. A *ductu* discernit *modum*, qui non ad continuam orationem, ſed eius aliquam partem pertineat. De iisdem *ductus* generibus exponit copioſe Georg. Trapezunt. Lib. 4. Rhet. p. 51. *Ductus*, inquit, *eſt dicendi ratio, qua tota cauſa oratori agenda eſt.* Eum in *ſimplicem* et *figuratum* partitur: deinde rurſus *ſimplicem*, in rectum et ſimulatum: *figuratum* autem in contrarium, obliquum, et per ſubiectionem ſ. *κατ᾽ ἔμφασιν.*

Dulcis.

Cum veteribus *dulcis* aliquis ſcriptor dicitur, ſenſus certus ex Graecorum conſuetudine loquendi petendus eſt, qui γλυκύτητα et ἡδονὴν tribuerunt iis, qui cum elocutionis naturali quadam gratia, venuſtate et candore, rerum etiam ſuauitatem quandam coniunxerint. Talem γλυκύτητα Hermog. ἰδ. Lib. 2. p. 226. tribuit Herodoto, ob varietatem narrationum mythicarum, fabularumque, quibus hiſtoriam ſuam diſtinxit, quibusque ſuauiter teneri lectores ſolent. Hoc genus ſuauitatis Macrobius Saturn. 5, 16. *amoenitatem* appellat, tribuitque Homero, qui vt faſtidio narrationum mederetur, fabulas varias Catalogo intertexuit, quibus legendis iucunde afficerentur lectores, et veluti recrearentur. cf. Plin. Epiſt. 1, 2. Eandem dulcedinem habet etiam oratio morata, h. e. mitioribus remiſſioribusque affectibus declarandis ſeruiens. Nam τὸ ἠθικὸν, vt Cicero docet in Orat. 37. come eſt et iucundum, et ad beniuolentiam conciliandam paratum. Neque disſimile huic eſt, quod Horatius in Arte poet. praecepit, vt poemata non tantum pulcra, ſed et *dulcia* ſint, hoc eſt, ἠθικὰ et morata. cf. Berger. de nat. pulcr. or. p. 136. ſq. Quo nomine inprimis Quintil. Lib. 10, 1. 73. *dulcem* Herodotum dicere videtur, contrarium Thucydidi, qui concitatis affectibus maxime vtitur; vnde et huic

huic *vim*, illi *voluptatem* tribuit. Itaque etiam Cicero, cum in Bruto C. 9. Demetrium Phalereum ita laudaſſet: „delectabat magis Athenienſes, quam inflammabat: hic primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit, et *ſuauis*, ſicut fuit, videri maluit, quam *grauis:*" iterum de Offic. 1, 1. eundem *oratorem parum vehementem*, *dulcem tamen* appellat, *vt Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere.* Atqui hoc ipſo Theophraſto, Ciceronis iudicio Brut. Cap. 31. *nemo dulcior* fuit. cf. Orat. Cap. 27. de Orat. 2, 23. E quibus locis intelligetur, *dulces* oratores Ciceroni inprimis dictos eſſe, qui genus dicendi mediocre, temperatum, remiſſum ſequerentur, cui praecipue venuſtatem et ſuauitatem propriam eſſe, luculenter docet in Orat. Cap. 27. et 28. Carminibus inprimis Anacreonticis, Sapphicisque, cum erotica maxime ſint, et teneriores affectus ſpirent, illa *dulcedo*, et *voluptas*, et *gratia* tributa eſt a veteribus. Legendum eſt ea de cauſa Gellii Lib. 29, 9. vbi magna harum metaphorarum varietas reperitur. —

Dulcem vocem Quintilianus 11, 3. 40. ad ornatam pronuntiationem refert. Debemus autem in genere cogitare eam, quae cum ſuauitate et gratia ad aures accidit, easque quodammodo demulcet. Pollux etiam Lib. 2, 26. *γλυκεῖαν φωνὴν* commemorauit, et *ἡδεῖαν* et *ἐπαγωγὸν*, quae omnes vnius veluti generis ſpecies eſſe videntur. Eandemque vim habere exiſtimanda eſt, quam Cicero Brut. 74. *vocis ſuauitatem* et *lenem literarum appellationem* nominat, de qua vid. ad voc. *lenis.* Seneca (in Excerpt. Controu. 3. p. 397. Bipont.) de Seuero Caſſio: „erat in eo magnitudo corporis conſpicua, *ſuauitas* valentiſſimae vocis: quamuis haec inter ſe raro coeunt, vt eadem vox et *dulcis* ſit, et ſolida.

Durus.

In compoſitione oratoria quid *durum* dixerint Rhetores, ſciemus, ſi meminerimus eorum, quae ſupra de *aſperitate* notauimus. Idem vero etiam ex contrario vitio patet, quod orationem *eneruem* et *effeminatam* reddit. Sic Quintil. 9, 4. 142. „in vniuerſum autem, inquit, *duram* potius atque *aſperam* compoſitionem malim eſſe, quam effeminatam et eneruem, qualis apud multos; et quotidie magis laſciuimus ſynto-

norum

norum modis ſaltitantes." Vnde patet eam duritiem maxime in numerorum et concinnitatis inepto vſu, qui in verbis eſt, cerni: quamuis et *duriorem cauſam* Quintilianus 4, 1. 25. commemorauit, hoc eſt, eam, quae ob argumentum vel turpe, vel minus honeſtum, vel minus graue, pudorem iudicum offendit, aut eorum iracundiam commouere poteſt: vnde mox eandem *quaeſtionum aſperitatem* appellat, in quibus opus ſit, vt ante iudicum animi concilientur. cf. Cic. Or. 16. vbi lenitati et aequabilitati, et puro candidoque generi dicendi, quod maxime in ſuaui verborum forma, iunctura et compoſitione cernitur, *duritas* et *ſeueritas verborum*, et *orationis* quaſi *moeſtitia* opponitur. — *Durae* autem metaphorae ſunt, a longinqua ſimilitudine ductae Quintil. 8, 6. 17. Sed magis etiam definito ſenſu Rhetores, inprimis Quintilianus, voci duritiem tribuiſſe videntur. Is ergo Lib. 11, 3. *duram* vocem appellat, quae ad modulandi varietatem minus apta natura ſit: *die ſpröde, ungelenke, unbiegſame Stimme.* Itaque ei *flexibilis* opponitur, quae facile ſonos variat, et modulatur apte, *die geſchmeidige Stimme:* vnde et eadem virtus vocis *mollitudo* vocatur ab Auctore Herenn. 3, 11. de qua alio loco plura diximus. Niſi forte hanc *rigidam* potius dixerit Quintil. ibid. §. 32. vt Pollux 2, 26. δυσκαμπῆ. Certe difficile eſt vtriusque diſcrimen accuratius definire. Si quid tamen definiendum ſit, ego ita diſtinxerim, vt *dura* ſit, quae ſonos literarum cum ictu et pulſu duriori exprimit, *die harte, übertrieben derbe Ausſprache: rigida* vero, cui illa flexibilis opponatur, hoc eſt, ſemper vniſona, paucas aut nullas flexiones habens, *die eintönige, unbiegſame, ungelenke Stimme.*

E.

Efferueſcere.

Verba *efferueſcere* Ciceroni de Or. 2, 21. dicuntur, quae nimium redundant in oratione, vitio quidem iuuenilis aetatis, quae copiam coercere non poteſt, ſed omnia abundantius effundit. Metaphora ſiue e muſto feruente, ſiue ex aqua nimio igne ebulliente ſumta. Vtramque certe adhibuit Cic. Or. 30. cum de eadem illa redundantia orationis iuuenili diceret. cf. Quin-

Quintil. 12, 6. Saepe tamen haec redundantia, ſi foecunditatis cuiusdam documentum eſt, in adoleſcentibus excuſationem habet. „*Volo*, inquit Cicero, *ſe efferat in adoleſcente foecunditas: nam facilius ſicut in vitibus reſecantur ea, quae ſe nimium profuderunt, quam, ſi nihil valet materies, noua ſarmenta cultura excitantur: ita volo eſſe in adoleſcente, vnde aliquid amputem.* cf. Quintil. 2, 4. et quae diximus ad voc. *preſſus.*

Effictio.

Auctori Herenn. 4, 49. *effictio* eſt, cum exprimitur et effingitur verbis corporis cuiusdam forma, quod ſatis ſit ad intelligendum. Huic affinis ibidem eſſe dicitur *notatio*, qua alicuius natura certis deſcribitur ſignis, quae ſicuti notae quaedam, naturae ſunt attributa.

Effiguratio. vid. *Proſopopoeia.*

Effundere.

Quicquid in oratione copiae, et impetus concitatioris notionem adferret, Rhetores Latini, dilucida metaphora, *effuſum* dixerunt. Sic Quintilianus 3, 8. 58. *effuſiorem* in verbis *cultum* orationi tribuit, iis dicendi formis, eoque ornatu diſtinctae, qui copiam et affectum et vim dicentis declaret: et alio loco Lib. 4, 1. 28. *effundere* affectus, proprium epilogo facit, in quo omni affectuum veluti agmine vti orator debeat ad iudicem miſericordia imbuendum. Atque ex eodem metaphorae fonte Cicero nimiam ſententiarum, acuminum, ornamentorumque omnium copiam, iuuenilem *redundantiam* dixit Orat. 30. et in Bruto 55. *circumfluentem* orationem, ita copioſam, vt loquacitati proxima ſit. — *Effuſum* autem genus vocis, voluptati ſignificandae ſeruiens, eidem de Orat. 3, 58. dicitur, quo cum celeritate quadam mobili oratio prolabitur. cf. Senecae Epiſt. 40. vbi de eadem re mira metaphorarum varietas eſt. Idem, vt eſt in elocutionis affectionibus notandis, cum in eam rem ſemel defertur, ſubtiliſſimus, Epiſt. 100. Fabianum philoſophum dicit *effundere* verba, non fingere, quoniam lenem quandam verborum et orationis compoſitionem adhibebat, in qua nihil eſſet magnopere fictum et elaboratum, vel vt ipſe philoſophus fatebatur, nihil *tractatum* nec diu *tortum*, a plaſtis

plaſtis metaphora ducta, qui dum tractant et torquent argillam, fingunt ſimul, et poliunt. Itaque Seneca arripuit illam, quam in *effundendo* cogitare poſſumus, *negligentiam* quandam, vel lenitatem minus operoſam: quamuis vlterius etiam ſubtilitate diſtinguendi progreſſus, *fundere* ab *effundere* hoc modo ſeparauit: Fabianus, inquit, mihi non *effundere* videtur orationem, ſed *fundere:* adeo larga eſt, et ſine perturbatione, non ſine curſu tamen, veniens.

Elatio.

Elatio orationis eſt, quae et altitudo, vel altius exaggerata oratio dici ſolet, apud Ciceron. Brut. 17. Etiam in huius metaphorae vſu Graeci praeiuerant. vid. quae ad voc. *διαίρειν* in Lex. gr. techn. notauimus. Quibus addo, Demoſthenem in Midiana orat. p. 35. ed. Spald. *αἴρειν τῷ λόγῳ τὸ πρᾶγμα καὶ φοβερὸν ποιεῖν,* iunxiſſe. Deinde etiam pro *argumento* adhibetur *ſubmiſſioni* contrario, vt Top. 18. vbi haec ſententia eſt: „*comparatio partium nec elationem, nec ſubmiſſionem habet,*" hoc eſt, nec augendae nec minuendae rei prodeſt.

Electio.

Gr. *ἐκλογή*, delectus verborum, princeps elocutionis virtus. Sic Cic. de Or. 1, 5. „oratio conformanda eſt non ſolum *electione* ſed etiam conſtructione verborum." cf. Lib. 3, 37. vbi docetur hanc electionem, vel delectum in verbis propriis dominari, et hanc inprimis vim habere, vt abiecta et obſoleta verba fugiamus, et lectis, illuſtribusque vtamur, in quibus plenum quiddam et ſonans ineſſe videatur: in illisque animi, in his aurium quodam iudicio opus eſſe: *feiner Geſchmack, und ein feines Ohr;* cf. eiusdem Libri Cap. 9. Orat. Cap. 20.

Elegantia.

Conſtantiſſima Rhetorum Latinorum ſententia eſt, *elegantiam* in elocutione eſſe, quae faciat, vt vnumquodque pure et aperte dici videatur; vnde in *latinitatem* et *explanationem* diſtribuitur: *Correktheit, und lichtvolle Beſtimmtheit des Ausdrucks.* Ita certe Auct. Herenn. 4, 12. Eodem ſenſu Cic. Or. 3, 10. *loquendi elegan-*

elegantiam manifeſte adhibet: nam in hoc omni loco de latinitate et dilucido ſermone disſeritur. Locum adſcribamus, vt planum fiat, talem contextum ſaepe vnicum et optimum ſignificationis definiendae magiſtrum eſſe: *Omnis loquendi elegantia,* inquit, *quanquam expolitur ſcientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea quae dicebant, omnes prope praeclare locuti: quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidem, poterunt loqui, niſi Latine.* Idem ex multis aliis Ciceronis locis intelligitur, in quibus eminent Brut. 72. 74. 75. et de Or. 2, 7. coll. Quintil. 1, 8. 9. vbi cum ἀττικισμῷ comparatur. Quo in loco non poſſum ſilentio praeterire iniquitatem Schelleri, in Praecept. ſtil. lat. P. 1. Cap. 2. Sect. 4. ſqq. Heineccium, Geſnerum, Erneſtium propterea reprehendentis, quod, vbi verborum, formarumque dicendi *elegantiam,* vel aliquod verbum alio *elegantius* eſſe, commemoraverint, pulcritudinem aliquam non ſatis definitam, quae in verbis ſingulis eſſe non poſſit, in mente habuerint. Immo vero viros illos ſummos, qui Latine loqui et ſcribere profecto didicerant accuratius, quam ille vel didicit, vel docebit, exiſtimo, vbi illo modo verbis *eleganter* et *elegantia,* vſi ſint, nihil aliud ſibi voluiſſe niſi hoc: verba nonnulla vel formas dicendi alias aliis eſſe magis latinas, hoc eſt, vſui loquendi latino aptiores; vt taceam, ab ipſo Cicerone dici *elegantia,* et *eleganter fieri,* quae recte, apte, atque ex artis norma fiunt vel dicuntur. Sic ille Fin. 2, 9. de Epicuro in diuidendo a regulis Dialecticis aberrante; *diviſit,* inquit, *ineleganter: duo enim genera quae erant, fecit tria. Hoc eſt non diuidere, ſed frangere rem:* Et mox de eodem: *contemnit disſerendi elegantiam: confuſe loquitur.*

Iam quoniam in *elegantia* maxime diligentiae cuiusdam et accuratae explanationis vis dominatur, eadem etiam, vbi de vniuerſo charactere et genere dicendi quaeritur, iis tribuitur, qui tenue, ſubtile, accuratum, et in docendo inprimis conſpicuum orationis genus ſequuntur. Locum claſſicum de ea re puto eſſe in Bruto Cap. 22. Ibi Cicero ex Rutiliana quadam narratione de Laelio haec refert: „cauſam pro publicanis *accurate,* vt ſemper ſolitus eſſet, *eleganterque* dixiſſe Laelium: paucis interpoſitis diebus iterum Laelium

lium multo *diligentius meliusque* dixiſſe etc." Deinde Cap. 23. ita pergit: „ex hac Rutiliana narratione ſuſpicari licet, cum duae ſummae ſint in oratore laudes, vna *ſubtiliter diſputandi, ad docendum;* altera grauiter agendi, ad animos audientium permouendos, multoque plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quam ille, qui doceat, *elegantiam* in Laelio, *vim* in Galba fuiſſe." E quibus manifeſte intelligitur, elegantiae eſſe, vt quis ſubtiliter, accurate, diligenter, et ad docendum accommodate dicat: quae omnia ad genus dicendi tenue, acutum, et ſubtile pertinent. Plura Ciceronis loca, quae idem confirmant, Clauis Ciceroniana ſuppeditabit, in qua, quae ad elegantiae vim explicandam valere poſſint, et copioſius et accuratius expoſita ſunt. —

Denique, vt in vita communi *elegantia* tribui ſolet his, qui in omni cultu et victu quandam venuſtatem, nitorem, gratiam, ſectantur, ita Rhetoribus, vbi de ſingulorum verborum forma et habitu ſermo eſt, *elegantia* dicuntur, quae ſuauem auribus appellationem faciunt. Quo quidem pertinet Ciceronis illud praeceptum in Orat. 39. vt verbum ex ore nullum, niſi aut *elegans* aut *graue* exeat, quorum illud in ſuauitate, hoc in dignitate cernitur. Idem Cap. 54. fin. ita enuntiatur, vt compoſitio dicatur tota ſeruire aut *grauitati* vocum aut *ſuauitati.* Hinc et *elegantia* ſermonis in vniuerſum dicta eſt, de concinnitate et ornatu, quo elocutio illuſtratur. Luculentus locus eſt Cic. Or. 3, 35. „Ipſe Ariſtoteles, inquit, cum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, quod ipſe ſuas diſputationes a cauſis forenſibus *ad inanem ſermonis elegantiam* transtuliſſet, mutauit repente totam formam prope diſciplinae ſuae: itaque *ornauit* et *illuſtrauit* doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit." cf. Orat. 23. vbi *fucati candoris et ruboris medicamentis, elegantia* et *munditia* opponitur.

Eleuare.

Refutationis pars eſt, quae fit *eleuando* ita, vt vel crimen aliquis, vel iactantiam minuat alterius. Sic Quintil. 6, 3. 75. Sed *verbis eleuare* rem dicuntur etiam ii, qui, vt Cicero ait, rei triſtitiam, vel inuidiam,

verborum lenitate mitigant. Quintil. 4, 2. 77. „verbis, inquit, *eleuare* quaedam licebit: luxuria hilaritatis, auaritia parſimoniae, negligentia ſimplicitatis nomine lenietur.“ Eam formam alibi Fabius *deriuationem* et *deflexionem*, Graeci Rhetores ὑποκορισμὸν, εὐφημισμὸν, μείωσιν appellare conſueuerunt. Denique *eleuatio* eſt irriſionis genus, qua voce Aquila Rom. p. 16. interpretatur Graec. διασυρμὸν, *cum ludentes disſoluimus ea, quae ab aduerſariis dicuntur.*

Elocutio.

Elocutio, quae quidem ab oratore requiritur, eſt, definiente quidem Auctore Herenn. 1, 2. et Cic. Invent. 1, 7. *idoneorum verborum et ſententiarum ad inventionem accommodatio.* Quintilianus Lib. 8. prooem. 15. *eloqui*, inquit. eſt, omnia quae mente conceperis, promere, atque ad audientes proferre, ſine quo ſupervacua ſunt priora et ſimilia gladio condito, atque intra vaginam ſuam haerenti.“ Hinc *eloquentia* appellata, virtus oratori propria, qua ornate dicit ea, quae prudenter inuenit et apte collocauit. vid. voc. *Eloquentia.* Idem Quintil. confert Graecorum φράσιν, quam *elocutionem* Latini dixerint. Sed pluribus modis eandem Graecos dixiſſe, docuimus in Lex. gr. techn. ad voc. ἀπαγγελία, ἑρμηνεία, λέξις, ὀνομασία et φραστικός.

Eloquentia.

Primam *eloquentiae* originem praeclare expoſuit Cicero Inuent. 1, 1. ſqq. Ibi eius vim. *graui et ſuaui oratione* breuiſſime ſignificat. Eadem, vt Cap. 5. docetur, inprimis artificioſa, quae rhetorica dicitur, ciuilis ſcientiae magna et ampla pars eſt. Quare Cicero de Offic. 1, 44. „eloqui copioſe, inquit, melius eſt, quam vel acutiſſime ſine eloquentia cogitare: quod cogitatio in ſe ipſa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate iuncti ſumus.“ cf. Lib. 2, 14. vbi diſerte ait eloquentiae nomen in orationis tantum contentionem cadere; quae quidem contentio non niſi ad forum et iudicia pertinet. vid. *Contentio.* Sed ad Libros de Inuentione redeamus. Officium eloquentiae eſt, dicere appoſite ad perſuaſionem: finis, perſuadere dictione. Materiam artis rhetoricae Cicero cum Ariſtotele ponit in cauſarum generibus, deliberatiuo, demonſtra-

monſtratiuo, et iudiciali; partes autem, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem, facit Cap. 7. — Saepe vero etiam *eloquentia* ſpeciatim dicitur pro virtute oratori propria, qua ea, quae per prudentiam et acumen inuenit et diſpoſuit, etiam *ornate dicat.* Vnde Cicero in Orat. 14. inuentionem quidem et diſpoſitionem prudentis hominis putat, *eloquentiam* autem *oratoris;* quem locum attulit Quintil. Lib. 8. prooem. praecipuas oratoris partes in *eloquendo* et *elocutione* collocans. In Bruto autem Cicero Cap. 7. quam *eloquentiam* modo dixerat, eam paullo poſt, variandi gratia, *dicendi vim* et *copiam* appellat, non obſcure ſignificans, in his duabus rebus praecipuam illius poteſtatem eſſe. Vnde et in Dial. de corr. Eloq. Cap. 5. *eloquentia* virilis et *oratoria* diſtinguitur a *facundia* recentiorum, quos idem Auctor Cap. 1. dicit *cauſidicos*, et *aduocatos* et *patronos*, et quiduis potius quam *oratores* vocari: ad quem locum vid. quae docte disputauit Cel. Schulzius. Illi nempe ſunt *diſerti*, quos et Cicero de Or. 1, 21. ab *eloquentibus* diſtinxit. cf. Cap. 23. vbi Graeculorum *loquacitas*. et *cantilena* ſcholaſtica itidem eloquentiae opponitur. Itaque huc etiam pertinebit venuſte illud dictum a Iulio Candido, quod Plinius Lib. 5. epiſt. 20. laudat: aliud eſſe *eloquentiam*, aliud *loquentiam.* Et Ammian. Marcell. Lib. 30, 4. in eo loco, vbi, quantum a veteri grauitate oratorum Graecorum et Latinorum, recentiores dicendi profeſſores deſciuerint, oſtendit „horum obſtinatione, inquit, *eloquentiam* inanis quaedam imitatur *fluentia dicendi.*“ Sic et Cic. Brut. 47. non ſolum *dicentes* ab *oratoribus*, ſed et *eloquentes* a *ſedulis* diſtinguit. Scilicet illos natura et ingenium, hos ſtudium et imitatio oratores fecerat. cf. quae dicta ſunt ad voc. *orator*. Omnino autem, praeter Ciceronis Orat. Cap. 5. legendum eſt Quintiliani ad Lib. 8. prooemium, in quo, et quomodo diſerti ab eloquentibus differant, et quibus finibus huius elocutionis ſtudium coercendum ſit, egregie docet. Velleius autem Lib. 1, 8. *opera eloquentiae* dixiſſe videtur de omnibus ſcriptis editis, ſiue ad poeſin, ſiue philoſophiam, ſiue hiſtoriam, ſiue Rhetorum cauſas, pertinerent. v. Gronou. Obſeruatt. Lib. 2, 23. p. m. 312. Ceterum veteres eloquentiae tantum tribuiſſe, vt ad eam referrent, quicquid in aliquo ge-

nere orationis abſolutum et perfectum iudicaretur, intelligi poteſt e loco Plinii 6, 21. vbi de Verginio Romano: „Scripſit mimiiambos tenuiter, argute, venuſte, atque in hoc genere *eloquentiſſime*. Nullum eſt enim genus, quod abſolutum, non poſſit eloquentiſſimum dici.“ Ex recentioribus neſcio an nullus eloquentiae veteris vim et ſenſum melius accuratiusque expreſſerit Voltario, cuius in epiſtola ad Fridericum Magnum (Oeuvres poſthumes Tom. 1. p. 97.) hi verſus leguntur:

Ciceron dans l'exil y porta l'eloquence,
Cet grand art des Romains, cette auguſte ſcience
D'embellir la raiſon, de forcer les eſprits.

Emendatus.

Emendata locutio Rhetoribus Latinis eſt, quae et *latina* et *pura* dicitur, ſitque verbis bonis et lectis. vid. Cic. Brut. 74. vbi et *recte* loqui et *latine* commutantur, quae omnia eodem redeunt. Eadem metaphora, quam in vocabulis *emendatus* et *purus* ſecuti ſunt, contrarium vitium *inquinate* loquendi ibidem commemoratur. cf. Orat. 49. Hinc et Quintil. 1, 5. 33. *ὀρθοέπειαν* interpretatur *emendatam* vocum explanationem: quam alio loco Cap. 6. proxime ad graecum vocabulum *rectam locutionem* vocat. vid. voc. *Latinitas*. Idem quod Lib. 8, 1. *latine dicere* appellauerat, Cap. 3. *emendate dicere*, vocat. — In exercitatione autem dicendi, quem *ſtilum* veteres Rhetores dixerunt, *emendatio* vocatur ſtudium illud, quo *adiicimus, detrahimus, mutamus* in iis quae ſcripſimus. De ea agit Quintil. 10, 4. — *Emendatam* pronuntiationem Quintil. 11, 3. 30. vocat, quae vitio careat. ſi fuerit os explanatum, iucundum, vrbanum, h. e. in quo nulla neque ruſticitas neque peregrinitas reſonet.

Enthymema.

Vid. voc. *Sententia*, in quo loco Ciceronis ſententiam poſuimus. Quintiliano Lib. 5, 10. *enthymema* eſt ſpecies argumentorum, ex mente Graecorum, qui *πίστεων* tria genera conſtituebant, *ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις*. Interpretatur is quidem *commentum* ſ. *commentationem*, putat tamen melius graecum nomen ſeruari. Tribus modis illud apud Graecos dici notat,

1) quo

1) quo omnia mente concepta ſignificet; 2) quo ſententiam cum ratione; 3) quo certam quandam argumenti concluſionem, vel ex conſequentibus, vel ex repugnantibus. Hoc poſtremum etiam *rhetoricum ſyllogiſmum*, vel *imperfectum* vocarunt, quia nec diſtinctis, nec totidem partibus concluderetur. cf. Cap. 14. vbi et optimum enthymematum genus illud exiſtimat, quo propoſito disſimili, vel contrario ratio ſubiungitur; et ibid. §. 24. vbi illa repetit, quae de ſyllogiſmo rhetorico dixerat. — Iulius Rufinian. p. 28. „enthymema fit, inquit, cum periodus orationis ex contrariis ſententiis adſtringitur“ cf. Cic. Top. Cap. 13. Hos *ſyllogiſmos circumſcriptos* appellat Plin. Lib. 2. epiſt. 3. ad quem locum Geſnerus etiam notauit pro νοήματα, vt vulgo editum eſt, in quibusdam libris ἐνθυμήματα legi. Neque dubium eſt, quin *curtum enthymema* Iuuenal. Sat. VI. ideo appellet, quod alteram propoſitionem praetermittat. cf. Voſſ. Inſt. Rhet. Lib. 3. p. 375 ſqq. et quae disputauit Caſelius ad Demetrii Phaler. §. 30.

Enucleatus.

Enucleatum genus dicendi eſt, quo quis ſubtiliter et accurate verſatur in rebus tractandis, nihil praetermittens, quod proſit, nihil leuiter tangens, ſed in vnaquaque re commorans, ſingula recte perpendens, et quae ſunt diligentiae ſimilis. v. Cic. Or. 3, 9. et Partit. Or. 17. vbi, „nec quidquam, ait, in amplificatione nimis *enucleandum eſt: minuta enim eſt omnis diligentia;* hic autem locus grandia requirit.“ Hinc et *enucleate* et *polite* Cic. Brut. 30. et *eleganter enucleateque* Or. 9. iunxit. Nam vtrumque ad id genus dicendi pertinet, quod Cicero paſſim ſubtile, tenue, acutum, ſummiſſum, Graeci τὸ ἰσχνὸν, τὸ ἀφελὲς appellarunt, in quo et docendi, et ornandi ſollicitudo quaedam et diligentia cernitur. vid. Brut. 9. vbi Demoſthenis oratio *limata* dicitur, quoniam ſubtiliter et preſſe et *enucleate* dixerit. Iam vero in limando ſumma effingendi, ornandi, et abſoluendi opera cernitur. cf. Orat. 9. et 26 fin.

Enumeratio.

In cauſarum diuiſione, quae poſt narrationem fieri ſolet, *enumeratio* Auctori Herenn. 1, 10. vocatur, *cum*

dicimus numero, quot de rebus dicturi ſimus. Eadem et *partitio per enumerationem* appellatur. vid. voc. *partitio.* — Deinde hoc nomine appellatur ea pars concluſionis, ſ. epilogi, per quam colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breuiter; vt renouetur, non redintegretur oratio; et ordine, quicquid erit dictum, referamus, vt auditor, ſi memoriae mandauerit, ad id, quod ipſe meminerit, reducatur. Sic idem Auct. Lib. 2, 30. cf. Cic. de Inuent. 1, 52. vbi commune hoc ad enumerationem praeceptum datur, *vt ex vnaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non poteſt, id eligatur, quod erit grauiſſimum, et vnumquodque quam breuiſſime transeatur; vt memoria, non oratio renouata videatur.* Partit. Or. 17. Quintil. 6, 1. Cur. Fortunat. p. 68. et Sulpic. Vict. Inſt. Rhet. p. 249. qui hanc perorationis partem *renouationem* appellat, cum breuiter capita rerum atque argumentorum percurrimus, ad *renouandam* memoriam iudicum. Qua de cauſa eam Ariſtoteles Rhet. 3, 19. *τὴν ἀνάμνησιν* dixerat. cf Georg. Trapez. Lib. 3. Rhet. p. 42. Ald. et voc. *peroratio;* et Lex. gr. techn. ad voc. *συλλογή.*

Epicherema.

Quintilianus Lib. 5, 10. *epicherema,* vſitatiſſima appellatione dici ait, certam quandam ſententiae comprehenſionem, quae ex tribus minimum partibus conſtet: Ciceronem *ratiocinationem* dixiſſe, quoniam quaedam inter ſyllogiſmum et epicherema vicinitas ſit. Locus Ciceronis eſt de Inuent. 1, 31. vbi argumentationem omnem in *inductionem* et *ratiocinationem* distribuit. Sed nusquam Cicero ſe ita vocem *ἐπιχειρήματος* interpretari dicit: quamuis et Trapezuntius Lib. 3. p. 32. *ἐπιχείρημα* a Cicerone *rationem* dici notat. Praeterea Cicero l. c. Cap. 35. *ratiocinationis* quinque partes defendit: propoſitionem, rationem, aſſumtionem, eius probationem, et complexionem. Hunc autem locum Quintilianus ita laudat Lib. 5, 14. vt dicat Ciceronem epicherematos quinque partes defendere. Cicero porro ibi declarauerat, ratiocinationem etiam fieri poſſe quadripartitam, tripartitam, et bipartitam, quia interim propoſitio non egeat rationis. et aſſumtio probationis, neque etiam vbique complexione opus ſit.

Quinti-

Quintilianus autem l. c cum plurimis auctoribus tres epicherematos partes defendit, *intentionem*, *aſſumtionem*, *connexionem*. In hoc tamen omni loco, vt et Geſnerus adnotauit, obſcura nec ſatis accurata Rhetoris disputatio eſt. Paullo poſt *epicheremà* iudicat nullo differre a ſyllogiſmis, niſi quod illi plures habeant ſpecies, et vera colligant veris; epicherematis autem frequentior circa credibilia vſus ſit. Nam, inquit, ſi contingeret ſemper controuerſa confeſſis probare, vix eſſet in hoc genere vſus oratoris. Georg. Trapez. Lib. 3. Rhet. p. 32. quas ipſe *rationes* appellat (*Gründe zum Beweiſen*, *welche aus Thatſachen und Umſtänden hergeleitet werden*, ex circumſtantiis inueniuntur) Graecos dicit ἐπιχειρήματα vocare. cf. Caſp. Laurent. ad Hermog. περὶ εὕρεσ. Lib. 3, 1. p. 72. ſq.

Euidentia.

Gr. ἐνάργεια. v. Quintil. 4, 2. 63. vbi maiorem quandam perſpicuitatis virtutem deſcribit, qua non ſolum, quid verum ſit, dicamus, ſed quodammodo etiam *oſtendamus*, hoc eſt, cum vi aliqua et ita declaremus, vt videatur ipſa res in oculos incurrere. Itaque hanc *euidentiam* oriri etiam ex *viſionibus*, ſ. φαντασίαις, docet Lib. 6, 2. 32. vbi et Ciceronem ait virtutem illam *illuſtrationem* vocare, incertum, quo loco. Nam Lib. 1. de Nat. Deor. 31. alium ſenſum habet. cf. tamen Acad. Quaeſt. 4, 6. Aliis euidentiam illam *repraeſentationem* dici, notat Quintilianus Lib. 8, 3. 61. Eius virtus eſt, *res*, *de quibus loquimur*, *clare*, *atque vt cerni videantur*, *enuntiare*. Hoc ſit 1) cum tota rerum imago quodammodo verbis depingitur: vnde et Graecis ὑποτύπωσις et φαντασία dicitur, quoniam facultate imaginum concipiendarum nititur: 2) interim etiam ex pluribus efficitur illa, quam conamur exprimere, facies. Ergo, quae vno verbo dici poſſunt, ſi ea per partes ad ſenſus admoueas, et veluti incluſa aperias, tunc apparebunt, et euidentiam illam efficient. vid. *Deſcriptio*, et quae Io. Caſelius ad Demetr. Phaler. §. 220. disputauit.

Exceſſus.

Gr. παρέκβασις ſ. παράβασις, digreſſio quaedam eſt, et paſſim aliis nominibus, *egreſſio*, *egreſſus excurſus*,

curſus, *procurſio* dici ſolet. Ad hoc genus egrediendi pertinet *ſimilitudo*, *locus communis*, *affectus*, *exempla*, quas partes commemorat Quintilianus 3, 9. 4. Eandem *excurſionem* appellat Lib. 4, 2. 103. cuius rationem, cauſas et modum planius docet Cap. 3. „Pleriſque moris eſt, inquit, prolato rerum ordine, (h. e. finita narratione) protinus in aliquem laetum et plauſibilem locum *excurrere:* quod quidem natum ab oſtentatione declamatoria iam in forum venit, ne, ſi preſſae illi narrationis gracilitati coniuncta argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicendi voluptatibus oratio refrigeſcat.“ — Mox idem *exſpatiari*, et *exire*, et *digredi*, et *deuertere* dicit; nec multo poſt *procurſionem* appellat, et in vniuerſum notat, non poſt narrationem tantum, ſed per totam cauſam excurſus tales inſtitui vtiliter poſſe, quales ſunt in Ciceronis, Verrinis *Siciliae laus*, *Proſerpinae raptus*, et alii ſimiles, quoniam παρέκβασις dicatur *alienae rei, ſed ad vtilitatem cauſae pertinentis, extra ordinem tractatio.* Omnino autem, quicquid praeter receptas quinque orationis partes dicatur, *egreſſionem* eſſe exiſtimat, vt indignationem, miſerationem, inuidiam, conuicium, excuſationem, conciliationem, maledictorum refutationem, tum etiam amplificationem, minutionem, et omne affectus genus, locosque communes varii generis, quae maxime iucundam et ornatam orationem faciant. Sic et Cur. Fortunatian. in Rhet. Schol. p. 63. Pith. poſt narrationem, inquit, ſemper inducemus *exceſſum*, quem διέξοδον vel παρέκβασιν Graeci vocant, ſi materia deſiderauerit, hoc eſt, quum ea res eſt in narratione, quae maximam in ſe continet atrocitatem.

Exclamatio.

Figura verborum (σχῆμα λέξεως) quae conficit ſignificationem doloris, aut indignationis alicuius, per hominis, aut vrbis, aut loci, aut rei cuiuspiam compellationem. Sic definit Auctor Herenn. 4, 15. cf. Cic. Or. 3. 54. Gr. ἐκφώνησις, quae fit admirationis cauſa. Ab ea Cicero in Orat. Cap. 39. diſtinguit exclamationem conqueſtionis cauſa, quae σχετλιασμὸς graece dici ſolet. vid. Lex. gr. techn. in vtroque vocabulo. Quintilianus 9, 3. 97. contra Ciceronem, qui inter figuras verborum poſuerat, ſententiae potius figuram

ram (σχῆμα διανοίας) eſſe exiſtimat, quoniam affe-ctus ſit.

Excurrere.

vid. *Claudicare, Statarius, Exceſſus.*

Exemplum.

Apud Auctorem Herenn. 4, 49. *exemplum* eſt, alicuius facti vel dicti, cum certi auctoris nomine propoſitio, ſumiturque iisdem cauſis, quibus ſimilitudo. vid. voc. *Similitudo.* Cicero de Inuent. 1, 30. *exemplum* definit, quod rem auctoritate aut caſu alicuius hominis aut negotii confirmet aut infirmet. Nempe ibi ſermo eſt de argumentatione probabili, quae inter alia etiam fit exemplo. vid. voc. *Comparabile*, et cf. Cic. Or. 3, 53. — Quintiliano Lib. 5, 11. *exemplum* proprie ſic dictum, eſt, rei geſtae aut vt geſtae, vtilis ad perſuadendum id, quod intenderis, commemoratio. Nam hic Rhetor *exemplo* etiam ſubiicit, quam παραβολὴν Graeci, Latini *ſimilitudinem* dixere. Iulius Rufinian. p. 28. *exemplum* ſimilitudini τῇ ὁμοιώσει tanquam ſpeciem generi, ſubiicit, eiusque triformem rationem docet, quod aut perſonas tantum exhibeat ſine ſermone, aut ſermonem ſine perſonis, aut ſimul vtrumque.

Exilis.

Exile genus dicendi omnino illis tribuitur, qui copia et virtute oratoria, in elocutione conſpicua, carent; vnde et iidem *aridi* et *exſangues* dici ſolent. Inprimis Cicero hanc exilitatem tribuit philoſophis iis, qui in multo acumine, et arte dialectica, tamen elocutionis virtutibus deſtituti eſſent. Sic in Bruto Cap. 30. de Stoicis: „quorum peracutum et artis plenum orationis genus, ſed tamen *exile*, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum.“ Cum quo loco conferendus eſt alius ſimilis de Finibus 4, 3. et inprimis de Or. 3, 18. vbi Stoicos dicit orationis genus habere fortaſſe ſubtile, certe acutum, ſed vt in oratore, *exile*, inuſitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obſcurum, inane, ieiunum etc. cf. de Orat. 1, 11. 12 et 13. Hinc et in Bruto 31. Stoicos, ſi a diſputando ad dicendum traducerentur, *inopes* reperiri dicit, propterea, quod iſtorum in dialecticis omnis cura conſumatur, *vagum*

illud orationis, et *fuſum* et *multiplex* (hoc eſt, vno verbo, oratorium) non adhibeatur genus. Eodem ſenſu in Dial. de corr. Eloq. 5. fin. Heluidii, Stoici. (vid. Tacit. Hiſt. 4, 5.) *rudis* certaminum ſapientia dicitur, quoniam is, vt bene notauit ad h. l. Schulzius, interiori philoſophiae (et dialecticae inprimis) cognitione anteibat aduerſarium, non eloquentia. — In voce humana *exilitas* eſt, quam *ἰσχνότητα* Graeci dixerunt et *ἰσχνοφωνίαν*. muliebris quaedam in voce mollities et gracilitas, virilitati et grauitati oppoſita, apud Quintil. 1, 11. 4. Eius contrarium vitium eſt *pinguetudo*, quem *πλατειασμὸν* dixit Fabius Cap. 5, 32. Ita idem Lib. 11, 3. *plenam* et *exilem* vocem opponit, vbi de vocis qualitate ſermo eſt. vid. Gellius 13, 20. vbi vtraque ratio variis metaphoris illuſtratur. Iodoc. Wilichius de Pronunc. Rhet. p. 12. „Exilis vox, ſeu effeminata, ſeu puſilla, ſeu tenuis, quae virilis non eſt, ſed qualis eſt mulierum, ſpadonum, cicadarum, et nonnullorum aegrotantium, qui fere *ὀξύφωνοι* ſunt, ſicut viri *βαρύφωνοι*.“

Exordium.

Principium orationis, per quod animus auditoris conſtituitur ad audiendum, definit Auctor Herenn. 1, 3. eiusque peculiaria genera, *principium* et *inſinuationem*, facit; de quibus copioſius Cap. 4. et ſqq. agitur. Ciceronis de Inuent. 1, 5. haec definitio extat: *exordium eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem, quod eueniet, ſi eum beneuolum, attentum, docilem fecerit.* cf. Quintil. 4, 1. et quae ad vocc. *principium* et *inſinuatio* diximus. Ceterum *exordium* e technologia textorum translatum, qui proprie dicantur *telas ordiri*, multis exemplis docuit Voſſius Inſtit. Or. Lib. 3. p. 327. in quibus eminet Ciceronis locus de Orat. Lib. 2, 33. vbi Craſſus ad Antonium, *pertexe modo*, inquit, *quod exorſus es*. cf. Cap. 38. vbi eadem metaphora vtitur.

Exornatio.

Haec ex diſciplina Auctoris Herenn. 2, 29. conſtat ex ſimilibus, exemplis, amplificationibus, iudicatis, et ceteris rebus, quae ad exaggerandam et collocupletandam argumentationem pertinent. Vnde ſimili metaphora

phora *exornare argumentationem* Ciceroni dicitur pro abſoluere, pertractare dicendo, poſtquam inuenta eſt. vid. de Inuent. 1, 30. ſub fin. cf. voc. *amplificatio* — Alius ſenſus oritur, cum de *elocutionis exornatione* dicitur, quae in ornatu et veluti colore quodam orationis ineſt. vid. Auct. Herenn. 4, 11. Ea eſt vel verborum, quae ipſius ſermonis inſignita perpolitione continetur, vel ſententiarum, quae non in verbis ſed in rebus quandam habet dignitatem: ibid. Cap. 13. Vulgo *figura*, vt Graecis σχῆμα, dicitur. Vnde et his figuris *honeſtari* elocutionem paſſim dicit, vt Lib. 4, 56. Eleganti igitur discrimine Catulus apud Cic. de Orat. 2, 12. *exornatores* a *narratoribus* ſeparauit, vt hi eſſent hiſtorici, qui ſine vllis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquiſſent, quales apud Graecos Pherecydem, Hellanicum, Acuſilam appellat, annalium confectores: illi autem, qui hiſtoriam diſtinguerent varietate locorum, et verborum collocatione, et tractu orationis leni et aequabili opus ſuum perpolirent: id quod poſtea *illuſtrare lingua hiſtoriam* dicit (vid. voc. *illuſtrare*) et Herodotum praedicat principem hoc genus ſcribendi *ornaſſe*. Cum quo loco conferendus eſt Cap. 12. Oratoris, vbi de eodem Herodoto et Thucydide: *primis ab his*, inquit, *hiſtoria commota eſt, vt auderet vberius, quam ſuperiores, et ornatius dicere.* — Ciceroni Partit. Or. 3. *exornatio* etiam dicitur genus cauſae demonſtratiuum, quod vulgo vocatur, vel graece ἐπιδεικτικὸν, quoniam maxime ad delectandum auditorem, et ingenium oſtentandum comparatum eſt.

Expeditio.

Figura eloc. quae fit, cum rationibus compluribus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri aut non fieri potuerit, ceterae tolluntur, vna relinquitur, quam nos intendimus. Auct. Herenn. 4, 29. Georg. Trapezunt. Lib. 3. Rhet. inter modos argumentationis varios *expeditionem* hanc retulit, non autem in figuris recenſuit.

Explanatio.

Auctori Herenn. 4, 12. *explanatio* dicitur pars elegantiae elocutionis, quae reddat apertam et dilucidam

dam orationem. Ea duabus rebus comparatur, vſitatis verbis et propriis. Sic ὀρθοέπειαν Quintil. 1, 5. 33. interpretatur *emendatam cum ſuauitate vocis explanationem*, quam Cic. Academ. 1, 5. *explanatam vocum expreſſionem* appellat. — *Illuſtris explanatio* inter figuras ſententiarum et lumina commemoratur Cicer. Or. 3, 53. Eſt fere graecorum ἔκφρασις vel ἐνδιάσκευος διήγησις, de quibus vid. Lex. gr. techn. Hinc *naturalis*, et *non explanata* oratio ſynonymice iungitur in Partit. Or. 15. Strebaeus tamen intelligi dicit, quam Graeci ὑποτύπωσιν dixerint. Is nimirum illam, quam Cicero coniungit, *rerum quaſi gerantur ſub aſpectum paene ſubiectionem* ad illam explanationem retulit; dubito an recte. Itaque nos ſeparauimus. vid. voc. *ſubiectio*.

Explere. vid. *Vincire.*

Expolitio.

Expolitio eſt, inquit Auct. Herenn. 4, 42. *cum in eodem loco manemus, et aliud atque aliud dicere videmur.* Eſt genus μεταβολῆς Graecorum, quae vnam rem variat dicendo. Ergo et ille Rhetor, *eandem rem*, inquit, *dicemus*, *non eodem modo* (nam id quidem obtundere auditorem, non rem *expolire*,) *ſed commutate.* Ea vero omnis commutatio fit 1) verbis, cum re ſemel dicta, iterum, aut ſaepius aliis verbis, quae idem valeant, eadem res proferetur; 2) pronuntiando, ſi tum in ſermone, tum in acrimonia, tum in alio atque alio genere vocis atque geſtus, eadem verbis commutando, pronuntiationem quoque vehementius commutabimus; 3) tractando, ſi ſententiam traiiciemus vel ad ſermocinationem, vel ad exſuſcitationem, hoc eſt, cum et nos commoti dicere videamur, et auditoris animum commoueamus. Ad hoc genus pertinere videntur, quaecunque Graeci in διεξόδῳ, ἐκφράσει, περιβολῇ et ſimilibus intellexerunt, in quibus itidem varii orationis commutandae, producendae, variandaeque modi ſunt. Vnde et Ciceroni *expolitio* eſt exornatio quaedam et tractatio artificioſa per omnes partes, quibus aliqua res abſolui poteſt. vid. de Inuent. 1, 40. et 41. vbi, quae illius expolitionis vis ſit, perſpicue ex contextu orationis intelligitur. cf. Lib. 2, 3. vbi expolitio et exornatio ſynonymice iunguntur. vid. Georg. Trapezunt.

pezunt. Lib. 3. Rhet. p. 31. b. et 32. vbi *expolitioni* hoc tribuit, vt confirmationem argumenti vel rationis corroboret et amplificet.

Expoſitio.

Speciatim dicitur, cum poſt narrationem res, de quibus in oratione dicturi ſumus, breuiter et abſolute exponimus. Ita certe definit Auct. Herenn. 1, 10. cf. voc. *propoſitio.* Ab ea diuerſa eſſe videtur, quam Cicero Or. 3, 53. *expoſitionem ſententiae ſuae* appellat. Quintilianus 3, 8. 7. ſimpliciter pro narratione dixiſſe *expoſitionem* videtur. Ibi eam *probationum praeparationem* vocat. cf. Lib. 4, 1. 76. et 78. vbi manifeſte pro narratione dixit, et inprimis Cap. 2. in quo de narratione ex inſtituto agitur. cf. Cic. Orat. 63. et Quintil. 4, 2. 42. et Cap. 3, 5.

Expoſitus.

Si de ſcriptore, vel eius oratione quaeritur, *expoſitum* dicunt pro aperto, dilucido, facili intellectu. In promtu metaphorae fundus eſt. Expoſita enim ſunt, quae omnium in oculis verſantur, ab omnibus cernuntur, eaque ipſa aperta. Vnde Quintilianus *candidum* et *expoſitum*, vt ſynonyma, iungit Lib. 2, 5. 19. quoniam alterum ſine altero eſſe non poteſt. Dicendi facultatem *apertam* et *expoſitam* iunxit etiam Plinius Epiſt. 3, 3. Hinc, declinata paululum ſignificatione, Quintiliano 10, 5. 11. *expoſita* dicuntur, quae ſunt vulgaria, adeoque, quia nec nouitate nec raritate commendantur, minus iucunda. Itaque in illo loco virtutis oratoriae indicium eſſe ſtatuit: *voluptatem expoſitis dare: die Geſchicklichkeit, gemeinen Stoffen Intereſſe zu verleihen: das bekannte und alltägliche mit Intereſſe zu behandeln, intereſſant darzuſtellen.*

Exprimere.

Cicero de Orat. 3, 6. vbi eos vituperat, qui, tanquam ab animo corpus, ſic a ſententiis verba ſeiungant, „ſignificabo breui, inquit, neque verborum ornatum inueniri poſſe non *partitis expreſſisque* ſententiis, neque eſſe vllam ſententiam illuſtrem ſine luce verborum.“ In quo loco cum *expreſſae ſententiae*, et *ſententia illuſtris* ſibi reſpondeant, haec autem poſterior

ornatam

ornatam arte oratoria ſententiam notet, (de quo genere ornatus vid. quae dicta ſunt ad voc. *illuſtrare*) ſequitur *expreſſas* ſententias dici, inſignes, ornatas, graves, luminibus quibusdam diſtinctas, et explanatas artificio oratorio. Sed operae etiam pretium eſt, conſiderare acumen Quintiliani, quo ille Lib. 4, 2. 117. *verba* etiam *expreſſa* dixerit. Ibi docet, in rebus parvis et cauſis priuatis narrationem habere debere preſſum et rei applicitum cultum, non copiam circumiectae orationis, *verba* autem *expreſſa*, et, vt Zeno dixerit, *ſenſu tincta*, hoc eſt, eo cum delectu poſita, vt ſingula fere verba aliquod νόημα fundant: *geiſt- und gedankenreiche Gedrängtheit*, *wo faſt jedes Wort einen Gedanken enthält oder veranlaßt, im Gegenſatze jenes müſigen Schwalles von Worten, bey denen ſich wenig denken läßt.* Iam hoc plane intelligimus eſſe, quod illuſtrandi cauſa addidit: *ſenſu tingere verba*, feliciſſima metaphora, in qua Graeci praeiuerant, quibus, vt Suidas retulit, Ariſtoteles dicebatur propter eandem illam foecundae breuitatis virtutem, *ἀποβρέχειν τὸν κάλαμον εἰς νοῦν*, *jeder Federſtrich, ein Gedanke.* Bene etiam Gallaeus ad Quintil. attulit locum Iſidori Origg. 2, 27. *Ariſtoteles, quando περὶ ἑρμηνείας ſcriptitabat, calamum in mente tingebat.* —

Porro eiusdem vocabuli peculiaris quoque in aliquo pronuntiationis genere ſignificando vſus eſt. Itaque apud Ciceronem de Or. 3, 11. *literas exprimere* dicitur is, qui veluti ſingulas literas pronuntiando adnumerat, in quo quidem putidae alicuius diligentiae vitium ponitur. Vnde Quintil. 11, 3. 33. *imputare* et quaſi *adnumerare* literas eodem ſenſu dixit. Eius rei vis etiam ex vitio contrario intelligitur, quo *obſcurantur literae negligentius*, h. e. tam parum diſtincte et clare enuntiantur, vt obſcuritas inde naſcatur: id quod luculentius Quintil. l. c. dixit *deuorare* ſyllabas, Cicero de Offic. 1, 37. *opprimere.* Hinc et Acad. Quaeſt. 1, 5. *explanata vocum expreſſio* dicitur de ea verbi pronuntiatione, qua omnes literae et ſyllabae diſtinctius enunciantur et audiuntur. Sic et Quintil. 1, 1. 37. ab aetate puerili exigit, abſolutius os, et *expreſſiorem* ſermonem, vt nomina quaedam et verſus difficiles et aſperos quam citatiſſime voluant. Eodemque ſenſu Lib. 9, 4. 138. „in narratione, inquit, plerumque pleni

ſumus

ſumus et *expreſſi.*" Nam et hic de pronuntiandi virtute et ratione vnicuique orationis parti apta ſermo eſt.

Exſanguis.

Oratio *exſanguis* eſt, exilis, tenuis, nullo cum ornatu, elegantia et artificio oratorio elata, et veluti expolita. Illa plerumque philoſophorum eſſe ſolet, qui rerum veritatem, non verborum et orationis copiam atque elegantiam ſectantur; haec oratorum propria. vid. Cic. de Or. 1, 12. vbi omnis loci contextus confirmat, Ciceronem haec talia cogitaſſe, cum *exſanguem ſermonem* diceret. Opponitur ibidem *grauitas* et *iucunditas.* Sed omnino cum his conferenda ſunt, quae ad voc. *exilis, aridus, ſiccus, ſuccus* diximus.

Exſecratio.

Figura eloc. a Cicerone de Or. 3, 53. commemorata; Graecorum ἀρὰ de qua vid. Lex. gr. technol. et Iul. Rufinian. p. 27. ed. Pith.

Exſuſcitatio. vid. *Expolitio.*

Extemporalis.

Quicquid in oratione non domi cogitatum et elaboratum, ſed repente, ex ingenio, et ſubita occaſione ſic ferente dictum eſſet, *extemporale* Rhetores vocarunt: vid. Quintil. Lib. 4, 1. 54. et inprimis Lib. 10, 7. vbi ex inſtituto rationem et vſum illius ex tempore dicendi facultatis exponit. Cum autem hoc omne genus dicendi ita comparatum ſit, vt moram et praeparationem excludat, hinc natae ſunt variae illius ſignificandi formulae, inprimis apud ipſum Quintilianum paſſim occurrentes, vt, *extemporalis fortuna*, *extemporalis temeritas, ſubito effuſa, promtum*, et *in expedito poſitum.* cf. Plin. Lib. 1. ep. 16. vbi meditatis *ſubita* opponuntur. Idem Epiſt. 20. *figuras extemporales* commemorat, hoc eſt, eas dicendi formas, quae orationi non praeparatae, ſed extemporali et ex memoria habitae aptae ſunt. Eiusmodi figurae exemplum laudat ex Cic. Verrin. 4, 26. vbi Cicero quaerit, quaſi memoria ſe deſtituat, *„ſed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletum eſſe dicebant.* Nam etſi conſtat Actionem in Verrem a Cicerone non eſſe in iudicio habitam, ſed domi ſcriptam, tamen figura illa, quae

quae vim extemporalis cuiusdam declamationis habet, ſimulat ſibi excidiſſe nomen artificis, ſimulque, monente etiam Fabio 9, 2. 61. illud conſecutus eſt, vt ne ipſe quoque ſtudioſus ſignorum et tabularum videretur, quorum morbum Verri obiicit. Huc etiam Quintiliani de exordii inſigni genere praeceptum pertinet Lib. 4, 2. 54. „Multum gratiae exordio eſt, quod ab actione diuerſae partis materiam trahit: hoc ipſo, quod non compoſitum domi, ſed ibi atque e re natum et facilitate famam ingenii auget, et facie ſimplicis, ſumtique e proximo ſermonis fidem quoque acquirit, adeo vt plerumque videatur tota *extemporalis* oratio, cuius initium nihil praeparatum habuiſſe manifeſtum eſt.“ Scilicet deſcripſit Fabius illud genus exordii, quod Graeci *προοίμιον ἀπὸ καιρȣ̃*, ſ. *ἐκ τȣ̃ παραχρῆμα*, vel *αὐτοσχέδιον* appellarunt. v. Hermog. Inu. 1. Cap. 4. — In metaphorarum acuminibus, quibus ad extemporalem dicendi facultatem ſignificandam vſi ſunt multi Veteres, inſignia etiam ſunt inprimis Senecae, vt in Controverſſ. Lib. 3. Excerpt. p. 396. Bipont. vbi de Seuero Caſſio: „Quae *dicebat*, meliora erant, quam quae *ſciebat*. Vir enim praeſentis animi, et maioris ingenii, quam ſtudii, magis placebat in his quae *inueniebat* (h. e. quae ſubito et ſine praeparatione ei ſuccurrebant) quam in his, quae *attulerat*.“ Et paullo poſt: „nunquam non vtilius erat illi *deprehendi*, quam *praeparari;* ſed magis illum ſuſpiceres, quod *diligentiam* non relinquebat, cum illi tam bene *temeritas* cederet.“ cf. Lex. gr. techn. in *αὐτοσχεδιάζειν* et infra voc. *Subito.*

Extenuatio.

Figura ſentent. (*ἐξκθενισμὸς*, *μείωσις*) ap. Cic. de Or. 3, 53. et in Orat. 39. *orator extenuet aliquid;* quae eſt eiusdem figurae deſcriptio. *Extenuationem* in narratione Georg. Trapez. Lib. 1. Rhet. p. 7. appellat, ſi, quae acta ſunt, ita ſimpliciter narres. vt quam tarde, ſine aſtutia, conſilio, dolo, praeparatione, ſingula facta ſint, oſtendat oratio.

F.

Fabula.

Cic. de Inuent. 1, 19. genus aliquod narrationis ſtatuens, quod remotum a ciuilibus cauſis, delectationis

nis cauſa ſcribatur, duas eius partes facit, quarum vna in negotiis, altera in perſonis maxime verſetur. Prioris iterum tres partes conſtituit, *fabulam*, hiſtoriam, argumentum. *Fabula* eſt, inquit, in qua nec verae nec veriſimiles res continentur.

Facere.

Hoc verbo Rhetores Latini, vt Graeci τῷ ποιεῖν, vti ſolent ad artificium ſignificandum, quod dedita opera orationi impendas. Itaque cum Auct. Herenn. 2, 30. praecepiſſet, curandum eſſe, ne enumeratio, h. e. recapitulatio, quae in epilogo fieri ſolet, aut ab exordio aut a narratione repetatur, hanc cauſam addit: „*facta* enim, et dedita opera comparata oratio videbitur eſſe, aut artificii ſignificandi, aut ingenii venditandi, aut memoriae oſtentandae cauſa." Eodem modo Cic. de Orat. 2, 14. *facere* et *polire* orationem, vt ſynonyma, iunxit: „illud verius, inquit, neque quenquàm in eo diſertum eſſe poſſe, quod neſciat, neque, ſi id optime ſciat, ignarusque ſit *faciundae* ac poliendae orationis, diſerte id ipſum poſſe, de quo ſciat, dicere." cf. Lib. 3, 38. et Brut. 7. vbi *accuratam*, *factamque* quodammodo orationem coniungit cf. Orat. 51. Huc etiam pertinet, quod *fabricationem* ſimili modo de artificioſa orationis adornatione adhibet Lib. 3. de Or. 42. vt Graeci ἐργασίαν, de qua in Lex. gr. techn. diximus, et Seneca Ep. 115. *manufactam*, quam, aliis quoque variis metaphoris vſus, *ſollicitam*. *politam*, *circumtonſam*, *fucatamque* appellauerat, quae ſingula curam orationis elaborandae vitioſam declarant.

Facetus. Facetiae.

Cicero de Or. 2, 54. *facetiarum* duo genera commemorat, alterum aequabiliter in omni ſermone fuſum, alterum peracutum et breue: illa ſuperior a veteribus *cauillatio*, haec altera *dicacitas* nominata eſt. Mox etiam *hilaritas* et *iocus* a *breuibus dictis* diſtinguitur. cf. Cap. 60. vbi *perpetuae facetiae*, quae ſint, explicantur, et Orat. Cap. 26. vbi *ſalibus*, vt generi, *facetiae* et *dicacitas*, tanquam ſpecies ſubiiciuntur. vid. quae dicta ſunt ad vocc. *iocus*, *riſus*, *hilaris*. Quintilianus autem Lib. 6, 3. 20. *facetum* non tantum circa ridicula conſiſtere, ſed decoris magis et excultae cuiusdam elegan-

tiae appellationem eſſe exiſtimat. Idem et Cicero ſignificat, cum Lib. 2. de Or. 61. *non omnia ridicula etiam faceta eſſe*, monet. Itaque ad abſoluendam notionem, quam *facete dicto* adiungemus, hoc inprimis pertinebit, vt *facetum* non exiſtimemus, niſi quod ſit decorum, excultum, elegans, gratum et venuſtum. Admirabilis locus, ex quo illa *faceti* vis pateat, eſt Cic. de Offic. 1, 29.

Facilis. Facilitas.

Vt recte intelligatur, qualis illa vel oratoris, vel orationis virtus ſit, ad quam notandam Rhetores Latini vocibus illis, admodum ſcite et ſubtiliter, vſi ſunt; a Senecae loco inprimis luculento incipiamus. Is cum notare vellet illam orationis virtutem, qua ſine nimio impetu et rapida celeritate, expedite tamen fluit, et decora quadam aptaque mobilitate labitur. „Fabianus, inquit Epiſt. 40. vir egregius, diſputabat expedite magis, quam concitate, vt poſſis dicere, *facilitatem* eſſe illam, non celeritatem:" *leichte angenehme Gewandheit des Vortrags, im Gegenſatze einer ſtürmiſchen und ungeſtümen Haſtigkeit.* Hinc iam certius iudicari poterit, quid ſit *facile dicere* apud Ciceronem in Bruto 62. Nam omnis loci contextus declarat, de eo oratore dici, qui ſit *verbis expeditus*, vt ibidem Q. Varius nominatur. Eadem fere eſt expedita et profluens quodammodo celeritas, quae ab ingenio acri et viuido profecta, etiam in linguae vſu et pronuntiatione cernitur; Graecorum εὐκολία, εὐγλωττία, εὔροια, de quibus vid. Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 27. Huic *loquendi tarditas*, quam Cicero l. c. Cap. 66. in P. Lentulo commemorat, oppoſita eſt. Itaque etiam Quintilianus Lib. 10, 1. init. quam Graeci ἕξιν dixerunt, *firmam facilitatem* interpretatus eſt. Ea aſſequimur, vt, quae dicamus aut ſcribamus, habeamus in promtu, de praeceptis vel artis diſciplina minus ſolliciti: *ein Habitus in der Beredſamkeit, auf Uebung und Lectüre gegründet.* Luculenta inprimis eiusdem rei mentio eſt Cap. 59. vbi ſatius eſſe euincit, optimos, quam multos, ſcriptores legere: „dum aſſequimur illam *firmam*, vt dixi, *facilitatem*, optimis adſueſcendum eſt, et multa magis, quam multorum lectione formanda mens, et ducendus eſt color." Latius vero etiam patere videtur

tur vis *facilitatis* illius, quam Quintil. 10, 2. 12. in virtutibus oratoris non imitabilibus numerat. „Ea, inquit, quae in oratore maxima ſunt, imitabilia non ſunt, *ingenium*, *inuentio*, *vis*, *facilitas*, et quicquid arte non traditur.“ Ex quibus facile intelligitur, *facilitem* hanc ad bona naturae referendam eſſe, et hanc maxime vim habere, vt in omnibus, quae quis oratione exſequitur, nulla ſollicitudo, nulla moleſtia, nulla difficultas, et virium magna operoſaque intentio appareat: *eine gewiſſe natürliche Gewandheit und Leichtigkeit in Erfindung, Behandlung, Bewegungen, Stimme und Vortrag, welche jede Idee von Anſtrengung, und mühſamer Künſteley ausſchlieſst.* De hoc *facilitatis* genere praeclare Quintil. 12, 10. 77. „Neque vero iſta omnia, inquit, de quibus locuti ſumus, orator optime tantum, ſed etiam *facillime* faciet. Neque enim vis ſumma dicendi eſt admiratione digna, ſi infelix vsque ad vltimum ſollicitudo perſequitur, ac oratorem macerat et coquit, aegre verba vertentem, et perpendendis coagmentandisque eis intabeſcentem. Nitidus ille, et ſublimis, et locuples, circumfluentibus vndique eloquentiae copiis imperat.“ Sed huc etiam pertinet *extemporalis illa facilitas*, de qua Quintil. Lib. 10, 2. 7. copioſe disputat, et quam Lib. 12, 9. 21. his verbis ſignificat: „Siue in reſpondendo fuerit ſubito dicendum, ſiue quae alia ita exegerit ratio, nunquam oppreſſum ſe ac deprehenſum credet orator, cui diſciplina et ſtudium et exercitatio dederit *vires* etiam *facilitatis:* quemque armatum ſemper, ac velut in procinctu ſtantem, non magis vnquam in cauſis oratio, quam in rebus quotidianis ac domeſticis ſermo deficiet etc.“

Falſus.

Falſum argumentationis genus Cicero de Inuent. 1, 48. dicit, in quo perſpicue mendacium ſit. *Falſae voces* quae ſint, vid. in voc. *Flexio.*

Fauorabilis.

Perſona *fauorabilis* Rhetoribus dicitur, pro qua dicere facile eſt, partim quia id ſolenne ſit, partim quod illi faueat vulgo auditor, v. c. ruſtico contra diſertum, forti viro contra ignauum etc. Sic Quintil.

7, 1. 43. Iisdem de cauſis et ipſa *cauſa fauorabilis* appellari ſolet. vid. Quintil. 12, 6. 6.

Fax.

Inter varias metaphoras, quibus oratoris affectibus concitati et veluti ardentis vehementia ſignificatur, illa eminet, qua *faces dicendi* tribuuntur orationis formis et partibus iis, quae mentes hominum flectere et commouere vehementius valeant, locis παθητικοῖς. Cic. de Orat. 2, 51. „neque paruis in rebus, inquit, adhibendae ſunt hae *dicendi faces*, neque ita animatis hominibus, vt nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſſimus, ne aut irriſione aut odio digni putemur, ſi aut tragoedias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea, quae non poſſint commoueri.“ Sine metaphora Cicero locutus eſt Cap. 52. „Ea pars, inquit, quae ſuſcipitur ab oratore ad commutandos animos et omni ratione flectendos, *intenta* et *vehemens* eſſe debet.“ cf. Lib. 3, 1. et quae diximus ad voc. *ardere.*

Feruidus.

Cicero in Brut. 83. „cenſuerim, inquit, et nouam iſtam, quaſi de muſto et lacu, *feruidam* orationem fugiendam, nec illam praeclaram Thucydidis nimis veterem, tanquam Anicianam notam, perſequendam.“ Ex hoc ipſo loco et vis verbi, et ratio metaphorae intelligitur. *Schreibart nach den neueſten Mode Schnitt, worinne mehr ein wäſſeriger Ueberfluß, als ſolide Kraft, mehr Flitterſtaat und Ziererey, als wahre Schönheit und Verzierung, mehr wilde brauſende Hitze, als wirkſames ſtetes Feuer herrſcht*, u. ſ. w.

Fictio.

In locis ridiculi, ſ. γελοίυ, vnde varia genera iocorum, vrbanitatis, facetiarumque oriantur, Quintilianus Lib. 6, 3. 61. etiam ſubtilem ex ſimili translationem commemorat, *cum, quod in alia re fieri ſolet, in aliam mutuamur.* Hanc *fictionem* appellat, eiusque hoc exemplum adponit: Chryſippus, cum in triumpho Caeſaris eborea oppida eſſent translata, et poſt paucos dies Fabii Max. lignea, *thecas eſſe oppidorum Caeſaris* dixit. — *Fictionem nominis* interpretatur Quintil. 8, 6. 31.

31. tropum, quem Graeci ὀνοματοποιΐαν dixerunt. Ea ſit, cum affectibus vox aptatur, quod maxime factum eſt ab iis, qui ſermonem primi fecerunt, qualis eſt in vocibus *mugitus*, *ſibilus*, *murmur*. Nempe haec nomina qui pronunciat, ſimul illud edit, quod ſignificant. vid. Lex. gr. techn. in vocc. ποιεῖν, ποιητικὸν, et ὀνοματοποιΐα. Huc et refertur illa *fictio*, qua voces, in vſum receptae quocunque modo declinantur. vt ſi Latini dicunt *ſullaturire*. Haec Graecis παραγόμενα dicta ſunt. — Porro in locis, vel ſedibus iis, vnde argumenta ducuntur, Quintilianus 5, 10. 95. commemorat etiam *fictionem*, quod Graeci καθ' ὑπόθεσιν dixerint. *Fingere* enim nunc eſt, proponere aliquid, quod ſi verum ſit, aut ſoluat quaeſtionem aut adiuuet; deinde id, de quo quaeritur, facere illi ſimile. v. c. Lex eſt: *Qui parentes non aluerit, vinciatur: non alit quis, et vincula nihilo minus recuſat.* Vtitur ergo fictione hac: *ſi miles, ſi infans ſit, ſi reipublicae cauſa abſit.*

Figura.

Cum Rhetores Latini, Graecos in hac quoque diſciplinae rhetoricae parte ſecuti, varias orationis formas, adfectionesque *figurae* vocabulo ſignificarint, operam dabimus, vt, quae vniuscuiusque vis et ratio ab illis exiſtimata ſit, accuratius intelligatur. Et initium quidem disquiſitionis noſtrae faciamus ab eo *figurarum* genere, cui tantum veteres tribuerunt, vt in eius recto vſu propriam eloquentiae virtutem eſſe iudicarent. Hae ſunt *figurae*, quae vel in ſenſibus vel in verbis cernuntur, (σχήματα διανοίας, quas et *figuras mentis* appellat Quintil. 6, 3. 70. et λέξεως Graecis nominata) habentque in vniuerſum hanc vim, vt orationem a forma recta cum virtute et ſuauitate immutent. Id elegantiſſime omnium docuit Quintil. Lib. 2, 13. 9. cum ſtatuarum et picturarum varietate, orationis ex figuris illis immutationem comparans: „Recti corporis minima gratia eſt, inquit, flexus ille, et, vt ſic dixerim, motus dat actum quendam effictis. Quam quidem gratiam et delectationem adferunt *figurae*. Mutant enim aliquid e recto, atque hanc prae ſe virtutem ferunt, quod a conſuetudine vulgari receſſerunt.“ Sed et reliqua legenda ſunt, et quae Lib. 9, 3. in eandem ſententiam adnotauit. Ergo Quintilianus plane cogitauit

in *figuris*, quod nos ſimili metaphora dicimus: *Wendungen des Ausdrucks im Vortrage.* Ipſam etiam formam orationis, quam ἀποστροφὴ facit, ille *flexum* appellauit Lib. 4, 1. 67. vbi, cum locum aliquem Ciceronis laudaſſet, in qua apoſtrophe vim adderet orationi, quae ſine apoſtrophe elata langueſceret, *idem in Demoſthene*, inquit, *ſi* flexum *illi mutaueris, accidet.* Vnde et, ſi pro *ſcio* dicatur *ignoro*, vel *non me fugit, non me praeterit*, id Quintilianus Lib. 10, 1. *mutatione figurare verba* appellat. In his locis cum verſarer, plane amabile mihi viſum eſt acumen Rhetoris noſtri, vim et ſenſum *figurarum*, quae vulgo dicuntur, cum illo ſenſu comparantis, quem contemplatio ſtatuae affabre factae, et naturam ipſam in flexu membrorum, lineamentorumque, et tacito veluti motu exprimentis adfert. Quid amplius requiramus, vt, quam vim, et quem vſum figurae in oratione habeant, perſpiciamus? Ergo, vt flexus illi ſtatuae, ita figurae, ſi cum arte adhibentur, orationi dant vitam et motum, et vim et ſenſum. Itaque Libro etiam 9, 2. 3. *motum et actum* figuris ineſſe dicit, quibus detractis oratio iaceat, et veluti agitante corpus ſpiritu careat. Et Lib. 10, 1. 55. Arati materiam iudicat *motu carere*, vt in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla perſona, nulla cuiusquam ſit oratio. Quibus quidem locis, non alienum fuerit, adiungere locum Macrobii Saturn. 5, 15. vbi ſimplicitatem Homeri laudat, qua in Catalogo, qui dicitur, vſus ſit, non valde varians nominum appellationes, ſed eandem narrandi formam ſemper repetens. Hoc iudicium ſuum ita expreſſit: „Neſcio quomodo Homerum repetitio illa vnice decet; et eſt genio antiqui poetae digna, enumerationique conueniens, quod in loco mera nomina relaturus *non incuruat ſe*, neque *minute torſit deducendo ſtilum per ſingulorum varietates.*" Ecce ad ſenſus paene reuocatam operam eorum, qui figurarum varietate orationem diſtinguere ſtudent! Sed vt ad Rhetorem noſtrum reuertamur, is *figuras* orationis, τὰ σχήματα, a *tropis* diuerſas quidem illas, Lib. 9. ex inſtituto recenſet et illuſtrat. Itaque in hoc loco, quoniam ea *troporum* et figurarum, in vi et vſu, ſimilitudo extet, vt multi fuerint, qui promiſcue appellarent, vtriusque generis differentiam hoc modo deſignat, vt *tropus* ſit, ſermo a naturali et principali ſignifica-

ſignificatione translatus ad aliam ornandae orationis gratia, vel: dictio ab eo loco, in quo propria eſt, translata in eum, in quo propria non eſt; *figura* autem, conformatio quaedam orationis, remota a communi et primum ſe offerente ratione: *Vertauſchung, im Unterſchiede von Wendung.* Vnde et Cicero Brut. 17. τρόπους verborum *immutationes*, σχήματα autem ſententiarum orationisque *formas* appellat. cf. Or. 54. Nam abſolute nunquam Cicero *figuras* vocat, niſi particula aliqua, veluti excuſandi gratia, addita, vt de Opt. gen. dic. Cap. 5. „ſententiis et earum formis, *tanquam figuris.*“ In Oratore autem Cap. 25. *geſtus* veluti *orationis* interpretatur, quae Graeci σχήματα dixerint. cf. Voſſ. Inſtitt. Or. Lib. 4. p. 259. ſqq. vt intelligatur, nos a Voſſio non pependiſſe, ſed propriam legendi iudicandique operam nauaſſe; et Berger de nat. pulcrit. Orat. p. 149. ſq. — Illud tamen porro Quintilianus notandum ſuadet, coire frequenter in easdem ſententias et τρόπον et *figuram;* tam enim translatis verbis, quam propriis figurari orationem. Ex eiusdem diſciplina *figura* duobus modis dicitur, 1) qualiscunque forma ſententiae, 2) id, quod proprie σχῆμα dicitur, in ſenſu et ſermone aliqua a vulgari et ſimplici ſpecie cum ratione mutatio. Haec poſterior ſignificatio in eloquentia maxime valet. Iam hae *figurae*, ſunt aut διανοίας, h. e. *mentis, ſenſus, ſententiarum.* aut λέξεως, h. e. *verborum, dictionis, elocutionis, ſermonis, orationis.* Figurarum dictionis ſ. λέξεως Quintil. 9. 3. 2. duo genera facit, *grammaticum*, quod in ratione loquendi cernitur, et *rhetoricum*, quod ad collocationem maxime exquiſitum eſt. Itaque prius genus, quia magis ad artem grammaticam pertinet, et in paruis plerumque momentis verſatur, breui abſoluit, eo plus diligentiae rhetorico generi tribuens, quod *ipſis ſenſibus*, vt ait, *cum gratiam, tum etiam vires accommodat.* Hoc genus fit vel per *adiectionem*, vel per *detractionem*, vel ita vt *ſimilitudine* aliqua vocum, aut *paribus*, aut *contrariis* vertant in ſe aures, et animos excitent. — De diſcrimine figurarum elocutionis et ſententiae vid. etiam Aquila Rom. p. 17. Pith. — Iulius Rufinian. ad calcem Libri de Figg. eloc. p. 33. Pith. notat, praeter figuras eas, quas nominibus certis inſignitas habeamus, plures alias eſſe, quae careant pro-

priis appellationibus, et per caſus, numeros, praepoſitiones, genera, perſonas, fiant, quarum exempla adiecit. Haec autem omnia propemodum ſenſu grammatico figurae dicuntur. Et haec quidem de hoc primo praecipuoque figurarum genere ſufficiant; cum quibus vtiliter conferri poſſunt, quae Iman. Theſaurus in Idea argutae dictionis, ex auctoritate quidem Ariſtotelis, Cap. 4, 5. et 6. acute et docte diſputauit.

Porro, cum nonnulli Rhetores, nominatim Zoilus, quem laudat Quintil. 9, 1. 14. *ſchema*, ſ. *figuram κατ᾽ ἐξοχὴν* dicerent, *cum ſimuletur aliud dici, quam dicatur*, hinc *figuratae controuerſiae* appellatae ſunt. ad imitationem Graecorum, qui *ἀγῶνας ἐσχηματισμένας* ad hoc genus referunt, in quibus aliquid *ἐμφάσεως* et *εἰρωνείας* ineſſet. Itaque Quintilianus de hoc ſchemate, *in quo per quandam ſuſpicionem, quod non dicimus, accipi volumus*, Libro 9, 2. 65. exponit. Eius formae triplicem vſum eſſe tradit, vnum, *ſi dicere palam parum tutum ſit*, alterum, *ſi non deceat*, tertium, *qui venuſtatis modo gratia adhibeatur, et ipſa nouitate et varietate magis, quam ſi relatio ſit recta, delectet.* In hac omni de controuerſiis figuratis doctrina Rhetori noſtro praeiuerat Dionyſius Halicarn. cuius diſciplinam paſſim expoſuimus in Lexico gr. techn. ad voc. *σχηματίζειν.* Non obſcure innuit Quintilianus, hoc genus per *figuras* h. e. oblique, tecte et ſimulate dicendi ex ſcholis in forum traductum eſſe, praeſertim recentioribus reipublicae temporibus, quibus non libertas dicendi, ſed metus offenſionum, et adulandi ſeruitus valebant. Inprimis autem harum figurarum ſtudium ad inertiam refert. „Dicebant libenter, inquit §. 78. tales controuerſias, quae difficultatis gratia placent, cum ſint multo faciliores. Nam rectum genus approbari niſi maximis viribus non poteſt: haec diuerticula et anfractus ſuffugia ſunt infirmitatis, vt qui curſu parum valent, flexu eludunt: cum haec, quae affectatur ratio ſententiarum non procul a ratione iocandi abhorreat. Adiuuat etiam, quod auditor gaudet intelligere, et favet ingenio ſuo, et alio dicente ſe laudat." Praeterea vim et vſum rationemque iſtarum quaeſtionum figuratarum eo quoque Fabius declarat, quod confinia illis ſtatuit ſchemata Graecorum, *per quae res aſperas mollius ſignificent*, qualis eſt *εὐφημισμὸς*, et *ὑποκορισμὸς*; totum autem

autem allegoriae ſimile eſſe, cum aliud dicatur, aliud intelligendum ſit. Hinc factum, vt ſeriori aeuo *figurae* Latinis dicerentur pro tectis inuolutisque verborum caligine quadam, calumniis et ſcommatis, quibus alios inceſſerent, quaeque ideo *piperata dicta* Sidonius Apollin. appellauit. Sed de his et cauſidicorum *figuris*, nolo repetere, quae copioſius dixi in Lex. gr. ad voc. *σχήματα* p. 341. Ceterum in eodem genere deſignando commemorantur etiam *obliquae ſententiae*, quibus *recta oratio* oppoſita eſt, et *disſimulatio* apud ipſum Quintil. l. c. §. 94. Huc inprimis quoque pertinet locus Senecae in Controu. 1. p. 68. vbi de Latrone Porcio Rhetore haec notat: „Non placebat illi orationem *inflectere*, nec vnquam *recta via* discedere, niſi cum hoc aut neceſſitas exegiſſet, aut magna ſuaſiſſet vtilitas. *Schemata* negabat decoris cauſa inuenta, ſed ſubſidii, vt, quod aures offenſurum eſſet, ſi palam diceretur, id *oblique* et *furtim* ſurreperet: ſummam quidem eſſe dementiam, *detorquere* orationem, cui *rectam* eſſe liceat.“ cf. quae ad voc. *inflectere* dicta ſunt. Breuiter, et ex auctoritate quidem Quintiliani, quem ſequitur omnino, de his controuerſiis figuratis exponit Iul. Rufinian. p. 36. Pith. cf. Creſoll. Theatr. Rhet. 4, 7. p. 409.

Diuerſus ab vtroque illo genere vocabuli vſus eſt, quem in diſciplina pronuntiationis et actionis oratoriae deprehendimus. Auctori Herenn. 3, 11. *figura vocis* dicitur varia vocis ratio in pronuntiando conſpicua, cuius tres partes facit, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem. vid. Lex. gr. techn. in voc. *σχῆμα* et *ὑπόκρισις*. Nempe in *figura*, quam voci tribuerent, veteres cogitaſſe videntur, quicquid ineſt in voce articulata diſtinctionis, et varietatis, ſono incondito, et confuſo, et vniformi contrarium, ſiue quod in *figura* omnino artis cuiusdam ſignificatio eſt, ſiue quod linguae *fictione* quadam vocis illa modulatio verborumque articulatorum expreſſio conficitur. In hanc quidem ſententiam nos Lucretii inprimis et Ciceronis auctoritate adducti ſumus. Ille Lib. 4, 553—56. haec notat:

Haſce igitur penitus voces cum corpore noſtro
Exprimimus, rectoque foras exprimimus ore,
Mobilis articulat verborum daedala lingua,
Formaturaque labrorum pro parte figurat.

 Cicero

Cicero autem de Nat. Deor. Lib. 2, 59. *In ore*, inquit, *ſita lingua eſt finita dentibus; ea vocem immoderate profuſam fingit et terminat, ſonosque vocis diſtinctos et preſſos efficit, cum et ad dentes et ad alias partes pellit oris.* — Simili ſenſu Craſſus apud Cic. de Or. 1, 25. conformationem et *figuram* oris et corporis, habitum dicit naturalem illum, quo quis in actione oratoria recte et commode verſari poteſt. *Actionem variam* appellare videtur Lib. 2, 17. Nam ab ea ibi diſtinguitur vehemens, plena animi, plena ſpiritus, plena doloris, plena veritatis: niſi forte in *varia* genus quoddam intellexit, cui illa ſequentia, vt ſpecies, ſubſint. — Quintilianus 1, 1. 13. vbi vetat, ne puer diu Graece tantum loquatur, hanc cauſam addit: „hinc enim accidunt et oris plurima vitia in peregrinum ſonum corrupti, et ſermonis; cui cum *Graecae figurae* aſſidua conſuetudine haeſerint, in diuerſa quoque loquendi ratione pertinaciſſime durant.“ In hoc loco *figurae* dicuntur, modi oris conformandi illi, quos peculiaris Graecae linguae forma et ratio poſtulat: *Bildung und Einrichtung der Organen und des Mundes nach der Griechiſchen Form, welche durch die eigene Manier der Ausſprache beſtimmt wird.* Sic et nos *figuras* Gallicas, Italicas, Germanicas diſtinguere poſſumus. In hac voce vſurpanda Latini Rhetores, vt in aliis multis, Graecos expreſſerunt, qui in ſimilibus rebus vocabulis σχηματίζειν, σχηματισμὸς, σχῆμα vſi erant. Ad idem *figurarum* genus pertinere etiam videntur *ſoni illi proprii et inimitabiles* (ſic enim legendum puto pro *ineuitabiles*) *quibus nonnunquam nationes reprehendimus*, apud Quintil. 1, 5. 33.

Figuras elocutionis Auctor. Herenn. 4, 8. appellat, quas Graeci et Hermogenes inprimis ἰδέας dixit, ceteri Latini genera elocutionis, vel grauis, vel mediocris, vel extenuatae, quas Graeci αὐστηρὰν, μέσην, et ἰσχνὴν nominarunt. vid. Lex. gr. techn. in voc. χαρακτῆρες.

Figura cauſae Sulpicio Victori p. 244. Pith. dicitur illa cauſae vel controuerſiae ratio, qua vel ſimplex, vel coniuncta, vel concertiua eſt.

Denique *figuras controuerſiarum* Aurel. Auguſtin. Princ. Rhet. p. 299. vocat, quae alii *genera cauſarum*, alii *modos* appellarunt, quibus cauſa vel eſt honeſta, vel

vel admirabilis, vel humilis, vel anceps, vel obſcura etc. De his vid. quae ad voc. *Genus* diximus.

Filum.

E re textoria metaphora ducta, *filum* dupliciter a Cicerone dicitur; primum pro genere orationis, quod in ea verbis ſententiisque ornanda atque illuſtranda cernitur. Ita de Orat. 3, 26. „primum, inquit, ſilua rerum et ſententiarum comparanda eſt: haec formanda filo ipſo et genere orationis illuminanda verbis et ſententiis: *die Geſtalt, welche ein vorhandener Stoff durch geſchmackvolle Behandlung erhält; die Manier der Bearbeitung in Rückſicht auf Ausdruck und Elocution.* Itaque alio loco Lib. 2, 22. de Critiae, Lyſiae, et Theramenis ſcriptis, „omnes tum, inquit, retinebant illum Periclis ſuccum; ſed erant paullo vberiore *filo.*" Et in Orat. Cap. 36. in tenuibus cauſis, argumentandi quoque *tenue filum* requirit. Neque vero Cicero metaphoram illam primum vſurpaſſe exiſtimandus eſt. *Filum* pro forma et figura non vno in loco dixit Lucretius, vt Lib. 2, 41. Plautus Merc. 4, 4. 15. *ſatis ſcitum filum mulieris.* Gellius N. A. 14, 4. imaginem Iuſtitiae a pictoribus *forma ac filo virginali* fieri ſolitam, ex Chryſippo narrat. Deinde, quoniam filum texturae materiam efficit, *orationis* etiam *filum* de ipſa eius materia, h. e. iis rebus, quae oratione continentur et exprimendae ſunt, adhibuit in Lael. Cap. 7.

Finire.

Finita in oratione dicuntur, cum ſententiae ita apte et numeroſe iunguntur, vt orbem et ambitum completum faciant, et intra hunc ambitum recte concludantur. Sic Cic. Or. 51. *aptis* et *finitis*, infracta et amputata opponit, quae contrariam iſti rotunditati vel concluſioni formam conciſam et mutilam ſignificant. Mox, quod *finiri* dixerat, *cum ſententia pariter excurrere* appellat. Mira in his notionibus exprimendis Ciceronis varietas reperitur. Nam paulo poſt etiam *concluſa* dicit, quae antea *finita* vocauerat. vid. voc. *concludere.*

Firmamentum.

Cicero de Inuent. 1, 14. *firmamentum* eſt, inquit, firmiſſima argumentatio defenſoris, et appoſitiſſima ad iudicatio-

iudicationem. In Partit. Or. 5. *firmamenta* dicuntur argumenta; vt Lib. 2. de Or. Cap. 81. vbi poſt cauſae ſtatus expoſitionem docet *ſuggerenda eſſe firmamenta cauſae coniunctе, et infirmandis contrariis, et tuis confirmandis.* Sed ſpeciatim etiam Cap. 30. Partit. firmamentum vocatur, quod contra ad labefactandam *rationem* (*αἴτιον*) refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Sic Auctori Herenn. 1, 16. *firmamentum* eſt id, quod continet accuſationem, quod adfertur contra rationem defenſionis, *τὸ συνέχον* a Graecis dictum. vid. Lex. Gr. techn. in h. v.

Firmus.

Firmam vocem, cum Quintil. 11, 3. 40. a *magna* et *durabili* discernat, in firmitate cogitaſſe videtur ſtabilitatem illam, qua vox continuo ſonum ſemel captum obtinere poſſit, ita vt non euagetur inconſtanter ad alios, quod ſaepe eſt imbecillitatis vitium, ſed vt is, qui loquitur, in poteſtate vocem habeat: *die feſte, ſtete, tonhaltende Stimme.* Vocem *permanentem* haud dubie eandem dixit Cicero in Bruto Cap. 38. ad quam etiam hoc pertinere videtur, vt nulla contentione langueſcat, vel frangatur, ſed ab initio vsque ad finem orationis eandem vim obtineat.

Flectere.

In vniuerſum *flectere* ſermonem vel vocem dicuntur, qui eam varie modulantur, veluti rectum vocis tenorem immutantes. Quare Marius Victorin. de Grammat. modulationis vim ita exponit: „modulatio eſt continuati ſermonis in iucundiores dicendi rationes artificis *flexus*, et in delectabilem auditus formam conuerſus, acerbitatis vitandae gratia." Et Quintil. Lib. 1, 11. 12. „debet docere comoedus, inquit, qua concitatione conſurgat ira, qui *flexus* deceat miſerationem." Libro autem 4, 2. 37. reprehendit oratores, qui in narratione, quae lenem et moderatam actionem deſiderat, *vocem flectant*, hoc eſt, ea vocis varietate et modulatione vtantur, quae nimiam contentionem vel affectum ſignificet, eamque pronuntiationem ad laſciuiam oratoriam refert. Nam ſi quis a recto remiſſoque dicendi modo ſiue ad contentionem, ſiue ad fletum miſerationemque transeat, neceſſe eſt vt id flectenda voce

ce efficiat. Vnde et Ciceroni de Or. 3, 57. *flexus ſonus* dicitur, qui loquentis moeſtitiam, triſtitiam vel humilitatem indicet. Et Cap. 58. *flexibile* ad miſerationem et moerorem requirit. vid. quae ad voc. *inclinare* dicta ſunt. Vulgarem vero vocabuli ſignificationem ſecutus eſt Cicero in Bruto Cap. 79. vbi Calidii orationem mollem, teneram, libere fluentem et puram laudans, etiam hoc addit, fuiſſe eam *flexibilem*, profecto hoc ſenſu, vt lenitatem quandam verborum expeditam mollemque ſignificaret: *den geſchmeidigen, glatten, fließenden Ausdruck.*

Flexio.

Flexiones vocis Ciceroni appellantur, modulationes quaedam argutae, atque ex nimia variandi ornandique affectatione molles, et grauem oratorem non decentes; quales *flexiones* Demoſthenes et Aeſchines alter alteri obiecerat, vt ille tradit in Orat. Cap. 18. Sic *flexiones in cantu* ab eodem de Orat. 3, 25. dicuntur modi fracti et varie criſpati, qui artis cauſa ſaepe tentantur in fidibus et voce: *künſtliche, intricate Manieren,* z. B. *Läufer in Diſſonanzen, oder Kunſtäuſerungen im Abſtoßen* u. ſ. w. Hinc et eaedem vocantur *falſae voculae*, vel quia non rectis et ſimplicibus ſonis perficiuntur, ſed errantibus et vagantibus, vel quia dulcedine et mollitudine quadam ſua fallunt auditorem; opponunturque iis *certae* et *ſeuerae voces.* Similes ſunt, quos *flexus vocis* in citharoedo canente dicit Quintil. 1, 12. 3. Qui rei Muſicae aliquem vſum habent, et quantum Bacchiorum, Haſſiorum, ſimiliumque veterum artificum ſeueritas et grauitas a plerorumque recentiorum mollibus argutiis diſtet, iudicare poſſunt, melius Ciceronis mentem percipient, quam Scheibius ab Harleſio ad h. l. laudatus, qui ſuo potius arbitratu vſus, quam technologiae Latinorum rhetoricae doctrina imbutus, hoc eſt, falſo locum hunc noſtrum iudicauit. Ceterum cum his coniungenda ſunt, quae ad voc. *frangere, inflectere, flectere, flexus* adnotauimus. Maxime etiam notabilis locus eſt Ciceronis de Legg. Lib. 2, 15. vbi, cum declaraſſet, quantam vim ad mores vel fingendos vel ſignificandos cantus et modorum ratio habere ſoleat, „illa quidem, inquit, quae ſolebant quondam compleri ſeueritate iucunda Liuianis et Naevianis

vianis modis, nunc, vt eadem exſultent, ceruices oculosque pariter cum *modorum flexionibus torquent.*"

Flexus.

In voce moderanda Quintiliano *flexus* dicitur illa vocis immutatio et modulatio, quam varietas argumenti, affectus et conſilii dicentis poſtulat. Itaque ille Lib. 1, 8. 3. „nec proſopopoeias, inquit, vt quibusdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim; eſſe tamen *flexum* quendam, quo diſtinguantur ab iis, in quibus poeta perſona ſua vtetur." Huc et pertinet quod Lib. 7, 9. dicit ambiguitatem verborum iunctorum ſaepe fieri per *flexum* ſcil. vocis, qui nempe hoc efficit, vt intelligat auditor, quae iungenda ſint, quaeque ſeparanda. Porro Lib. 5, 13. vbi defenſoris partes ait multo difficiliores et impeditiores eſſe, quam accuſatoris, hanc ſententiam metaphora ex viis atque itineribus ſumta ita enuntiat: „indirecta fere, et vt ſic dixerim clamoſa eſt actio: hinc mille *flexus* et artes deſiderantur." *Der Beklagte muſs ſich auf tauſenderley Art winden und krümmen, daſs er durchkömmt.* Hi *flexus*, et hae *artes*, quaenam eſſent, antea etiam ſeparatim expoſuerat hoc modo: „accuſatori ſatis eſt plerumque, verum eſſe id, quod obiecerit; patronus *negat, defendit, transfert, excuſat, deprecatur, mollit, minuit, auertit, deſpicit, deridet.* Iam, vt hoc obiter dicam, cum Geſnerus vidiſſet ab hoc loco *clamoſam* actionem alienam eſſe, aliamque vocem requiri, quae viae *indirectae* notionem, acriori etiam metaphora, exprimat, coniecit *dumoſam* legendum eſſe. Mihi, cum de hoc loco cogitarem, in mentem venit, non minore fortaſſe iure, *cliuoſam* poni poſſe, praeſertim, quod *flexus* illi et *indirecta* via magis *cliuorum*, quam *dumorum* frequentiae conuenire videantur. Sed iudicent acutiores. Ceterum huc pertinebit etiam locus Quintil. 11, 3. 25. vbi ad firmandam vocem hoc praeceptum ponit: „Optimum erit ediſcere quam maxime varia, quae et clamorem et diſputationem, et ſermonem et *flexus* habeant, vt ſimul in omnia paremur." In quo loco *flexibus* ſignificauit locos et partes orationis eas, quae ob varietatem affectus, variam etiam vocis contentionem vel remiſſionem et modulationem deſiderant.

Flos.

Flos.

Vbicunque in Rhetorum Latinorum ſcriptis *flores* ſiue verborum ſiue ſententiarum, ſiue totius orationis commemorantur, cogitandum eſt de ornatu qui in vtroque genere adhiberi poteſt, ſiue is ſit e tropis et figuris, ſiue ex ſingulari quadam elegantia et acumine, quo diſtincta oratio illuſtratur. Ita Cic. Or. 3, 25. *conſperſa* his *floribus oratio*, quae et lumina et inſignia quaedam appellantur, ab eo genere ornatus diſtinguitur, qui cernitur in colore et ſucco. et aequabilitate per omnem orationem fuſus eſt. Scilicet ex accurata naturae contemplatione profecerant, qui primi hanc metaphoram induxerunt. Nam vt magnum aliquod pratum, vel continuus campus non facile oculos in certo loco detinet, niſi is floribus quibusdam diſtinctus ſit, qui et eminent inter vulgares et perpetuas herbas, et magis ſenſibus adrident: ita in oratione perpetua, quicquid vel forma vel acumine ſingulari veluti exultat, et attollitur, illos felici translatione *flores* dixiſſe, quis non videat, et admiretur? Qua eadem de cauſa *inſignia* etiam et *lumina* verborum vel ſententiarum dixerunt, vbi de eodem ornatu ſermo eſſet, et orationis ipſi ornatui *diſtinctionem* tribuerunt. vid. voc. *diſtinguere*. Ex multis exemplis pauca dabimus. Cic. Brut. 17. de Catone: „Origines eius quem *florem*, aut quod *lumen* eloquentiae non habent?“ Et Cap. 66. de Craſſo: „nullus *flos*, neque lumen vllum.“ Simili modo Gellius N. A. 9, 9. *florem* loci alicuius Homerici appellat verſum praecipua ſententiae pulcritudine inſignem; et Seneca Ep. 33. *floſculos*, bono quidem hic ſenſu, vocat ſententias eminentiores, quas memoriae cauſa et propter illarum elegantiam et vitae vſum excerpere e praeclaris ſcriptoribus ſolemus: *Sentenzen, Denkſprüche*. Apud eundem Senecam de iisdem eſt etiam hoc: „non habemus iſta *odorifera*, nec emtorem decipimus.“ Probe, at ominoſe profecto! Quaſi diuinaret Seneca, multis ſeculis poſt fore, qui edendis *floſculis*, aliisue *odoriferis* (*Blumen, Nelkenblätter*, u. ſ. w.) et emtores, et lectores deciperent. — Hinc *floridum* dicendi genus (*ἀνθηρὸν*) quo ſenſu Latini Rhetores dixerint, non obſcurum erit. vid. Cic. Brut. 82. Quintil. 2, 5. 18. et 12, 10. 59. vbi id genus *delectando* ſeruire dicit. Et

Saleius

Saleius Baſſus, ſi is auctor eſt elegantis Carminis ad Calpurn. Piſonem, huius dulcedinem et ſuauitatem eloquentiae laudaturus, verſ. 62. ſeq.

Dulcia ſeu mauis, liquidoque fluentia curſu
Verba, nec incluſo, ſed aperto pingere flore,
Inclyta Neſtorei cedit tibi gratia mellis.

cf. Berger de nat. pulcrit. orat. p. 6. — *Floſculi* autem cum commemorantur, quaſi in deminutiuis notionem contemtus, et minoris dignitatis animus ſibi informet, nimius illarum elegantiarum apparatus, quem luxuriei et laſciuiae metaphoris inſigniuerunt, notatur. Sic Quintil. Lib. 2, 5. 22. *laſciuiae floſculos* reprehendit, aetatis ſuae auctoribus proprios, idemque *praedulce genus dicendi* appellat. Lib. 12, 10. 13. Ciceronem non aliter ab ipſis inimicis male audire, quam nimiis *floribus* et ingenii affluentia, potuiſſe iudicat. Et eiusdem Cap. §. 73. ad corruptum dicendi genus inter alia et hoc refert, quod *caſuris*, ſi leuiter excutiantur, *floſculis niteat*, felici metaphorae continuatione iſtius ornatus vanitatem exprimens.

Fluere.

Admirabilis in hoc quoque vocabulo ad varias orationis rationes adfectionesque adhibendo Rhetorum Latinorum intelligentia reperitur. Nam quot notiones ex illo vocabulo concipere animo poſſumus, totidem fere ex eodem metaphoras duxerunt, quibus certas elocutionis virtutes et veluti habitus explicarent. Iam primum in *fluendo* hoc ineſt, vt inconſtantiae et motus cuiusdam vagabundi idea in animo gignatur. Itaque Ciceroni de Or. 3, 49. *fluere* oratio dicitur, quae nullis numeris adſtricta, nulla lege fertur ſoluta, minus numeroſa eſt. Nam numerus quaedam quaſi vincula addit orationi, quibus ſi eſt deſtituta, tum non ſolum *fluere*, ſed et ſimilibus metaphoris *fugere*, *errare*, *vagari* dicitur, vt multis exemplis docuimus ad vocc. *numerus*, *ſolutus*. Eadem et *inculta*, et *disſipata*, et *fluens* oratio appellatur in Orat. 65. hoc eſt, fluctuans, quo ſenſu et vſus eſt verbo Quintil. Lib. 10, 1. init. vbi haec ſunt: „neque ſolida atque robuſta fuerit vnquam eloquentia, niſi multo ſtilo vires acceperit; et citra lectionis exemplum, labor ille, carens rectore, *fluit*.“

Porro

Porro cum aquae fluentis haec quoque vis ſit, vt lenitatis, et aequabilitatis expeditae notionem praebeat (*Leichtigkeit, Glattheit, Geſchmeidigkeit, welche dem holprichten, rauhen, und Anſtoſs befördernden Weſen eines Dinges entgegengeſetzt iſt,*) hinc *fluentem* etiam orationem dixerunt, quae eſſet ita apte compoſita verbis ac ſententiis, et vincta numero, vt nusquam neque in ore neque in auribus veluti offenderet, ſed leni fluxu prolaberetur. Sic Cic. Brut. 78. de oratione Calidii: „ita libere *fluebat*, vt nusquam adhaereſceret;“ manifeſte ducta a riuis metaphora, in quibus aqua nullis lapidibus interiectis frangitur et impingitur, ſed continuo et leni fluxu delabitur: plane vt in Orat. 14. Herodotum *ſine vllis ſalebris quaſi ſedatum amnem fluere* iudicat. Vnde et Quintil. Lib. 1, 1. fin. *confragoſa nomina* ſimili metaphora dicit, in quibus ex pluribus et aſpere coeuntibus inter ſe ſyllabis et literis lingua offendit, vt difficillima pronuntiatio reddatur. Idemque *fluentem orationem* appellat, quae recte *cohaereat*, et vincta ſit collocatione et numero, a fluminibus itidem ducta metaphora, quae *prono alueo fluunt aequabiliter, non fractis aquis inter obſtantia ſaxa et reluctantibus*, Lib. 9, 4. 7. et 20. Quibus ita expoſitis non obſcurum erit, quasnam *fluentes Elegos* Calpurnii dixerit Plinius Ep. 5, 17. aut Gellius N. A. 19, 9. *fluentes carminum delicias* appellauerit; praeſertim cum in hoc Gellii loco de Anacreonticis, Sapphicis, aliorumque poetarum Elegiis eroticis, dulcibus, venuſtisque ſermo ſit, in quibus non rerum modo iucunditas, affectuumque quaedam mollitudo et lenitas dominantur, ſed et, vt eſt apud Gellium, *ſuauitas vocum et modulorum* legentes delectat. Quare recte Catanaeus, ad locum Plinii laudatum, *flumen* illud Elegorum praecipue in eo cerni iudicat, vt carmen conſonantium multorum aſperitate liberum ſit, colliſionibusque careat, ſed leni potius lapſu, fluminis inſtar, procedat; vnde et eosdem Elegos *enodes* et *teneros* appellauerit. Nam nodoſa, eadem etiam aſpera eſſe ſolent. Vnde et Saleius Baſſus in Piſone verſ. 62. *dulcia liquidoque fluentia curſu verba*, iunctim laudat.

Reſtat vltima notio, quam fluentis aquae adſpectus animo adfert, *motus cuiusdam liberi*, quo illa nemine impellente aut cogente, ſed ſponte feratur. Itaque

 hanc

hanc quoque arripiens Quintilianus Lib. 9, 4. vlt. cum de numerorum in oratione ſeruandorum cura praecipiat. *disſimulatio curae*, inquit, *praecipua eſt, vt numeri ſponte fluxiſſe, non arceſſiti, non coacti eſſe videantur.* vid. quae ad voc. *ſequi* notauimus. Cui notioni valde ſimilis eſt illa, qua Ciceronianae orationis feliciſſimam facilitatem deſcribit Lib. 10, 1. 11. „Haec omnia, inquit, quae vix ſingula quisquam intentiſſima cura conſequi poſſet, *fluunt* illaborata.“ Sic Saleius Baſſus, ſeu Lucanus, in Carm. ad Piſon. 151. *carmina nectere ludenti fluitantia verſu* eleganter dicit eum; cui veluti ludus eſt verſus facere, qui, ſine contentione animi vel ingenii, ſed grata cum quadam facilitate, et iucundo ingenii luſu, carmina pangit. Interpretes ad h. l. ineptiunt mirum in modum.

Fluctuans.

Orationis genus *fluctuans* ap. Auct. Herenn. 4, 11. dicitur eorum, qui, cum mediocre genus dicendi aſſequi non poſſint, perueniunt ad genus quoddam vitioſum, quod *ſine neruis et articulis fluctuat* huc et illuc, nec poteſt confirmate nec viriliter ſe expedire; vnde et *disſolutum* vocatur. Deinde *fluctuans* oratio, eademque claudicans, eſt, quae non aequabiliter et conſtanter numeroſa eſt, ſed mox fluens et lenis, mox hiulca et aſpera. Sic Cic. Or. 58. Huic igitur fluctuationi aequalitas opponitur. Simili metaphora Lib. 3. de Orat. 49. *vagari* oratio dicitur, quae non ſeruat, quam cepit, viam, ſed varie disſilit, modo ſubſiſtit, modo reſumit curſum, non multo poſt iterum haeret, et ſine lege ſubſultat. vid. voc. *aequalitas*, et *mediocris*. Denique a mari fluctibus concitato metaphora ducta, *fluctuans* oratio appellata eſt oratoris nimis violenti et concitati. Sic Seneca Controu. 3, 19. de Caluo: „Compoſitio quoque eius in actionibus ad exemplum Demoſthenis riget: nihil in illa placidum, nihil lene eſt: omnia et *citata* et *fluctuantia*.

Foecundus.

Foecundus orator dicitur, idem qui vber, et amplus, et copioſus, hoc eſt, tam varia rerum, ex philoſophia inprimis petitarum, ſcientia inſtructus, vt poſſit de variis magnisque rebus late et copioſe dicere.

v. Cic.

v. Cic. Orat. 4. et cf. Lex. gr. techn. in vocc. *γόνιμος*, et *πόριμος*. Nempe, vt ibi Cicero docet, alia *intelligendi*, alia *dicendi* diſciplina eſt, et ab aliis *rerum*, ab aliis *verborum* doctrina quaeritur. Alia *foecunditas* eſt, quam Antonius in adoleſcente ad eloquentiam adſpirante requirit, apud Cic. de Or. 2, 21. Haec *verbis efferueſcentibus, et paullo nimium redundantibus* ſe prodit. *Volo eſſe*, inquit, *in adoleſcente, vnde aliquid amputem.*

Forma.

Quintilianus Lib. 10, 1. in verborum vſu tria diſtinguit, *ſignificationem*, *formam* et *menſuram*. In quo quidem loco *forma* eo pertinet, vt ſciamus, cui quodque verbum rei accurate conueniat; *menſura* autem, quam late pateat, ſitne latius, an anguſtius: Sic Geſnerus ibi bene explicuit. De alio vocis ſenſu, quem Cicero adhibuit, vid. ad voc. *Figura*. Sed idem etiam vbi de orationis numero et rhythmo loquitur, *formam verborum* ita commemorat, vt cum *numero* et *modo* ſynonymice iungat. Vnde patet eum *forma* ſignificaſſe concinnitatem illam, quae in numeroſa et modificata verborum conſtructione cernatur. vid. Lib. 3. de Orat. Cap. 43. 44. et 52.

Frangere.

Tam ſimilis Graecis Latinisque Rhetoribus loquendi metaphorasque ducendi conſuetudo fuit, vt illi quidem in vocabulis *κατακλᾶσθαι*, *διακλᾶσθαι* et aliis huius formae, hi vero in verbis *frangere*, *infringere*, *inflectere*, *inclinare*, quae omnes metaphorae ſibi affines ſunt. ſignificarent aliquam vel vocis humanae vel orationis, vel geſtus mollitudinem, dulcedinem, affectationem, remiſſionem, quae grauitati, dignitati, robori, et virilitati cuidam contraria eſſet. Itaque, vt de elocutione primum dicamus, *fractum* dicendi genus apud Ciceronem appellatur, in quo ſint ſententiae minutae, nimia concinnitate conciſae, compoſitio verborum et iunctura mollior, nulla amplitudo, nulli grauiores numeri, ſed omnes ad nimiam elegantiam comparati. Sic in Bruto 83. „Chariſii, inquit, Hegeſias vult eſſe ſimilis; at quid eſt *tam fractum, tam minutum, tam in ipſa concinnitate puerile?*“ A Quintiliano autem Lib.

 8, 57.

8, 57. ad genera orationis corruptae, hoc etiam refertur, vt ſit *compoſitione fracta.* Quo inprimis pertinet, quod de Senecae genere dicendi Quintil. 10, 1. 130. iudicat: „pondera rerum minutiſſimis ſententiis *fregit.*" Sed maxime in vocis pronuntiationisque generibus vel vitiis notandis illa metaphora dominatur. Itaque in variis generibus vocis humanae, quae vel vitio vel virtute quadam naturali exiſtere ſolent, Cicero de Orat. 3, 57. genus vocis *fractum* et *ſciſſum* appellat Illud ergo erit molle, delicatulum, muliebre, *die weiche, weibliche, kraftloſe Stimme.* Sic Quintil. 1, 10. 31. muſicen reprehendit in ſcenis effeminatam, et impudicis modis *fractam*, quae, ſi quid roboris virilis manebat, exciderit. Et Cap. 11. „non puerum, inquit, *femineae vocis exilitate frangi* volo." Plinius etiam Lib. 2. epiſt. 14. quibus *fractam* pronuntiationem tribuerat, mox *cantica*, hoc eſt, declamationem argutam et ſcenicam tribuit. vid. voc. *Cantus.* Vnde et Lucretius Lib. 5, 231. nutricum *blandam* et *infractam loquelam* dixerat, qua illae infantes demulcent. Quid ſit autem illud *ſciſſum*, vix certo dici poſſit, niſi lucem adferat Quintil. 11, 3. 30. vbi vitio faucium attribuit, vt *frangatur*, *obſcuretur*, *exaſperetur*, et *ſcindatur* vox. Vnde plerisque veriſimile viſum eſt, in *ſciſſa* voce intelligi illud mollitudinis genus, quod ad balbutiem pertinet, *das Liſpeln*, *die liſpelnde Stimme.* Certe Quintilianus 1, 11. 5. in *deliciis circa literam S* vix aliud quicquam cogitauerit. Huic explicationi tamen illud obſtare videtur, quod illud vocis genus, quod germanice dixi, *das Liſpeln*, vitium potius eſt linguae ad dentes inepte allidentis; Quintilianus autem in loco laudato faucium modo vitia recenſet. Accedit, quod Quintiliani mens non poteſt, niſi toto loco conferendo intelligi. „Sint *fauces integrae*, inquit, hoc eſt, ſanae, nec vllo incommodo vel innato vel contracto aliunde laborantes, quarum vitio et *frangitur*, et *obſcuratur*, et *exaſperatur*, et *ſcinditur vox.* Nam vt tibiae, eodem ſpiritu accepto, alium clauſis, alium apertis foraminibus, alium non ſatis purgatae, alium quaſſae ſonum reddunt: ita *fauces tumentes*, *ſtrangulant* vocem, *obtuſae obſcurant*, *raſae exaſperant*, *conuulſae fractis ſunt organis ſimiles.*" Iam ſi ſibi Quintilianus in hoc loco, et in omni cum tibiis comparatione conſtat,

frangi

frangi vocem dixit ex faucibus tumentibus (hoc eſt, tumore coarctatis) eandemque *ſtrangulari*, *der dürſtige dünne Ton aus einer engen gepreſsten Kehle.* Nam in vocabulo *frangendi* inprimis et hoc eſt, vt vim exilem et imminutam cogitemus. Quod autem *ſcindi* vocem dicit, ei reſpondebit *conuulſa*, quam fractis organis ſimilem facit. Quaeritur, quasnam *fauces conuulſas* nominet? Equidem puto proprie fauces tales non eſſe in rerum natura, ſed ex effectu ita appellatas. Cum enim Quintilianus vocem notare vellet, quae ſonos ederet ſimiles illis, quos fracta organa edere ſolent (*der klirrende, hölzerne Ton, wie ihn eine geſprungene Glocke, oder der zerriſſene Reſonanzboden eines Inſtruments giebt,*) faucibus etiam tribuit, quod ad ſola organa illa pertinebat, quoniam vtrorumque idem ſonus eſſet. Reſtant duo vitia *obtuſae* et *raſae* faucis, de quibus, hac opportunitate oblata, hoc etiam in loco, quid ſentiamus, dicendum videtur. Et *obtuſis* quidem faucibus, quoniam hoc tribuit, vt *obſcurent* vocem, intelligere debemus naturalem quandam raucitatem, quae vocis claritatem, diſtinctamque modulationem tollit. Nam *obtuſo* opponi ſolet *acutum*, hoc autem ſemper canorum eſt: vnde et Cicero, vt alio loco vidimus, *canoro fuſcum*, et Quintilianus *candido obtuſum* oppoſuit. — *Raſas* denique fauces puto eſſe veluti ſulcis quibusdam impeditas et aſperas, per quos ſulcos cum ſonus effertur, ipſe exaſperatur. Iam quatuor illa vocis vitioſae ex faucibus vitioſis genera ita germanico noſtro idiomate enuntiare licebit: 1) *dürſtige, dünne Stimme aus einer engen gepreſsten Kehle,* (*frangitur, ſtrangulatur* vox) 2) *undeutliche heiſere Stimme* (vox *obſcuratur* obtuſis faucibus) 3) *rauhe, grelle, widrige Stimme aus einer rauhen Kehle,* (vox *exaſperatur* raſis faucibus) 4) *hölzerner Ton ohne Klang und Metall,* (vox *ſcinditur* conuulſis faucibus.) Verum haec omnia eo animo disputauimus, vt, ſi qui futuri ſint, qui illis certiora et veriora nos doceant, eorum doctrinam et acumen amplexi, noſtrum errorem ſimus libenter agnituri. Strebaeus ad Cic. l. c. ita *fractum* et *ſciſſum* diſtinxit, vt illud eſſet, quod *fracta voce* agitur, hoc, *diuiſum inciſis et membris, ac diuiſim exprimendum.* Haec explicatio ſi vel maxime in Ciceronis loco valeat, in Quintiliano tamen valere non poteſt.

Denique non in vocis ſolum mollitudine vel vitiis notandis illa *frangendi* metaphora vſi ſunt, ſed eandem etiam in motu corporis enerui, effeminato, et oratoris grauitate indigno paſſim adhibuerunt, qui huius motus praecepta poſuerunt, vel vitia notarunt. *Fractum* inceſſum, qualis eſt mulierum delicatarum, et pulcram quandam mollitudinem affectantium, commemorat Quintil. 5, 9. 14. Loca Petronii, Senecae, aliorumque attulit Creſoll. Vacatt. Autumn. Lib. 2. p. 277. vbi de ea re ex inſtituto diſputat. Ibi et e Plutarcho, Maximo Tyrio, et Clem. Alexandr. ſimiles metaphoras, v. c. *περίκλασιν σώματος*, *σῶμα ἐκτετριμμένον*, *κατεαγυίας κινήσεις* contulit.

Frequentatio.

Auctori Herenn. 4, 40. dicitur illa orationis forma vel artificium dicendi, quo res in tota cauſa diſperſae coguntur in vnum, quo grauior aut acrior, aut criminatior oratio ſit. Similes huic ſunt Graecorum figurae *συλλογὴ*, *συναγωγὴ*, *ἀνακεφαλαίωσις*, de quibus vid. Lex. gr. techn. Latini etiam *collectionem*, *enumerationem*, *congeriem* in ſimili re dicere ſolent.

Frigidus.

Frigida in genere Rhetoribus dicuntur, quae ſiue verbis ſiue ſententiis, ſiue alia omni tractatione oratoria ita afficiunt auditorem, vt is vel non delectetur, vel faſtidio etiam atque iniucundo ſenſu laboret. Itaque Cicero in Orat. 26. facetiis quaeſitis, et domi excogitatis, ac veluti ſtudio expreſſis coactisque, *frigus* tribuit; *fader*, *froſtiger Witz*, *dem man das ausſtudierte, die vorſätzliche Präparation anſieht.* Nempe in ioco acumen natiuum et repentinum maxime placet. Deinde etiam omnibus dicendi formis, in quibus ſola concinnitas, ſine ſenſus ſtudio, curioſe quaeritur, *frigida* et inanis affectatio tribuitur, qualis fuit eorum Rhetorum, qui gratiam dicendi ex paribus contrariis, ſimilibusque deliciis acquirebant, quos reprehendit Quintil. 9, 3. 74. Omnino autem metaphorae, a *frigore* ductae, vis et vſus, vt in quam plurimis aliis vidimus, naturae obſeruatione nititur. Vt enim calor, frigori oppoſitus, ex motu atque intentione oritur, et vtriusque index eſt, ita frigus inertiam et remiſſionem conſe-

conſequitur. Vtrumque autem in oratione et eloquentia, quae maxime ad animos aſſiciendos impellendosque valet, intelligi poteſt. Vnde Ciceroni Brut. 48. T. Iuuentius nimis *lentus* in dicendo, et *paene frigidus* iudicatur. Ei ſcilicet vis et dolor, et celeritas orationis deerat, quae in oratore maxime requiruntur. Itaque ſi quis ita dicit, vt vel deſtituat magna et praeclara exſpectantes, vel audientes plane offendat, is frigide dicit, ea ipſa de cauſa, quod eos, qui audiunt, nec ad admirationem intendit, nec delectatione captos tenet, ſed animos potius auertit, relaxat, atque adeo, vt *frigeant*. hoc eſt, motu omni et ſenſu iucundo ipſi careant, efficit. Non poſſum mihi temperare, quo minus mentionem faciam loci Pliniani, qui frigoris iſtius naturam et cauſas notabili exemplo declarat. Is Lib. 6. epiſt. 15. Paſſienum Paullum narrat elegos publice recitaſſe, et cum ita inciperet *Priſce iubes* — Iauolenum Priſcum, qui inter auditores aſſideret, hominem dubiae ſanitatis et paene delirantem, illum his verbis interpellaſſe: *ego vero non iubeo.* Quo dicto magnos hominum riſus et iocos conſecutos eſſe. Quid ergo? Nempe *aliena deliratio Paullo multum frigoris attulit,* Plinius ait, hoc eſt, auditoribus iam ad admirationem compoſitis et expectatione calentibus et intentis, lepida hominis inſani interpellatione calor omnis et intentio ita excuſſa eſt ex animis, vt iam elegi illi multo minus placerent, quoniam et riſus ille recitantem Paullum a ſtudio et calore pronuntiandi pudore quodam reuocaret, et Priſci cogitatio ſtudium omne audiendi infringeret. Sic diſerte idem Plinius Lib. 9. ep. 2. ſe diſtrictum ait *frigidis* negotiis, *quae ſimul animum et auocent et comminuant.* Nam in vtraque re omnis paene frigoris illius natura et cauſa ineſt. cf. Quintil. 2, 12. 6. vna cum adnotatione Geſneri; et Lib. 5, 7. 31. vbi in teſtium interrogatione *frigus interrogantis* dicitur, cum is vrbane aliquo dicto attentionem iudicum vel auditorum, ſtudio aduerſus teſtem incenſorum, interpellat, et animos cum teſtis tum iudicum veluti refrigerat. Quare antea Rhetor ita praeceperat: *teſtis aliquo, ſi continget, vrbane dicto refrigerandus eſt.* Non male Martialis hac metaphora vſus eſt, vt aculeo quodam epigramma inepto Rhetori dictum inſtrueret, Lib. 2, 25.

Si temperari balneum cupis feruens,
Fauſtine, quod vix Iulianus intraret:
Roga, lauetur, rhetorem Sabineum.
Neronianas is refrigerat thermas.

Neque contemnenda eſt illa poetae (Virgil. Catalect. 2.) dicacitas, qui Cimbri Rhetoris frigidam Atticiſmi affectationem notaturus, *Atticam febrem* appellat:

Corinthiorum amator iſte verborum
Iſte iſte rhetor. Namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticae febris etc.

ad quem locum vid. Heynius et interpretes ad Quintil. 8, 3. 28. vbi idem carmen laudatur. Cui ſimile eſt acumen Ariſtophanis in Acharnenſ. Theognidem tragicum poetam, frigidum et ineptum riſuri:

Εἰ μὴ κατένιψε χίονι τὴν Θράκην ὅλην
Καὶ τὰς ποταμὰς ἔπηξ᾽ ὑπ᾽ αὐτὸν τὸν χρόνον,
Ὅτ᾽ ἐνθαδὶ Θέογνις ἠγωνίζετο.

cf. Suidas ad voc. ψυχρὸς, et quae nos in Lex. gr. technol. copioſe disputauimus.

Frons.

Exquiſita metaphora *frons cauſae* Quintiliano 4, 1. 42. dictum eſt id, quod primum in oculos omnium et animum incurrit. Ea latius autem patet *cauſae facies*, hoc eſt, ipſa totius cauſae ratio et conſtitutio, vt bene Geſnerus ad h. l. explicauit. Sermo ibi eſt Quintiliano de *inſinuatione*, quae adhibetur maxime, vbi *frons* cauſae non ſatis honeſta eſt, vel etiam, *ſi facie ipſa premitur: wenn der Gegenſtand dem Zuhörer entweder auf den erſten Anblick anſtöſsig iſt, oder wenn er dieſen Anſtoſs an mehrern Umſtänden nimmt, welche im Detail des Vortrags und deſſen Behandlung vorkommen.* — Deinde quoniam in fronte hominis manifeſta animi, praecipue autem pudoris vel impudentiae indicia eſſe creduntur, oratoris etiam ſiue audaciam ſiue timiditatem in frontis diuerſo habitu veteres collocarunt. Itaque Plinius Lib. 6. ep. 29. Iſocratem, quem Cicero dixerat pudore et timiditate ingenua a dicendo abſtinuiſſe, *mollitie frontis*, ne in publico diceret, impeditum tradit. Quantum *fronti* tribuerint veteres ad eloquentiam ſiue commendandam ſiue vituperandam momenti, omnium doctiſſime et copioſiſſime docuit ex ipſis

ipſis ſcriptorum antiquorum fontibus Creſollius Vacatt. Autumn. Cap. 3. ſq. p. 151.

Fuſcus.

Fuſca vox, candidae et canorae oppoſita, h. e. quodammodo obſcura, non ſatis pura. vid. Quintil. 11, 3. 15. Cic. de Nat. Deor. 2, 58. et quae ad voc. *candidus* de hac re notauimus. Quintil. 11, 3. 171. Ciceronem ait Antonio vocem *fuſcam* tribuere. In loco autem Ciceronis, qui eſt in Bruto Cap. 38. vox *ſubrauca* natura commemoratur. Vnde vtramque eandem eſſe intelligitur. Eam autem in miſeratione commouenda adhibitam fuiſſe ab Antonio, itidem ex Quintiliani loco patet.

Fundere. Fuſus.

Cum *fundendi* actus duas maxime notiones adferre poſſit, primum lenis cuiusdam perpetuitatis, deinde copiae et vbertatis, Latini etiam Rhetores illo verbo ita vſi ſunt, vt ſimiles elocutionis oratoriae habitus et affectiones ſignificarent. Cicero de Or. 2, 15. de dictione hiſtorica: „verborum ratio, inquit, et genus orationis, *fuſum* atque *tractum*, et *cum lenitate quadam aequabili profluens*, ſine hac iudiciali aſperitate, et ſine ſententiarum forenſium aculeis, perſequendum eſt. coll. Or. 20. vbi „in hiſtoria, inquit, *tracta* eſt quaedam et *fluens* et expeditior, non haec contorta et acris oratio.“ Veteres interpretes, inprimis Strebaeus ad h. l. cum oppoſitorum rationem negligerent, minus recte, quid in illo *fuſo et tracto* genere ineſſet, viderunt. Ergo ille *fuſum* dicit eſſe, quod longis periodis multa membra vincientibus conſtet, *tractum* autem, cuius partes ita ſint quaſi concatenatae et coniunctae, vt non ante quieſcat animus, quam ductus ſit in longum. Qua explicatione nihil poteſt eſſe ab illo loco alienius. Vis illorum verborum omnis ex rebus contrariis petenda erat. Nam vt illa *aſperitas*, illi *aculei* forenſes, illa *contorta* et *acris oratio*, eloquentiam oratoris forenſis declarat, cum impetu, ſpiritu et vehementia agentis, omnesque artis ſuae machinationes adhibentis, vt animos impellat, et conterreat, ita in hiſtorico ſcriptore oratio omnis et ratio dicendi lenior, moderatior et ſedatior eſſe debet. Iam cum in *fundendo* et *trahendo*

M 5 hoc

hoc inſit, vt ſedatiorem motum et clementiorem impetum cogitemus, quo ſenſim eo perueniatur, quo velis, ea ſola cauſa eſt, cur ad lenitatem tranquillitatemque quandam dictionis hiſtoricae declarandam iſtas metaphoras fundendi et trahendi Cicero adhibuerit. *Wenn der Redner ſtürmt, und drängt, und alle Maſchinen und Kräfte ſeiner Kunſt in raſche gewaltſame Bewegung ſezt, ſo iſt die Behandlung des Hiſtorikers weit ruhiger, und ſchonender, ſein Feuer, ſeine Kraft weit milder, ſein Gang leiſer und gemäſigter.* vid. quae diximus, ad voc. *contortus* et quae de illa vi et impetu oratoris apud Cic. l. c. Cap. 17. in fine et initio ſequentis disputantur.

Cum autem ſcriptorem aliquem denſum, preſſum et breuem appellant, eique opponunt *fuſum*, tum vbertatem et copiam notant, conciſae breuitati atque exilitati contrariam, quemadmodum *effundi* contrarium copiae vitium, quod in nimia redundantia cernitur, ſtatuunt. Sic Quintil. 10, 1. 73. poſteaquam Thucydidem denſum et breuem dixiſſet, Herodotum dulcem et candidum et *fuſum* eſſe iudicat. Et Cap. 5. virtutis oratoriae indicium eſſe dicit, *fundere*, h. e. copioſius et latius efferre, *quae natura contracta ſunt.* Simili ſenſu et ratione Antonius apud Cic. de Or. 2, 38. Diogenem dicit attuliſſe genus ſermonis non *liquidum* non *fuſum*, ac *profluens*, ſed exile, aridum, conciſum et minutum, hoc eſt, copia et ſimul quadam perpetuitate elocutionis oratoria deſtitutum. Vnde et *inopes* Cicero Brut. 31. Stoicos vocat, a quibus omnis cura in Dialecticis conſumatur, nec adhibeatur genus illud *vagum* et *fuſum* et *multiplex;* quae eſt copiae oratoriae adumbratio, contraria exilitati et ieiunitati, quam Stoici in diſſerendo et disputando ſequebantur, non tam ornatae et amplae elocutioni oratoris, quam acumini et ſubtili breuitati operam nauantes. Quare et mox Stoicorum *adſtrictior* et *contractior* oratio dicitur. cf. Cap. 13. 25 90. et quae partim in Lex. gr. techn. ad voc. *ῥέειν,* partim ſupra ad voc. *exilis* et *aridus* diximus.

G.
Geminatio.

Geminatio verborum, figura verborum, commemorata Cic. de Or. 3, 54. Graecorum eſt *ἐπαναδίπλωσις.*

σις. Eandem *conduplicationem* vocat Auct. Herenn. 4, 28. de qua alio loco diximus.

Generalis.

In quatuor conſtitutionibus cauſarum, quas Cic. de Inuent. 1, 8. ſq. nominat, conſtitutio *generalis* dicitur, cum, qualis ſit res, quaeritur, quia de *genere* negotii controuerſia eſt; ſeu, cum quaeritur, quantum, cuiusmodi, et omnino *quale* ſit id quod factum eſt, v. c. iuſtum an iniuſtum, vtile an inutile etc. Vnde et Quintilianus *ſtatum qualitatis*, vel ſimpliciter *qualitatem* appellat, magis ad Graecorum rationem accommodate, qui ποιότητα dixere, de qua vberius disputatum eſt in Lex. gr. technol. Primum Cicero l. c. Cap. 9. refutat ſententiam Hermagorae, qui huic generi quatuor partes ſuppoſuerit, deliberatiuum, demonſtratiuum, iuridicialem, et negotialem; quae potius genera cauſarum, non conſtitutionis partes dici debeant. Hoc in ſequentibus vberius contra Hermagoram demonſtrat. Itaque ſuam ſententiam ita definit, vt dicat *generalem* illam *conſtitutionem* duas partes habere, *iuridicialem*, et *negotialem;* quae quam vim habeant, ſuo loco explicatum eſt. cf. Lib. de Inu. 2, 21. vbi partes huius conſtitutionis ex inſtituto conſiderantur. — Ceterum Cicero ſub perſona Antonii Lib. 2. de Orat. 26. ad *generalem* conſtitutionem refert *de ſcripto et ſententia* controuerſiam. (vid. ſupr. voc. *conſtitutio* et in Lex. gr. techn. ad ποιότης) Hoc Quintilianus Lib. 7, 1. 49. ita expreſſit: „generalis quaeſtio eſt, *verbis an voluntate* (ſcil. legislatoris) *ſtandum ſit.*"

Gentilis.

Gentilia verba Rhetoribus dicuntur, quae propria ſunt certarum gentium. vid. Cur. Fortunatian. p. 71. ed. Pith.

Genus.

Genera cauſarum in diſciplina Latinorum rhetorica non vno modo ac ſenſu commemorantur. Nam cum in oratione aliqua, vel laus et vituperatio, vel ſuaſio et disſuaſio, vel accuſatio et defenſio locum habere poſſit, tria *genera* cauſarum oriuntur, *demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale;* quamuis haec etiam *genera dicendi*

cendi appellari ſolent. vid. Cic. de Inu. 1, 5. Auct. Herenn. 1, 2. Partit. Orat. 3. et Cur. Fortunatian. Rhet. p. 38. vbi et *genera ciuilium quaeſtionum* dicit. Quo quidem in loco liceat hoc obiter monere, ſaepe apud Rhetores, omiſſo genere demonſtratiuo, duo cetera genera, iudiciale et deliberatiuum, commemorari ſolere. non alia de cauſa, quam quod in iis orator inprimis verſatur. Sic Auct. Dial. de corr. Eloq. Cap. 31. vbi veteres laudat, quod iis artibus pectus impleuerint, in quibus de bonis et malis, de honeſto et turpi, de iuſto et iniuſto disputatur: „haec enim eſt, inquit, oratori ſubiecta ad dicendum materia. Nam in *iudiciis* fere de aequitate, in *deliberationibus* de honeſtate dicimus.“ Idem Auctor Cap. 35. *ſuaſorias* et *controuerſias*, vt Quintilianus Lib. 2, 10. *ſuaſorias iudicialesque* materias tantum commemorat. cf. Cicer. de Orat. 1, 6.

Deinde, cum, qualis momenti vel pretii aliqua cauſa ſit, quaeritur, cogitari poſſunt quinque *cauſarum genera*, honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum. Haec commemorat Cic. Inu. 1, 15. praecipitque, vt, qui bene exordiri velit, *genus* ſuae *cauſae* diligenter cognoſcat. Nam, quoniam tam diuerſa ſunt genera cauſarum, exordiri quoque diſpari ratione in vnoquoque genere neceſſe eſt. cf. Quintil. 4, 1. 40. et Sulpic. Vict. Inſt. Orat. p. 243. vbi *cauſarum modos* appellat. Auctor Herenn. 1, 3. quatuor tantum ſtatuit, honeſtum, turpe, dubium, humile.

Porro a Cicerone de Or. 2, 25. tria *genera cauſarum* in iudiciis eſſe dicuntur, 1) ex controuerſia facti, h. e. coniecturale; 2) cum quaeritur, qualis res ſit, h. e. generale, ſ. qualitatis; 3) cum quaeritur, quo nomine aliquid appellandum ſit, h. e. definitiuum. cf. Orat. Cap. 34.

Denique Quintilianus Lib. 12, 10. cum docere vellet, vt in pictura et arte ſtatuaria, ita et in oratione variis temporibus varias orationis formas et modos placuiſſe, de *genere orationis* ſe expoſiturum promittit: *über die verſchiedenen Gattungen des Styls, oder der Manieren im Ausdruck.* Graeci ἰδέαν, χαρακτῆρα, πλάσμα dixerunt.

Geſtus.

Geſtus.

Quas vulgo Latini figuras, Graeci σχήματα appellant, vt πάρισα, παρομοιώσεις, ὁμοιοτέλευτα, ὁμοιόπτωτα etc. Cicero in Or. 25. *geſtus* orationis nominat. Simili metaphora Quintilianus, Lib. 9, 1. 21. in elegantiſſimo loco, qui ad figurarum vim et vſum cognoſcendum totus perlegendus eſt, figuras *orationis vultus*, et §. 13. *habitus* quosdam et *geſtus* vocat. Gellius autem N. A. 11, 13. *greſſus et geſtus* orationis ita iungit, vt ſententiam apte numeroſeque verbis ſtructam ſignificet, cui antea curſum et rotunditatem volubilitatemque tribuerat. Gronouius in hoc loco nihil vidit, cum vim illarum metaphorarum non aſſequeretur. Nempe vt geſtus, qui proprie ad membra corporis pertinent, hoc maxime efficiunt, vt ne ſit otioſum corpus oratoris, ſed motu ſuo oculos teneat et delectet, ita figuris, quae veluti vitam et motum et varietatem orationi conciliant, ſcite *geſtus* tribuerunt.

Gradatio.

Gr. κλίμαξ, vel κλιμακωτὸν, ex definitione Auctoris Herenn. 4, 25. eſt figura illa elocutionis, qua non ante ad conſequens verbum deſcenditur, quam ad ſuperius conſcenſum eſt. cf. Cic. Or. 3, 54. vbi Strebaeus in Commentario hoc exemplum attulit: „Africano induſtria virtutem, virtus gloriam, gloria aemulos comparauit.“ Quintilianus 9, 3. 54. „*gradatio*, inquit, quae dicitur κλίμαξ, apertiorem habet artem, et magis affectatam, ideoque eſſe rarior debet. *Aſcenſum* interpretatur Aquila Rom. p. 21. cuius verba in Lex. gr. techn. ad voc. κλίμαξ expreſſimus. Idem ibi nonnullos *ſcalam* et *gradiculos* graecam vocem vertiſſe notat. Exemplo vtitur Ciceronis pro Milone Cap. 23. *neque vero ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui commiſit:* etc. cf. Io. Caſelius ad Demetr. Phaler. de Eloc. §. 270.

Grandis.

Cum Graeci Rhetores, tribus generibus dicendi, ſ. characteribus conſtitutis, vnumquodque variis nominibus inſigniuiſſent, quorum coniunctione abſoluta eius notio perficeretur, hanc ipſam varietatem in iisdem elocutio-

elocutionis generibus ſignificandis Latinos ſecutos eſſe reperimus. Itaque cum Graeci genus illud dicendi, quod in ſplendore, grauitate, ſublimitate, amplitudine, et robore quodam cerneretur, ita notare ſolerent, vt *χαρακτῆρα ἁδρὸν, ὑψηλὸν, μεγαλοπρεπῆ, ἀξιωματικὸν, σεμνὸν, σφοδρὸν, πνευματικὸν, αὐστηρὸν* etc. appellarent, Latinos etiam, vbi elocutionem ſplendidam, grauem, robuſtam. plenam, elatam, vberem, vehementem, ſublimem, magnificam, et *grandem* commemorant, de iſto dicendi genere (*der hohe, groſse, prächtige, erhabene, edle, ſtarke Stil*) cogitaſſe exiſtimabimus. Inprimis autem *grandem* orationem dixiſſe videntur, quae verba haberet pleniora, veluti os implentia, et ex antiquitate aliquid dignitatis et roboris trahentia. Vnde *grandem antiquamque* orationem iunxit Cic. de Or. 3, 38. et in Bruto 7. veteres illos oratores, qui ante Thucydidem, vel cum eo vigebant, Alcibiadem, Critiam, Theramenem, *grandes* verbis fuiſſe iudicat. In claſſico autem loco illo, Orator. Cap. 5. in quo tria genera dicendi explicat, oratores in primo genere, magnifico, ſublimi et amplo, excellentes ita deſignat: *grandiloqui fuerunt cum ampla et ſententiarum grauitate, et maieſtate verborum, vehementes; varii, copioſi, graues, ad permouendos et conuertendos animos inſtructi et parati.* Quare etiam Quintil. Lib. 10, 2. 16. *grandibus, tumidos* oppoſuit. *Grande* autem et *robuſtum* genus dicendi iunxit Lib. 12, 10. 58. cf. Cic. de Opt. gen. dic. Cap. 1. Gellius N. A. 7, 14. — *Grandis* vox, eſt fortis, robuſta Quintil. 11, 3. vbi vocis quantitatem duabus rebus ſpectari docet, vt ſit vel *grandis*, vel *exigua*. Graeci in ea re *τὸ μέγεθος τῆς φωνῆς*, et *ἰσχνοφωνίαν* adhibent. cf. quae ad voc. *grauis* dicta ſunt.

Grauis. Grauitas.

Grauis elocutio, vel *grauitas* orationis, quo in vniuerſum pertineat, et ad quod dicendi genus relata ſit a Latinis Rhetoribus, intelligi ex iis poteſt, quae a nobis ad voc. *grandis* notata ſunt. Addamus igitur ea tantum, ex quibus appareat, grauitatem illam non in verbis ſolum, ſed et in ſententiis, atque vniuerſo orationis colore quodam, qui animi et indolis ſcriptoris veluti index ſit, praecipue dominari. Auctor Herenn. 4, 8. *grauem* elocutionem dicit, quae conſtet ex verbo-

verborum grauium magna et ornata conſtructione; plane vt *αὐστηρὸν χαρακτῆρα* deſcripſit Dionyſ. de Compoſ. 22. Vnde et *auſterum* Latini dixerunt, quicquid in oratione, verbis maxime et compoſitione et numero quodam, ſeueritatem aliquam et dignitatem haberet: qualis eſt *auſtera* periodus apud Quintil. 9, 4. 128. hoc eſt, verbis et numeris grandior, longis potius pedibus ſtabilis et ſeuera, quam breuibus exultans; cui contrariam appellat *fuſam*, laudationibus aptam, h. e. quae fuſiores liberioresque numeros habeat, vt mox dicit. Paſſim alibi in hoc loco illud genus compoſitionis, *ſeverum* et *grande*, hoc, *lene* et *iucundum* nominat. cf. Cic. de Or. 3, 45. vbi tres dicendi characteres expreſſurus, *graues*, *ſubtiles*, *mediumque quoddam tenentes* commemorat: et in Orat. Cap. 16. fin. vbi *duritatem ſeueritatemque* verborum, et orationis *moeſtitiam* ita nominat, vt eas ad illam elocutionis grauitatem retuliſſe exiſtimandus ſit.

Sed non minus certum eſt, *grauem* orationem appellatam Latinis Rhetoribus eſſe, quae magnis, ſplendidis, altisque ſenſibus animos legentium impleret, et ipſam *grauitatem* tributam iis oratoribus vel ſcriptoribus, qui tales ſenſus facile conciperent, atque omnino rebus augendis, exaggerandisque pares eſſent. Sic Cic. Brut. 17. de Catone: „quis *grauior* in laudando, acerbior in vituperando?“ Iam vero in laudando *augemus, amplificamusque* res. Eſt ergo illa grauitas in eo genere dicendi, quod augendis rebus aptum ſit. Neque dubium eſt, quin Cicero de Inuent. 1, 2. cum *grauitate et ſuauitate orationis* omnem eloquentiae ambitum circumſcriberet, illam ad ſententiarum vim et ſplendorem, hanc ad verborum ornamenta retulerit: quomodo et iudicaſſe vidimus de hoc loco Ciceronis Marium Victorinum p. 89. in Rhett. Lat. Pith. cf. de Orat. 1, 13. vbi haec *grauitas*, vt oratoris propria, exili, tenui et exſangui philoſophorum ſermoni opponitur. Talis fuit *grauitas* Africani, cui et lenitatem Laelii et aſperitatem Galbae opponit in Orat. 7. Talis fuit Catuli oratio, quam ibidem Cap. 8. dicit ita *grauem* fuiſſe, vt in ſingulari dignitate omnis tamen adeſſet humanitas et lepos; Tale genus dicendi Caeſarianum, quod mox laudat, ita comparatum, vt *neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetiis*

tiis minueretur. Vnde et apud Quintil. 8, 3. 40. *grauitas* vrbanitati ita opponitur, vt quandam ingenii dignitatem ſeueritatemque notet a riſu captando et iocorum vſu abhorrentem. Eodem etiam iudice Lib. 12, 10. 59. *grauitas* mouendo officium praeſtat, et ſe exſerit in grandi et robuſto genere dicendi, quod et ipſum *graue* et amplum appellatur.

Vbi de vocis humanae indole naturali ſermo eſt Rhetoribus, *grauem* vocem dici conſtat, quae ſonum acuto oppoſitum edat, *die tiefe Stimme, der tiefe Ton*. vid. Cic. Or. 17. et Quintil. 11, 3. 17. Sed Ciceroni de Or. 3, 11. *grauitas* linguae vocata eſt difficultas quaedam loquendi cum aſperitate et ſono agreſti coniuncta (*die derbe, rauhe, ſchwerfällige Sprache*) cui ſuauitas ſonus, vel ſuauis literarum appellatio oppoſita ſit.

H.

Hiare.

Vt Graecis τὸ χαίνειν et τὰ χάσματα, ita et Latinis *hians* oratio dicta eſt, quae crebras vocalium concurſus et colliſiones haberet. Sic Auct. Herenn. 4, 12. A Cicerone in Orat. 45. ipſe adeo ſcriptor, qui iſtam vocum concurſionem ſaepe admittat, *hiare* dicitur; et in Partit. Or. Cap. 6. concurſus verborum *hiantes* et *disiuncti* commemorantur, quae propter illum vocalium concurſum non coeunt. In Orat. autem Cap. 9. ineptos Thucydidis imitatores reprehendens, „*huius nemo*, inquit, *neque verborum*, *neque ſententiarum grauitatem imitatur: ſed cum* mutila *quaedam et* hiantia *locuti ſunt, germanos ſe putant eſſe Thucydidas.*" In quo loco, quae *mutila* dicit, ad ſententiarum conciſam breuitatem, vnde ἀνακολουθία vel φράσις δυσπαρακολούθητος, et obſcurae abditaeque ſententiae paulo antea Thucydidi tributae, oriuntur, *hiantia* vero ad illum vocalium concurſum referenda eſſe puto. Nam et Cap. 44. Thucydidem negat hunc concurſum hiulcum et aſperum vitaſſe.

Hilaris. Hilaritas.

Vt orationi *hilaritatem* veteres dicendi magiſtri tribuerent, ſingulari acumine illo factum eſt, quo ea, quae animi affectioni illi attributa ſunt, obſeruare, et cum

cum ſimili orationis habitu comparare ſtuduerunt. Iam in hilaritate haec tria inſunt, vt 1) ad facete dicendi, iocandique vel leporem, vel petulantiam quandam pronos homines reddat; 2) iucundis maxime ſenſibus inſeruiat; 3) in oratione liberius copioſiusque euagari, quam preſſa moderataque breuitate vti malit. His ita conſtitutis, rectius, certiusque, quas orationis formas Rhetores Latini, iſta *hilaritatis* metaphora vſi. ſignificarint, definire poſſe nobis videbamur. Accidit enim nobis et nunc, quod in quam plurimis locis technologiam rhetoricam habentibus experti ſumus, vt interpretes, etiam ſummos, vel ſilentes, vel errantes repeperiremus. Cicero in Orat. 30. cum ſibi ipſe exprobraſſet iuuenilem illum ardorem, vnde in multis orationibus ſuis, et in Roſciana inprimis nimia redundantia orta eſſet, haec deinde excuſandi ſui cauſa addit: „Nec vero hic vnus erat ardor in nobis, vt hoc modo omnia diceremus. Ipſa enim illa pro Roſcio iuuenilis redundantia, multa habet *attenuata*, quaedam etiam paullo *hilariora;* vt pro Auito, pro Cornelio, compluresque aliae." Ac de *attenuatis* quidem alio loco diximus. Quod autem ad *hilaria* attinet, ſi primum ex omni orationis contextu intellexerimus, hoc egiſſe Ciceronem, vt ſe non continua dicendi contentione et ardore in iſtis orationibus vſum eſſe, ſed ſaepe ad remiſſiores et laetiores ſermonis formas acceſſiſſe contenderet, quibus animos intentos veluti relaxaret et recrearet, ſi deinde orationes pro Roſcio, pro Cornelio euoluamus, et quomodo v. c. de accuſatoribus in ciuitate ferendis, de cauſis parricidii etc. dixerit, cognouerimus, tum plane intelligemus, *hilaria* dici in oratione aliqua, quae ex lepore, venuſtate, vel iocis et acumine dicentis habeant ſuauitatem, relaxantem animos auditorum a contentione illa, quam vis et ardor oratoris, vel cauſae ſeueritas et grauitas attulerat, eamque hilaritatem maxime cerni in digreſſionibus quibusdam, et diuerticulis orationis, in quibus orator ab aculeis illis et neruis forenſibus ad iucundiorem moderati ſermonis formam varietatis et delectationis gratia ſe demittit. Quamobrem infra videbimus, eidem orationis generi, ſimillima metaphora, *laetitiam,* et loca *laetiora* tributa eſſe. vid. vocc. *laetus* et *dulcis:* *Unterhaltende, mit Witz, Laune, oder angenehmer*

 Naiveté

Naiveté vorgetragene Stellen, Bemerkungen, Abſchweifungen, wodurch in das trockene oder finſtere Einerley des eigentlichen Gegenſtandes eine dem Redner und Zuhörer behagende Abwechſelung gebracht wird. Huic generi dicendi, non dubium eſt, quin inſeruiat *impulſio* illa *ad hilaritatem*, et *hilaritas*, quas in figuris elocutionis commemorauit Cic. de Or. 3, 53. et Orat. 40.

Latius etiam patere, et ad ornatius, copioſius, vrbaniusque dicendi conſilium pertinere videtur *hilaritas* ſcribendi illa, quam Plinius Lib. 3. epiſt. 18. commemorat, vbi panegyrici vberius a ſe elaborati rationem reddit. Totus locus ita comparatus eſt metaphorarum ſimilitudine et varietate, vt commentarii inſtar eſſe poſſit: „Mihi quidem confido, inquit, in hoc genere materiae *laetioris* ſtili conſtare rationem, quum ea potius, quae *preſſius* et *adſtrictius*, quam illa, quae *hilarius* et quaſi *exſultantius* ſcripſi, poſſint videri arceſſita et inducta; non ideo tamen ſegnius precor, vt quandoque veniat dies, quo *auſteris* illis *ſeuerisque dulcia* haec *blandaque* vel iuſta poſſeſſione decedant."

Reſtat locus Quintiliani 8. 3. 49. vbi inter alia orationis genera, quae commemorat, *triſti* orationi *hilarem* opponit. Atqui in eo loco non de riſu et ioco, ſed vniuerſe loquitur. Nempe vt res triſtes et horridas facile a iucundis et laetis diſtinguimus, ita et oratio et elocutio vel ex compoſitione et ſtructura verborum, vel ex concinnitate quadam et figurarum ornatu formam aliquam induere poteſt, quae ſimili fere triſtitiae aut hilaritatis ſenſu animos noſtros imbuat, vnde oratio ipſa hilaris et amoena, vel triſtis et ſeuera dici queat. *Die Sprache des finſtern Ernſtes, und die Sprache des Frohſinns, der Fröhlichkeit, in ſo ferne die Verſchiedenheit dieſer Gemüthsſtimmungen ſich durch Wortfügungen, Numerus, und Wendungen des Ausdrucks bemerkbar machen läſst.* Qua quidem in re Latinis Graeci praeiuerunt, dum ἱλαρὸν λόγον et ἱλαρὰ σχήματα appellabant, quae illam veluti exhilarandae orationis vim haberent, qualis eſt χαριεντισμὸς. et inter figuras ἐπαναφορὰ, aliaeque numerum quendam facilem, celerem, et auribus gratum adferentes, de quibus dictum eſt in Lex. gr. technol. ad voc. ἱλαρὸν κάλλος. Vnde et *triſtibus horridisque literis*, hoc eſt, voce et ſono vaſto, agreſti et barbaro pronuntiatis, *hilarior*

oratio,

oratio, ex ſuaui et dulci literarum appellatione orta, opponitur Lib. 12, 10. 17. de quo genere ad voc. *horridus* copioſius diximus.

Hiſtoria.

Huius mentionem iniiciendam hoc loco propterea exiſtimauimus, quod in inſtitutionibus veterum Rhetoricis ad artem oratoris pertinere, et narrationis aliqua pars eſſe cenſetur. A Cicerone de Inuent. 1, 19. dicitur res geſta, ab aetatis noſtrae memoria remota. cf. voc. *Fabula;* vid. Cic. Or. 2, 15. vbi hiſtoriae ſcribendae leges breuiter enumerantur, et Georg. Trapezunt. Lib. 5. p. 82. b. ſqq. qui hunc locum, inprimis genus dicendi hiſtoricum, omnium antiquiorum Rhetorum accuratius et copioſius tractauit.

Honeſtus. Honeſtare.

Ab ipſo Cicerone non *honeſtas* ſolum dicta eſt de quadam magnificentia et ſplendore, qui rebus inſit, vt de Orat. 3, 31. ſed et in Orator. Cap. 15. *veſtibula* cauſae *honeſta*, erunt, ni fallor, verbis et ſententiis ita ornata et illuſtrata, vt orator iis poſſit auditorum animos ad ſe conuertere, et in ſui fauorem occupare. Declaraturus enim Cicero, quomodo in rerum inuentarum collocatione perfectus ille orator, quem adumbrabat, verſetur: „veſtibula, inquit, *honeſta*, aditus ad cauſam faciet illuſtres, et cum hac prima aggreſſione animos occupauerit, infirmabit, excludetque contraria.“ cf. de Inu. 1, 18. qui locus Commentarii inſtar eſſe poteſt. Hunc modum loquendi frequentius etiam ſequentes Rhetores adhibuerunt. Auctori Herenn. 4, 56. *honeſtare* orationem eſt, ornare, exornare, quod fit figuris verborum et elocutionis, quae et ipſae *exornationes* vocantur. Gellius etiam N. A. 10, 26. illa orationis ornamenta, ſeu figuras ornantes, orationis *honeſtamenta* dixit. Vopiſcus autem in Vita Probi Cap. 2. haec habet: „illud tantum conteſtatum volo, me rem ſcripſiſſe, quam, ſi quis voluerit *honeſtius*, eloquio celſiore demonſtret.“ In quo quidem loco cum omnis contextus docet, tum Salmaſius in Commentario planum fecit, *honeſte* ſcribere, eſſe, diſerte, ornate, et eleganter ſcribere, quod καλλιγραφεῖν, vel καλλωπίζειν τὴν λέξιν Graeci dixerunt.

Horridus.

In laude Antonii apud Cic. Orat. 3, 14. qua Craſſum de *horridis rebus nitide dicere poſſe* praedicat, *horridae res* dici videntur, quae vel propter difficultatem intelligendi, vel tenuitatem et ſubtilitatem quandam, vel ſeueritatem ac triſtitiam non valde delectant, aut offendunt etiam eos, qui audiunt vel legunt. Nempe *horrere* Latinis omnino dicuntur, quae cultu, elegantia, et amoenitate carent. — In oratione et elocutione, quae *horrida* ſint, accuratius et certius definiri poteſt. Sic Cicero in Bruto 17. de Catone: „antiquior eſt huius ſermo, et quaedam *horridiora* verba,“ hoc eſt, non ita ex arte ſtructa et compoſita, vt iucundum numerum vel per ſe vel coniuncta cum aliis verbis efficiant. Hunc ſenſum eſſe, ſequentia apud Ciceronem declarant: *id muta, quod tum ille* (Cato) *non potuit, et adde numeros, et aptior ſit oratio: ipſa verba compone, et quaſi coagmenta, iam neminem antepones Catoni.* Cap. 67. *horridae* orationi, opponitur nitens, apta metaphora, hoc eſt, elegans, polita, luminibus et ornatu oratorio diſtincta, et numeroſa. Et de Legg. 1, 2. *vires agreſtes et horridas* iungit, iisque *nitorem* et *palaeſtram* opponit, quae ſemper aliquam ex arte elegantiam adiunctam habent. Vnde Ouidius Triſt. 2, 259. Annales, qui exilem et incomtam rerum geſtarum narrationem habebant, *hirſutos* appellat. Quo in loco etiam commemorandum videtur, quomodo Cicero, cum genus dicendi minus ſuaue, et horridum ſignificare, eique ſuauiorem ſermonem opponere vellet, vſus fuerit, metaphorarum loco, duobus herbarum generibus, *ruta* et *pulegio* Epiſt. ad Diu. 16, 23. „Cras, inquit, expecto Leptam: ad cuius *rutam pulegio* mihi tui *ſermonis* vtendum eſt.“ *Ruta* enim, agreſtis praeſertim, vt Plinius tradit H. N. Lib. 10, 14. *horrida ad effectum eſt, et ad omnia acrior.*“ *Pulegium* autem, quod cum menta et nepita ibid. Cap. 20. componit, ſuauius, et condimentorum inſtar. — Quintilianus 2, 5. 20. ex nimia antiquitatis admiratione, *horridos* et *ieiunos* fieri docet, h. e. imitabuntur illam priſcorum ſcriptorum duritiem, aſperitatem, et rudem ſimplicitatem, quam *triſtem*, et *impexam antiquitatem* Auctor Dial. de corr. Eloq. Cap. 20. et Quintilianus non multo poſt illa *rudis ſeculi ſqualorem* appellat. vid. quae

diximus

dixímus ad voc. *ſqualor*. Libro autem 8, 4. 34. *veterem horrorem*, h. e. ſimplicitatem et ornamentorum paupertatem, nouae *licentiae*, quae ornandi ſcilicet nimio pruritu laborat, opponit. — *Literae* adeo *horridae* et *triſtes* dicuntur, quae voce et ſono agreſti, vaſto, et ſubſurdo, aures delicatiores, vrbaniores, elegantioresque laedente et radente, enuntiantur, *die gröbere, bäuriſche Mundart, im Gegenſatz der feinern, zartern Ausſprache;* quae oratio hinc etiam *hilarior* et *dulcior* dici ſolet. vid. de his omnino Quintil. 12, 10. 27. ſqq.

Iam cum vidimus, antiquitati horrorem tribui, non mirum eſt, *horridum* orationis genus etiam ita commemorari, vt laudis aliqua ſignificatio inſit, quoniam cum antiquitatis imitatione tamen grauitas quaedam et generoſa ſimplicitas coniuncta eſſe ſolet. Sic Seneca Controu. Lib. 2. praef. de Fabiano philoſopho, ad luxuriem quandam et mollem elegantiam orationis prono: „nihil acre, inquit, nihil ſolidum, nihil *horridum:* ſplendida oratio, et magis laſciua, quam laeta: *die herrſchende Manier ſeines Vortrags war glänzend, üppig und geſchmückt, ohne die geringſten Spuren von Kraft, Solidität, und prunkloſer Simplicität, wie ſie einen Philoſophen kleidet.* Simillimum his iudicium eſt Quintiliani 11, 1 34. vbi nonnulla laetiora ex ornatu et affectibus orationis, triſtitiae et barbae philoſophicae (hic enim eſt iſte *horror*, quem Seneca intelligit) conuenire negat. Alio loco idem Seneca Controu. Lib. 3. praef. *horridum* et *valentem* oratorem *culto* opponit.

Humanitas.

In variis ſignificationibus, quas *humanitatis* verbo veteres Latini ſcite et eleganter attribuerunt, ſenſus etiam Rhetoricus facile eminet. Cicero enim de Or. 3, 8. ita *humanitatem* commemorat, vt comitatem et hilaritatem quandam notet, cum lepore, feſtiuitate et ſuaui vrbanitate coniunctam, cui grauitas et dignitas orationis oppoſita ſit. Vtramque tamen (*Ernſt, Würde, Gravität, und heitere, muntere, launige Stimmung, mit feiner, geiſtreicher und etwas gutmüthig ſchlauer Geſchmeidigkeit verbunden*) Cicero in Catulo coniunctam laudat: „*Oratio Catuli ſic grauis, vt in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas et lepos.*" cf.

Or. 1, 7. vbi Craſſus *humanitate* effeciſſe dicitur, vt tolleretur omnis triſtitia ſermonis, ſummaque eſſet in eo iucunditas, et in iocando lepos. Admirati his in locis ſumus Veterum ſapientiam, qui rebus explicatu difficillimis tam apta nomina darent, vt et intelligendi difficultatem tollerent, et cogitandi non modo ſtudium ſuum, ſed etiam ſingulare acumen omnibus probarent. Quam apte et prudenter *humanitatem* dixerunt de ea animi noſtri affectione, quae ipſa humaniſſima eſt, et in qua nos minime omnium ſortis et naturae noſtrae poeniteat! Quam callide huic humanitati oppoſuerunt grauitatem, in qua hoc ſaltem periculi eſt, ne, quo grauiores ſimus, eo longius ab humanitate recedamus! Vere ita veteres ſenſiſſe, alius etiam apud Ciceronem notabilis locus confirmat Libri 2. de Or. 67. Ibi Antonius, „hercule omnia haec, inquit, quae a me de facetiis diſputantur, non maiora forenſium actionum, quam omnium ſermonum condimenta ſunt. Nam quod apud Catonem eſt, qui multa retulit, ex quibus a me exempli cauſa multa ponuntur, per mihi ſcitum videtur, C. Publicium ſolitum dicere, *P. Mummium cuiuis tempori hominem eſſe*. Sic profecto res ſe habet, nullum vt ſit vitae genus, in quo non deceat *leporem humanitatemque* verſari." cf. quae paullo antea de Socrate tradit Cicero, cum iisque coniungatur Brut. Cap. 85. et de Offic. 1, 30. 10. Quid! quod videri poſſit non ſine acumine et feſtiuitate quadam factum eſſe, vt Quintilianus 9, 4. 88. iambum, quem Ariſtoteles λεκτικὸν h. e. vulgari ſermoni conuenientem, et λέξιν τῶν πολλῶν dixerat, *humaniorem* iambum interpretaretur, oppoſitum dactylo, qui ab Ariſtotele ἡρῷος et σεμνὸς vocatur; fere vt *humane* et *poetice* loqui, non ſine poetarum (vtinam non et multorum noſtratium) inuidia, discreuit Petronius Cap. 90.

Humilis.

Humile genus cauſae (τὸ ἄδοξον Gr.) Auctori Herenn. 1, 3. dicitur, *cum contemta res adfertur.* Cicero de Inuent. 1, 15. ita definit: *quod negligitur ab auditore, et non magnopere attendendum videtur.* vid. Quintil. 4, 1. 40. — In oratione ipſa idem *humile* vocat, cum oratio ſe nunquam attollit, nunquam ab aliqua parte eminet. Hanc quidem *humilitatem* Quintil. 8, 4.

8, 4. 32. iis exprobrat, qui omnes in oratione ſententias et lumina fugiant, et reformident, nihil probantes, niſi *planum* et *humile*, et ſine conatu: *trockene, einförmige Schriftſteller, die aus Furcht, bey einem Schwunge zu verunglücken, lieber immer kriechen: die aus Furcht mit geiſtreichen Stellen zu blenden, oder mit kräftigen zu ſchaden, lieber auf Geiſt und Kraft ganz Verzicht thun.* vid. Horat. Art. poet. 28. Seneca tamen Ep. 100. in Fabiani philoſophi oratione *humilia*, quae et *depreſſa* vocat, a *planis* diſtinguit. „Non ſunt, inquit, *humilia* illa, ſed placida, et ad animi tenorem quietum, compoſitumque formata, nec *depreſſa* ſed *plana*. Deeſt illi oratoris vigor, ſtimulique quos quaeris, et ſubiti ictus ſententiarum, ſed totum corpus videris: quanquam ſit incomptum, honeſtum eſt:" *der anſpruchloſe, beſcheidene Ausdruck, im Gegenſatz des niedrigen und kriechenden.* — Iungitur denique *humilis* et *ſupplex* oratio apud Cic. de Inuent. 1, 56. vbi de locis ad miſericordiam commouendam aptis ſermo eſt. cf. de Orat. 1, 53.

I.

Iacere.

Cum nota, et per omnem linguam Latinam peruagata conſuetudo ſit, vt *iacere* dicantur, quae humilitatis, contemtus, neglectus, imbecillitatisque etiam notionem habent. (vid. Clau. Cic. in h. v.) tum inprimis Quintilianus, acutiſſimus ille transferendi artifex, metaphorarumque intelligentiſſimus exiſtimator, ita illa voce vſus eſt, vt diceret aliquam partem orationis *iacere*, quae deſtituta eſſet omnibus ornamentis, nec efficacia, nec venuſtate aliqua commendabilis. Itaque Lib. 4, 2. 118. poſtquam figurarum varietatem in narratione neceſſariam commemoraſſet, hanc ſententiae ſuae cauſam adfert: *caret enim ceteris ornamentis expoſitio, et niſi commendetur hac venuſtate,* iaceat *neceſſe eſt.* Similis fere metaphora eſt, qua Graecis oratio *κατασεπτωκυῖα, ὑπτία, ἀναβεβλημένη, πίπτουσα*, Latinis etiam *abiecta* dici ſolet. Deinde idem Fabius Lib. 9, 2. 4. de figurarum efficacia iudicans: „motus eſt, inquit, in his et actus orationis, quibus detractis *iacet*, et velut agitante corpus ſpiritu caret." Vnde etiam

Gellius N. A. 1, 11. demiſſam *iacentem*que orationem, ferocienti ſaeuientique opponit; et Cap. 8. aurem *iacentem* tribuit homini, qui, quid in vocibus plenum et ſuaue, quid inſuaue et exile ſit, dignoſcere non valeat. Ipſi etiam ſcriptores Quintiliano *iacere* dicuntur, qui omnia ornandae extollendaeque orationis praeſidia repudiantes, nihil niſi planum et humile et moderatum probant. De his igitur Lib. 8, 4. 32. „dum timent, inquit, ne aliquando cadant, ſemper *iacent.* Et Horat. Art. poet. 28. *Serpit humi tutus nimium.*

Iactare.

In hoc verbo cum notio eſſet vehementioris motus expreſſa, qui non in corpore ſolum, ſed et in animo cogitari poteſt, vtroque modo adhibuit de Oratore Cicero, primum ita, vt *iactare ſe* dicatur is, qui aliquo argumento praecipuo confidat, id vrgeat, in eo immoretur; vt in Verr. V, 1. de Hortenſio oratore: „noui locum, inquit, video, vbi *ſe iactaturus* ſit,“ h. e. qua in re vel argumento ſibi maxime placiturus, ſeque eo victorem crediturus. Deinde in actione oratoria ſ. ὑποκρίσει vitioſi ſunt, qui ſe *iactant*, ſiue mala conſuetudine, ſiue vanitate quadam et confidentia, quales ſunt, quicunque *vultuoſi*, *arguti*, *geſtuoſi* etiam dicti ſunt, oppoſiti *ſtatariis*, de quibus aliis in locis dictum a nobis eſt vberius. cf. Cic. Brut. 60. vbi hoc Licinii cuiusdam in Curionem oratorem facete dictum: „nunquam, Octaui, inquit, collegae tuo (Curioni) gratiam referes: qui niſi ſe ſuo more *iactauiſſet*, hodie te iſtic muſcae comediſſent:“ et vid. Cap. 66. vbi vsque ad furorem quendam ſe iactaſſe dicitur eadem de cauſa C. Fimbria.

Ieiunus.

Hoc verbo Rhetores Latini et in rebus et in ipſa oratione deſignanda vti ſolent. *Ieiuna* res, quae oratione tractatur, eſt tenuis, quae nec ſatis in ſe momenti habet, nec nos tenere iucunde poteſt: *eine trockene Materie*, *ein kleinlicher*, *keiner ſonderlichen Aufmerkſamkeit würdiger Stoff.* Ita Cic. Or. 3, 14. „de horridis rebus nitida, de *ieiunis* plena quaedam eſt oratio tua.“ vid. quae ad voc. *plenus* dicta ſunt. Deinde *ieiunae* orationi opponitur *copioſa* apud Quintil. 8, 3. 49.

leerer

leerer ärmlicher Vortrag, im Gegenſatz des gedanken-reichen und vollen. Itaque cum laudem habeant ſcriptores tenues et graciles ex eo genere, quod Graecis τὸ ἰσχνὸν dictum eſt, contrario iſti tenuitati vitio qui laborant, *ieiuni* et *ſqualentes* vocantur Gellio N. A. 7, 14. Sic et Quintil. 3, 1. *ieiunam* et *aridam traditionem* appellat, quae nudis praeceptis continetur, eique opponit nitorem illum orationis, qui etiam delectat iucunditate aliqua, et elegantibus auribus ſatisfacit. Quare haec addit: *vereor, ne hic liber* (ſcil. tertius inſtitutionum oratoriarum, qui mera praecepta habeat) *parum mellis et abſynthii multum habere videatur, ſitque ſalubrior ſtudiis, quam dulcior.*

Illuſio.

Figura ſent. gr. διασυρμὸς, ſ. χλευασμὸς, apud Cic. Or. 3, 53. quam Aquila Rom. p. 15. etiam *eleuationem* et *irriſionem* vocat: Cicero l. c. adiunctam *extenuationi* ſtatuit, eandemque notat, cum in Orat. 39. ita praecipit: *extenuet aliquid et irrideat.* vid. quae copioſius diximus ad voc. *disſimulatio*, et cf. Voſſii Inſt. Rhet. Lib. 4. p. 152.

Illuſtrare.

Cicero de Inuent. 2, 14. vbi, quid philoſophorum, quidue oratorum proprium ſit, explicat, „phyſica iſta, inquit, et mathematica, et quae paulo ante ceterarum artium propria poſuiſti, ſcientiae ſunt eorum, qui illa profitentur; *illuſtrare* autem *oratione*, ſi quis iſtas ipſas artes velit, ad oratoris ei fugiendum eſt facultatem.“ Scilicet iſti phyſici et Mathematici de ſuis rebus etiam loquuntur, ſed ita, vt magis rerum, quam elocutionis curam gerant. Qui autem illuſtrare etiam oratione eas res, hoc eſt, qui cum rerum ſubtilitate etiam orationis elegantiam, copiam, artificioſamque et iucundam earum tractationem coniunctam cupit, is ad oratorem ſe conferat neceſſe eſt. Alio loco Cap. 15. in eadem re, *ornare dicendo*, ſynonymice dicit. vid. de Orat. 3, 38. et quae ad voc. *exornatio*, *lumen*, et *ornare* dicta ſunt. Hinc in Partit. Orat. Cap. 6. „*illuſtris* oratio eſt, inquit, ſi et verba grauitate delecta ponuntur, et translata et ſuperlata, et ad nomen adiuncta, et duplicata, et idem ſignificantia, atque ab ipſa actione atque imi-

tatione rerum non abhorrentia." Nempe his verbis ampliſſima orationis lumina, et σχήματα, quae illuſtrare et illuminare orationem poſſint, deſcribuntur.

Imago.

Auctori Herenn. 4, 49. *imago*, quam Graeci εἰκόνα vocarunt, dicitur *formae cum forma cum quadam ſimilitudine collatio*, quae aut laudis aut vituperationis cauſa ſumatur. vid. Lex. gr. techn. in voc. εἰκών. Ciceroni de Inuent. 1, 30. *imago* eſt *oratio demonſtrans corporum aut naturarum ſimilitudinem.* Sermo ibi eſt de probabili argumentatione, quae fit comparando, cui ſeruit imago. vid. voc. *Comparabile.* Quintilianus Lib. 5, 11. 24. admonet, „rarius eſſe in oratione illud ſimilitudinis genus, quod εἰκόνα Graeci vocant, (quo exprimitur rerum aut perſonarum imago, vt Caſſius: *quis iſtam faciem planipedis ſenis torquens?*) quam id, quo probabilius ſit, quod intendimus: vt, ſi animum dicas excolendum, ſimilitudine vtaris terrae, quae neglecta ſentes et dumos, culta fructus creat." Idem Lib. 4, 2. 123. *imaginem rerum* dicit deſcriptionem tam expreſſam ex rebus ipſis, vt veluti in rem praeſentem audientes perducere videatur; quam ὑποτύπωσιν Graeci appellarunt. vid. voc. *viſiones*, et *ſimilitudo.* Huc quoque pertinet egregium illud Senecae de *imaginibus* his, earumque ſimilibus formis iudicium Epiſt. 59. ita expoſitum: „inuenio (in libello Lucilii) *imagines*, quibus ſi quis nos vti vetat, et poetis illas ſolis iudicat eſſe conceſſas, neminem mihi videtur ex antiquis legiſſe, apud quos nondum captabatur plauſibilis oratio. Illi, qui ſimiliter et demonſtrandae rei cauſa eloquebantur, *parabolis* referti ſunt: quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa, qua poetis, ſed vt imbecillitatis noſtrae adminicula ſint, et vt diſcentem et audientem in rem praeſentem adducant." De *imagine* Bergerus de nat. pulcr. or. p. 293. haec habet: „*imago* eſt ſimilitudo quaedam ſimplex, παραβολή vero compoſita, e duabus quidem partibus, quarum altera propoſitio, altera redditio nominatur. Hic, cum antecedit id, quod ſimilitudinis gratia eſt adſcitum, comparatio, ſed cum ſequitur idem, collatio, adductius ſumenda, vocari ſolet."

In artificioſa autem de memoria iuuanda diſciplina *imagines* Rhetoribus dictae ſunt, ſimulacra quaedam, quorum

quorum adſpectu ipſae res et verba dicenti in mentem reuocantur. Earum imaginum vim et vſum ex inſtituto explicauit Auctor Herenn. 3, 17. Craſſus ap. Cicer. de Or. 1, 39. et 2, 86. Cum his coniungunt *locos*, in quibus res memoriae mandandas ordine collocemus. Hi loci inſtar ſunt cerae, imagines autem illae aut ſimulacra, literarum. Haec omnis diſciplina, cuius inventorem Veteres Simonidem tradiderunt, eo nitebatur, quod animis noſtris illa maxime effingerentur, quae a ſenſu videndi tradita et impreſſa eſſent: vt res caecas et ab aſpectus iudicio remotas, conformatio quaedam et imago et figura ita notet, vt ea quae cogitando complecti non poſſimus, intuendo quaſi teneamus. cf. Quintil. 11, 2. 21. ſq. et Georg. Trapez. Lib. 4. Rhet. p. 57. ſq. ed. Ald. vbi illius omnis doctrinae quendam Commentarium ſcripſit.

Imitatio.

Imitatio eſt, inquit Auctor Herenn. 1, 2. *qua impellimur cum diligenti ratione, vt aliquorum ſimiles in dicendo velimus eſſe.* Ea eſſe videtur, cui contrarium vitium Graeci κακοζηλίαν dixerunt. vid. Quintil. 2, 3. 9. vbi, qui hoc cacozeliae genere peccant, tumidos, corruptos, tinnulos vocat; de quorum ſenſu alibi diximus. cf. Lib. 3, 5. 1. et de recta imitatione, qua ſequamur ea, quae ab aliis bene inuenta ſunt, Lib. 10, 2. init. Alia eſt *morum et vitae imitatio* vel in perſonis, vel ſine illis, quam Cicero Or. 3, 53. in luminibus orationis recenſet, vt magnum quoddam ornamentum, ad animos conciliandos vel maxime, ſaepe autem etiam ad commouendos aptum. Nam innuitur, quam ἠθοποιΐαν et μίμησιν Graeci dixerunt, cum nos ipſi, perſona non inducta, mores alicuius effingimus, vel perſona etiam inducta idem facimus. Eandem in Orat. 39. notat, praecipiens, vt orator *hominum mores ſermonesque deſcribat.* Rutil. Lup. p. 8. χαρακτηρισμὸν, Aquila Rom. p. 15. δικτύπωσιν appellat. Quintilianus quoque Lib. 9, 2. 35. ſpeciem quandam eſſe dicit προσωποποιΐας, latiſſimo ſenſu acceptae, *verſificationis et ſermonum imitationem* illam, quam παρῳδὴν Graeci dixerint. Aquila p. 14. ethopoeiam a proſopopoeia ita diſtinguit, quod in hac perſonas etiam fingamus quae nusquam ſunt: in illa autem certis quibusdam perſonis verba

verba accommodate adfingamus, vel ad improbitatem earum demonſtrandam, vel ad dignitatem. Simili fere modo Iul. Rufinian. p. 37. Ethopoeia, inquit, eſt alienorum affectuum qualiumlibet, dictorumque imitatio non ſine reprehenſione; interpretaturque *figurationem*, ſ. *expreſſionem*. Emporius Rhetor, cuius libellus de Ethopoeïa extat in Pithoean. Rhetorum Collect. p. 278. *allocutionem* expoſuit. Sic et Priſcian. in Praeexercitt. Rhetor. p. 329. ibid. Ad hoc genus videtur pertinere *imitatio* illa, quam Auctor Herenn. 1, 6. commemorat inter varia inſinuationis artificia, quae orator in exordio, vbi defeſſos audiendo auditores ſentiat, adhibere debeat. Itaque Toxita ad h. l. interpretatur orationis, vocis atque oris alterius repraeſentationem verecundam et venuſtam. Talis fere eſt illa Chaereae ad Parmenonem apud Terent. Eunuch. Art. 2. Sc. 3. „Scis te mihi ſaepe pollicitum eſſe: Chaerea, aliquid inueni modo quod ames etc.“ Ad hunc locum Donatus: induxit *μίμησιν*, non contentus dicere, quid pollicitus ſit tantum, ſed quo modo etiam, et quibus verbis. — His commode iungamus locum Quintiliani 11, 3. fin. vbi *actionem* oratoriam, ab *imitatione* comoedis potius apta ſcite diſtinguit: „Aliud oratio ſapit, nec vult nimium eſſe condita. *Actione* enim conſtat, non *imitatione*. Quare non immerito reprehenditur pronuntiatio vultuoſa, et geſticulationibus moleſta. et vocis mutationibus reſultans:“ *Redneriſche Darſtellung, die den Eindruck des Ganzen zur Abſicht hat, im Gegenſatze von der Nachbildung des Schauſpielers, die ins Detail. und auf ſinnliche Täuſchung geht.* Idem in Antonio notauit Cicero Brut. 38. „*Geſtus* erat non *verba exprimens* (haec eſt *imitatio* Quintil.), ſed *cum ſententiis congruens* (haec eſt actio oratoria).

Immanis.

Immanis vox apud Quintil. 11, 3. 32. videtur eſſe, quae magnitudinem et robur naturale et vſitatum excedit, vaſtamque enormitatem habet: *die ungeheuer ſtarke, ſchreyende, und die Ohren unangenehm erſchütternde Stimme.*

Imminere.

Cicero Or. 3, 58. in genere vocis illo, quod vis ſibi ſumat, requirit, vt ſit contentum, vehemens, et *imminens*

imminens quadam incitatione grauitatis, h. e. vt vox pedetentim creſcat, et ſemper augeatur, vsque dum ad ſummam adfectus vehementiam peruenerit: *das affectvolle creſcendo in der Stimme.* Vnde et *geſtum imminentem* tribuit oratori illi, qui acri et vehementi alloquio vtitur aduerſus eum, in quem dicit. Nam hoc fit naturali quodam conatu et impetu, vt. qui irati vel minaces loquuntur, toto corpore prominente, adeoque ipſi imminentes, et veluti incurſuri, id faciant. Luculentus et elegans locus eſt Ciceronis Lib. 2. de Or. 55. de Craſſo: „Pro dii immortales, quae fuit illa, quanta vis? cum coniectis oculis, *geſtu omni imminenti,* ſumma grauitate et celeritate verborum? „Sequuntur ipſa verba quae tum dixit, meris elata interrogationibus, quibus haec vis eſt a natura, vt maxime contentionem animi, et vocis et geſtus adiuuent et ſuſtineant.

Imminutio.

Commemorata inter figuras a Cicerone Or. 3, 54. — Verbum etiam *imminutum* dicitur, contractum vel mutilatum parte aliqua, quo minus *plenum* ſit, vt ſi *noſſe* dicas, pro *nouiſſe.* v. Cic. Orat. 47.

Immutatio.

Figura elocutionis a Cic. Or. 3, 54. nominata, fortaſſe illa, quam μεταβολὴν vocat Caecilius apud Quintil. 9, 3. 38. *rerum coniunctam diuerſitatem,* qualis eſt in loco pro Cluentio in Oppianicum: *illum tabulas publicas violaſſe, Cenſorias corrupiſſe, decuriones vniuerſi iudicarunt: cum illo iam nemo rationem, nemo rem vllam contrahebat* etc. Sed difficile eſt in nonnullis figurarum generibus, quarum Cicero in illo loco veluti ſiluam quandam fecit, accurate definire, quid cogitauerit. De alio genere *immutationis,* qua Graecor. παρονομασίαν deſignat Cicero, vid. quae ad voc. *Annominatio* notauimus. Luculentius Quintil. 1, 5. 41. *immutationem* vocat, qua aliud pro alio ponatur, idque cum per omnes orationis partes, tum maxime in verbo fieri ſolere dicit, quia plurima huic accidant; vnde naſcantur *ſoloeciſmi per genera, tempora, perſonas, modos* etc. —

Deinde

Deinde *immutationes verborum* Cicero Brut. 17. dicit, quos Graeci τρόπϗς vocarint, a quibus diſtinguit ſententiarum et orationis formas, quas σχήματα illi appellabant. Ab iisdem etiam *translationes* μεταφορὰς, ſeparat in Orat. 27. de quibus vid. quae ad voc. *translatio* dicta ſunt. Libro autem 2. de Orat. Cap. 65. *immutationem* ſeu *immutatam orationem* vocat allegoriam, cum tota oratio tropica eſt. cf. Orat. 27. et Quintil. 8, 6. qui *inuerſionem* appellat. Nonnulli vero etiam Graeci vocabuli etymon iuſto accuratius ſecuti *mores* et *modos* interpretati ſunt, vt Aquila Rom. de Fig. p. 141. et Beda de Trop. Script. S. p. 379. Ciceronem autem de Or. 3, 41. *modos* vocaſſe tropos, vt Ruhnkenius notauit ad Aquilae l. c. valde equidem dubito.

Implere.

Huius vocabuli vſus technici apud Quintilianum quamuis pauca et non alte impreſſa, tamen veſtigia reperiuntur; expreſſiora apud Senecam Rhetorem deprehendimus. Neque mihi dubium eſt, eum modum loquendi e conſuetudine Rhetorum graecorum in latinam diſciplinam translatum eſſe. Iam Graecos πληρϗν μεταφορὰν vel λόγον ita dixiſſe, vt ſignificaretur metaphora recte pertractata et abſoluta, vel oratio ita explanata, vt ad intelligendum vel ad efficaciam nihil deeſſet, in Lexico techn. gr. exemplis additis docuimus. Huc referenda exiſtimo Quintiliani Lib. 2, 6. 1. haec verba: „fuit etiam in hoc diuerſum praecipientium propoſitum, quod eorum quidam materias, quas diſcipulis ad diſcendum dabant, non contenti diuiſione dirigere, latius dicendo perſequebantur, nec ſolum *probationibus implebant*, ſed etiam *affectibus*,“ hoc eſt, tam late exſequebantur, vt non ſolum omnia ea adferrent, quae ad probandam rem pertinerent, ſed etiam omnia animi commouendi praeſidia exhaurirent. Hinc, vt obiter hoc dicam, medicina adferri loco ſimillimo poterit, qui mihi videtur leui aliquo vitio laborare. Quintilianus Lib. 4, 2. 109. cum docuiſſet, expoſitioni breuem ſubinde defenſionem et rationem factorum inferendam eſſe, idque praeceptum aliquo exemplo Ciceronis firmaſſet, *ita*, inquit, *quod exponebat, et ratione fecit credibile, et affectus quoque impleuit.* Legendum puto

affecti-

affectibus, vel *affectu*. Paullo poſt etiam haec habet: „Quid? Philodami caſum nonne cum per totam explicationem incendit inuidia, tum in ſupplicio ipſo *lacrimis impleuit*." Neque tamen haec loquendi ratio confundenda eſt cum illa, quam e Senecae locis infra attulimus. Nam intelligitur, quid ſit *locum*, *quaeſtionem*, *controuerſiam implere*, ſi id nude ita ponitur: ſed quid ſit *affectus implere*, difficilius dictu videatur. cf. Lib. 5, 13. 56. Vereor in illo loco vt Geſnerus formam illam dicendi ſatis intellexerit. Nam comparationem cum naue ineſſe docet, quam non ſatis ſit eſſe habilem et bene aedificatam; ſpiritu *vela implente* opus eſſe, vt procedat etc. Immo vero et nunc *impleri* dicta ſunt Quintiliano, quae antea dixerat *adiuuari* viribus oratoris et *adornari* debere. Sed multo luculentior eſt etiam alius locus Libri 6, 1. 12. „Quae conciliant accuſatorem, in praeceptis exordii iam diximus. Quaedam tamen, quae illic *oſtendere* ſatis eſt, in peroratione *implenda* ſunt magis etc." Hic manifeſte *oſtendere* dicitur aliquid is, qui paucis verbis et veluti ὡς ἐν παρόδῳ et obiter id commemorat: cui rei contrarium facit, qui illa *implet*, h. e. latius perſequitur, omnibus orationis praeſidiis et momentis inſtruit, inque iis commoratur. Itaque iam nec dubium, nec obſcurum eſſe poteſt, quo ſenſu paſſim Seneca Rhetor dicat *implere locum*, *quaeſtionem*, *controuerſiam*, vt Controu. Lib. 3. praef. de Albutio: „Raro totam controuerſiam *implebat:* non poſſes dicere diuiſionem eſſe, non poſſes declamationem: tanquam declamationi multum deerat: tanquam diuiſioni multum ſupererat." cf. ſeqq. et Excerpt. Controu. p. 398. Eodem verbo etiam Saleius Baſſus Carm. in Piſon. 83. vim amplificandi, et dilatandi, quae in Piſonis eloquentia eſſet, ſignificauit;

— hinc ſolido fulgore micantia verba
Impleuere locos.

Impreſſiones.

Notationes quasdam et diſtinctiones interuallorum, quae in vocibus et membris orationis obſeruata. rhythmum et modulationem aliquam, hoc eſt, numerum efficiunt, Cicero *impreſſiones* vocat de Orat. 3, 48. „numeroſum eſt, inquit in omnibus ſonis et vocibus, quod habet quasdam impreſſiones, et quod metiri poſſumus *inter-*

interuallis aequalibus: *Haltungen, und Takte in der Rede, deren Uebereinſtimmung, Harmonie und Rhythmus, und Numerus bewirkt;* cf. Cap. 47. vbi iambo et trochaeo *inſignes percuſſiones*, et *minuti pedes* tribuuntur. Eaedem dicuntur *percuſſiones*, tibicinum propriae, qui rhythmum et tempora moderantes, terram pede percutiunt: *Tempohaltung, Taktſchlagen.* cf. Orat. 58. et Clau. Cic. in h. v. Inde Cicero orationem numero prorſus carentem, mox appellat *loquacitatem ſine interuallis perennem* et *profluentem.* Deinde, „numerus, inquit, in continuatione nullus eſt; diſtinctio et aequalium et ſaepe variorum *interuallorum percuſſio*, numerum conficit." His ergo impreſſionibus oppoſita eſt *continuatio* verborum, ſine interuallorum notatione currentium. In Bruto autem Cap. 66. cum Lentulum dixiſſet ſola prope actione valuiſſe, mox, *interuallis*, inquit, *exclamationibus, voce ſuaui et ſonora, admirando irridebat, calebat in agendo, vt ea, quae deerant, non deſiderarentur.* cf. Quintil. 11, 3. 108. vbi latentes quasdam ſermonis *percuſſiones* commemorat, et quaſi pedes aliquos, ad quos plurimorum geſtus cadat: ad quem locum Geſnerus notauit, eas vulgo *ſcanſiones* dici, quae enumeratione pedum potius, quam ſententia perpendenda et quaſi appendenda conſtent.

Improbare.

Haec vox praeter vſum communem, technicum etiam, breuitatis gratia inductum, habuiſſe videtur apud Ciceronem, cui orator in dicendo abſolute *improbare* aliquid dicitur, cum id eſſe improbum, impium, ſceleratumque verbis et argumentis demonſtrat. Luculentus locus eſt de Inuent. 2, 10. „vitam eius, quem arguit, ex ante factis accuſator *improbare* debebit, et oſtendere, ſi quo in pari ante peccato conuictus ſit." Ibidem ipſa talis improbationis ſcelerumque demonſtratio, veluti κατ' ἐξοχήν, *improbatio* appellatur.

Improuiſum.

Figura Ciceroni Orat. 3, 54. commemorata: gr. παρὰ προσδοκίαν, ſ. παράδοξον. Quintil. 9. 2. 23. *inopinatum* dixerat, quam Celſus Rhetor *ſuſtentationem*, de qua ſuo loco expoſuimus.

Impulſio.

Impulſio eſt, inquit Cicero de Inuent. 2, 5. *quae ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, vt amor, iracundia, aegritudo, vinolentia, et omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuiſſe, vt rem perſpicere cum conſilio et cura non potuerit, et id, quod fecit, impetu quodam animi potius, quam cogitatione fecerit.* Tractatur ibi coniecturae illud genus, quod ex *cauſa* capi poteſt, quae vel in *impulſione*, vel *ratiocinatione* cernitur. — *Impulſio ad hilaritatem* a Cicerone Or. 3, 53. in luminibus et figuris ſententiarum nominatur. vid. voc. *hilaris.* Eſt Graecorum *χαριεντισμός.* Eam formam in Orat. 39. ita deſcribit: *ſaepe in hilaritatem riſumque convertat.*

Imputare. vid. *Exprimere.*

Inanis.

In elocutione, et inprimis in apta verborum circumſcriptione, numeroſe cadente, *inane* ita opponitur *pleno*, vt in illo vitium orationis ſignificetur, aures non explentis ſed potius deſtituentis ex numeri aptaeque verborum comprehenſionis penuria. vid. *plenus.* Itaque Cic. in Bruto Cap. 8. „ipſa natura, inquit, circumſcriptione quadam verborum comprehendit concluditque ſententiam: quae cum aptis conſtricta verbis eſt, cadit etiam plerumque numeroſe. Nam et ipſae aures, quid *plenum*, quid *inane* ſit, iudicant, et ſpiritu, quaſi neceſſitate aliqua, verborum comprehenſio terminatur; in quo non modo *defici*, ſed etiam *laborare* turpe eſt.“ Simillimum illi metaphorae eſt, quod *vacuum* in oratione nonnulli dixerunt, quod plus verborum quam ſententiarum haberet. Sic Seneca (in Excerpt. Controu. Lib. 3. p. 397. Bipont.) de Seuero Caſſio: „nec lentas nec *vacuas* explicationes habet, ſed plus ſenſus quam verborum habentes.“ Et Quintil. 9, 3. 74. cum dixiſſet, praeter Gorgiam et Iſocratem, Ciceronem quoque delectatum fuiſſe paribus contrariis, hoc in eiusdem laudem addit: „verum et modum adhibuit non ingratae voluptati, et rem alioqui *leuem*, ſententiarum pondere *impleuit*: *Cicero hielt den Leſer, wenn er von Antitheſen Gebrauch machte, für die leere Spielerey dieſer*

ſer Figur, durch die Gedankenfülle, welche er damit verband, ſchadlos. Nam per ſe frigida et *inanis* affectatio (ita pergit Quintilianus) cum in acres incidit ſenſus, innata videtur eſſe, non arceſſita. — *Inanis* autem *vox*, quam Quintilianus 11, 3. 32. inter ea vocis genera commemorat, quae vitioſam imbecillitatem vel mollitiem habent, videtur eſſe, quae in magno conatu dicentis, et in alta ſpiratione, vim tamen nullam habet, vt corpora inflata et turgida ſpeciem et ambitum ſine neruis et robore habent. Nam *inflatum* et *inane* ab ipſo Quintiliano iungitur, vt ad voc. *inflatus* diximus.

Incidere.

Vocis genus *crebro incidens*, iracundiae maxime aptum, eſt, quod crebris veluti conatibus disruptum effertur, ita vt affectu veluti praecluſas fauces eſſe credas, quibus laxatis eo fortior vox prorumpit. vid. Cic. Or. 3, 58.

Inciſus.

Graecorum κόμματα Latini Rhetores *inciſa* paſſim appellant, noto ſenſu. v. Cicero Orat. 62. et 67. vbi *inciſe* dicti hoc exemplum adſert: *domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas.* vid. voc. *membrum.* Quintiliano 9, 4. 122. *inciſum* eſt, ſenſus non expleto numero concluſus. Fiunt etiam, ex illius ſententia, ſingulis verbis inciſa, vt in his: *diximus, teſtes dare volumus*, inciſum eſt *diximus. Caeſa* appellat eadem Aquila Rom. de Figg. p. 17. Pith. *Caeſim dicere* eſt apud Cic. Or. 67. Et ipſa oratio per inciſa ſeu caeſim facta *conciſio* dicitur in Partit. Or. 6. Similes metaphorae ſunt, quibus Cicero Or. 16. vtitur, vt orationem inciſam et membratim elatam notet: *Diſtincta alios*, inquit, *et interpuncta interualla, morae reſpirationesque delectant.* Nam his *flumen verborum* et *volubilitatem* oppoſuerat, hoc eſt, orationem amplam, continuam et periodicam. De iisdem Lib. 3. de Or. Cap. 51. ita: *veteres, cum circuitum et quaſi orbem verborum conficere non poſſent, terna, aut bina aut nonnulli ſingula etiam verba dicebant.* — At *inciſiones* ambitus in Orat. Cap. 61. ſunt partes periodi.

Incita-

Incitatus.

Elegans metaphorarum delectu locus eſt Ciceronis in Or. Cap. 12. in quo Herodotum cum Thucydide comparans, illius quidem et ingenium et ſcribendi genus ſedatius et cum grauitate tranquillum, huius autem acre, ſpiritus plenum, commotum, et vehemens ita deſcribit: „alter ſine vllis ſalebris quaſi ſedatus amnis fluit: alter *incitatior* fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum.“

Inclinare.

Rhetores Latini verbis his: *inclinare, inflectere, infringere, flectere,* quibus affinis poteſtas eſt, ita ſemper vti ſolent, ſiue de voce humana ſingulatim, ſiue de vniuerſa oratione, et elocutionis forma ſermo ſit, vt vel mollitudinem qualemcunque, vel remiſſionem et humilitatem, grauitati, atrocitati et concitationi contrariam, ſignificent. Nam in concitatione *iram conſurgere* dicunt, vt Quintil. 1, 11. 12. vid. quae ad voc. *flectere* et *inflectere* diximus. Neque dubium eſt, hanc omnem loquendi rationem a Graecorum conſuetudine illa traductam eſſe, qua in diſciplina Muſica τὸ κάμπτειν καμπὴν tribuerunt iis, qui molliorem et effeminatam cantandi modulandique methodum pro ſimplici et grauiori induxiſſent, qualem Phrynin veteres tradunt: de qua re copioſe expoſuerunt Kuſterus et Spanhemius ad Ariſtoph. Nub. 965. 66. Vnde et molles iſti cantores et cithariſtae ᾀσματοκάμπτεις dicti Ariſtophani. Itaque apud Cic. in Bruto 43. *inclinatio vocis* aliis actionis generibus adiungitur, quae artis et affectati ſtudii plurimum, minus autem grauitatis haberent, qualis erat iactatio corporis, inambulatio, ſupploſio pedis etc. Et in Orat. 8. *inclinata vlulansque* vox Aſiaticis oratoribus, coniunctim et affini ſenſu tribuitur. Cum autem idem Cicero Cap. 18. oratori praecipit, vt *inclinata voce,* quam ab inflexa diſtinguit, grauis videatur, vel in vocis ſignificatione vſurpanda ſibi non ſatis conſtat, vel, quod malim, *grauem* nunc ſibi ita animo informauit, vt cogitaret eum, qui tranquillam quandam ſeveritatem, at omni affectu et vehementia liberam, voce etiam ſedata, et quodammodo molli exprimeret: *die ruhige harmloſe Sprache des ernſten mit Würde und Geſetztheit ſprechenden Redners.* Quintilianus etiam

Lib. 11, 3. 167. *inclinationes vocis* appellat, quibus oratio ad canticum vsque deſcendat; vnde eandem noua metaphora *reſupinam* vocat. Nam a reſupinis ſummae remiſſionis, mollitiei et inclinationis notio ducitur. Porro Auctori Herenn. 3, 14. *inclinatus* ſonus eſt mollis, depreſſus, quo vti in conqueſtione et mollioribus affectibus, moeſti et ſolliciti, ſolemus. Ibidem *depreſſam vocem* ſimili ſenſu iungit. Ei ſignificationi quoque feminis plangor, capitis ictus, moeſtus et conturbatus vultus reſpondet, quem Cap. 15. in conqueſtione poſtulat.

Incluſio.

Hoc verbo Iulius Rufinian. p. 31. ſcite interpretatur Graecorum ἐπαναδίπλωσιν, qua idem verbum in eadem ſententia primum eſt et extremum. Nam vnum idemque verbum ſententiam interiectam vere *includit.*

Inconſtans.

Genus argumentationis *inconſtans*, ideoque vitioſum ap. Ciceronem de Inuent. 1, 50. eſt, *quod ab eodem de eadem re diuerſe dicitur;* vt, ſi quis. cum dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene viuendum indigere, neget poſtea ſine bona valetudine poſſe bene viuere: *eine inconſequente Behauptung.*

Incrementum.

Ita Quintiliano 8, 4. 3. potentiſſimum amplificationis genus dicitur, quo efficiatur, vt magna videantur, etiam quae inferiora ſunt. Id fit vel vno vel pluribus gradibus; in quibus ſummus eſt, cum aliquid tantum efficimus, vt non poſſit augeri. Semper enim hoc genus amplificationis ad ſuperiora tendit.

Indignatio.

Pars eſt concluſionis, ſ. ἐπιλόγȣ, *per quam conficitur, vt in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offenſio concitetur.* Cic. de Inu. 1, 53. et qui inde hauſit, Georg. Trapez. Lib. 3. Rhet. p. 42. b. Cicero ibi quindecim locos commemorat, ex quibus haec indignatio tractari poſſit. Auctor Herenn. eandem *amplificationem* appellat. vid. hoc voc. et Lex. gr. techn. in δείνωσις et καταρέχειν. Nam et Cicero l. c. *amplifi-*

amplificationes et *indignationes* ſynonymice iungit. Iulius Rufin. p. 26. ἀγανάκτησιν interpretatur *indignationem*, quae maxime pronuntiatione declaretur.

Inductio.

Cicero de Inuent. 1, 31. vbi omnem argumentationem aut per *inductionem* aut per *ratiocinationem* fieri docet, *inductionem* definit, *orationem quae rebus non dubiis captat aſſenſionem eius, quicum inſtituta eſt: quibus aſſenſionibus facit, vt illi dubia quaedam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur.* Eſt ea Socratica methodus probandi et perſuadendi, Graecorum ἐπαγωγὴ, cuius exemplum ipſe Cicero ex Aeſchine Socratico adfert. Lectu inprimis digna ſunt praecepta, quibus Cicero docet, quomodo recte inſtitui illa inductio debeat. Quintilianus Lib. 5, 11. hunc Ciceronis locum ita iudicat: „Cicero omnem argumentationem diuidit in duas partes, *inductionem* et *ratiocinationem*, vt plerique Graecorum in παράδειγμα et ἐπιχείρημα, dixeruntque παράδειγμα, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. Nam illa, qua plurimum Socrates eſt vſus, hanc habuit viam: cum plana interrogaſſet, quae fateri aduerſario neceſſe eſſet, nouiſſime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui ſimile conceſſiſſet: id eſt *inductio.* Hoc in oratione fieri non poteſt; ſed quod illic interrogatur, hic fere ſumitur: etenim ſibi ipſe reſpondet orator." cf. Georg. Trapez. Lib. 3. Rhetor. p. 29. b. vbi notat hoc genere dicendi Platonem plurimum vſum eſſe.

Perſonarum ficta inductio, quam Cicero Or. 3, 53. inter figuras et lumina orationis adfert, eſt, quam Graeci προσωποποιΐαν dixerunt, de qua vid. Lex. gr. techn. in voc. ἠθοποιΐα. — *Inductio erroris* ibidem a Cicerone commemorata, interpretante quidem I. A. Erneſtio ad h. l. hanc vim habet, vt demonſtremus erraſſe homines in re, quae nihil dubitationis, aut ſuſpicionis habebat. Sed videtur eſſe, quam ἀποπλάνησιν Graeci appellarunt, Iulius vero Rufinianus p. 26. *iudicis a re contraria nobis auocationem eſſe* dicit. Tamen Strebaeus etiam ad locum Ciceronis laudatum hoc formae illius exemplum adfert: „Quis putet hominem tam nobilem, tam ſeuerum, tam honeſtum, ſtuprum intuliſſe?

liſſe? quis credat? quis omnium ſuſpicetur? At id eſſe factum, apertiſſime demonſtrabo."

Inflatus.

Hoc verbo cum duae maxime notiones ſignificarentur, primum animae, quae inflat, deinde tumoris, qui exinde conſequitur, apte ſunt eo vſi Rhetores, vt ſimiles quasdam orationis affectiones declararent. Cicero igitur Lib. 3. de Or. 11. *verba inflata* dixit, in quorum pronuntiatione, ob nimiam contentionem, nimius ſpiritus conſumitur, ita vt anhelent immoderatius, qui ea eloquuntur, vnde et *anhelata* dicta ſunt, quae vitium nimiae ſpiritus et animae intentionis grauitatisque haberent: *nolo*, inquit, *verba exiliter animata exire, nolo inflata et quaſi anhelata grauius: ſchwer heraufgekeichte Wörter.* vid. quae notauit ad h. l. Wezelius in Commentar. Encyclop. et quae nos ad vocc. *attenuatus* et *ſufflatus* diximus. — Iam cum veteres obſeruaſſent, in inflando, anhelando, et anima altius ducenda, vim quandam et contentionem vehementiamque declarari, hinc non ſolum factum eſt, vt vim et contentionem oratoriam, *ſpiritu*, *πνεύματι*, notarent, ſed et adſpirationem illam, quam litera h vocibus adiecta vel inſerta efficiebat, eo valere crederent, vt ſonus earum viridior quaſi et vegetior eſſet. Notabilis ea de re locus eſt apud Gellium N. A. 2, 3. „H literam inſerebant veteres noſtri plerisque vocibus verborum *firmandis roborandisque, vt ſonus earum eſſet viridior vegetiorque*, atque id videntur feciſſe ſtudio et exemplo linguae Atticae. Sic *lachrymas*, *ſepulchrum*, ſic *ahenum*, *vehemens*, *inchoare*, *helluari*, *honera*, et *honuſtum* dixerunt. In his enim verbis omnibus literae ſeu ſpiritus iſtius nulla ratio viſa eſt, niſi vt firmitas et vigor vocis, quaſi quibusdam neruis additis, intenderetur." Eam autem rem elegantibus auribus olim etiam inimicam fuiſſe, e Catullo intelligi licet, qui inſulſam Arrii pronuntiationem Epigr. 84. his verſibus illuſit:

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, et hinſidias Arrius inſidias
Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat hinſidias.

Ad alteram notionem, quam inflandi actus adfert, pertinet illud, quod Aſiani oratores ob nimiam redundantiam

tiam et tumorem orationis dicti ſunt Rhetoribus *inflati* et *inanes*, contrarii Atticis, quorum oratio preſſa et integra et ſana paſſim appellari ſolet. vid. Quintil. 12, 10. 15. vbi Attici limati et emuncti nihil *inane* aut *redundans* tuliſſe dicuntur. Vnde et *inflatum* genus vocis apud Cic. Or. 3, 57. dicitur, quod inflatis buccis ſonat, et graui ſpiritus intentione, *attenuato* contrarium, quod in gracilitate ineſt.

Inflectere.

Siue quod *inflectendo* fieri ſolet, vt quae erecta ſint atque in altum elata, deprimantur et humiliora fiant, ſiue quod in iis rebus, quas inflexas videmus, plus languoris et mollitudinis, minusque roboris, quam in iis quae recta conſpicimus, cogitare ſolemus, ſiue denique, quod omnis formarum varietas quodam inflectendi actu efficitur: haec talia certe cogitaſſe videntur veteres, cum vel ipſam orationem, vel vocem humanam *inflexam* dixerunt. Cicero in Bruto 9. de Phalereo: „hic primus, inquit, *inflexit* orationem, et eam *mollem teneram*que reddidit, et ſuauis videri maluit, quam grauis:“ quo nomine mox eidem *concinnitatem* et *delectationem* tribuit. Phalereus hoc maxime agebat, vt orationem, quam ſimplex et incomta antiquitas fecerat *rectam*, figurarum pluribus quaſi *flexibus* diſtingueret, quibus ſuauis aliqua varietas illi conciliaretur. Locum ipſum Ciceronis in Lex. techn. gr. ad voc. *καταχλᾶσθαι* explicauimus. vid. *Figura. Flectere. Flexus. Inclinare.* — Seneca Controu. Lib. 1. praef. 1, 68 Bip. de Latrone Porcio: „Non placebat illi *orationem inflectere*, nec vnquam recta via diſcedere, niſi cum hoc aut neceſſitas coegiſſet, aut magna ſuaſiſſet vtilitas: ſummam eſſe dementiam, *detorquere* orationem, cui *rectam* eſſe liceret.“ Ex omni huius loci contextu manifeſtum eſt, nunc *inflectere* vel *detorquere* orationem eſſe eius, qui non recta oratione vtatur, ſed figurate, oblique, disſimulateque dicat, quem *λόγον ἐσχηματισμένον* Graeci vocarunt. Nam idem ille Porcius, *ſchemata negabat decoris cauſa inuenta, ſed ſubſidii, vt quod aures offenſurum eſſet, ſi palam diceretur, id oblique et furtim ſurreperet:* de quo genere orationis ad voc. *Figura* plura diximus. —

Maxime autem illa metaphorae vis eminet in locis illis Rhetorum, vbi de variis vocis humanae generibus ſermo eſt. Hinc *inflexa vox*, auctore Cic. Or. 17. propter mollitudinem quandam et remiſſionem, imbecillitatemque, miſerationi mouendae ſeruit. Quo ſenſu Lucianus in Pſeudol. de Sophiſta quodam, qui in Olympiis de Pythagora orationem habuiſſet: ὁ μὲν τὴν φωνὴν ἐκτρέψας εἰς μέλος, ὡς ᾤετο, θρῆνόν τινα ἐπηύλει τῷ Πυθαγόρᾳ. Eidemque vocis inflexioni, quae moderationi et remiſſioni ſeruit, Auſonius in Grat. Act. opponit *tenorem* vocis, qui vibrantem et contentam vocem efficit. Itaque vbi Gratiani facundiam praedicat, *Qui tenor vocis,* inquit, *cum incitata pronuntias? quae inflexio, cum remiſſa? quae temperatio, cum vtraque diſpenſas?* Quintilianus autem Lib. 11, 3. 13. vbi bonam firmamque vocem commendat, hanc cauſam adfert: „bona enim firmaque, vt volumus, vti licet: mala vel imbecilla inhibet multa, vt *inſurgere, exclamare;* et aliqua cogit, vt *ſubmittere, deflectere,* et raſas fauces ac latus fatigatum deformi cantico recreare.“ Cum denique Cicero l. c. tres vocis ſonos praecipuos ſtatuit, vnde omnis in cantibus varietas profecta ſit, *inflexum* (pro quo Quintilianus etiam Lib. 11, 3. 17. *flexam* vocem commemorat) *acutum, grauem,* non ſatis liqueat, quo ſenſu *inflexum* ſonum dixerit, niſi ſignificare voluerit eum, quem nos medium ſeu temperatum vocamus, qui ab acumine illo et hac grauitate pariter abhorreat, adeoque *inflectetur*, hoc eſt, *commutetur* ex alterutro genere. Nam vtrumque verbum ſaepe ſynonymice iungitur, vt de Or. 3, 42. vbi ſynecdoches haec vis eſſe dicitur, vt *inflexo commutatoque* verbo res eadem enuntietur ornatius.

Infringere.

Actum *infringendi* duae res naturaliter conſequi ſolent. Nam aut magnitudo et ambitus eius rei, quam infregimus, aut vis et robur minuitur, vnde et ex infractione tali mollitudinis, et imbecillitatis notionem quandam concipimus. Ex his naturae fontibus ita Rhetores hauſerunt, vt in oratione *infracta* eademque *amputata* dicerent, quae periodico ambitu, numero et rotunditate deſtituta, membris minutis, conciſis, et non apte cohaerentibus enuntiarentur. Sic Cic. Or. 51.

„Nimis

„Nimis inſidiarum, inquit, ad capiendas aures adhiberi videtur, ſi etiam in dicendo numeri ab oratore quaeruntur. Hoc freti iſti, et ipſi *infracta* et *amputata* loquuntur, et eos vituperant, qui *apta* et *finita* pronuntiant.“ Cum autem illa minorem etiam vim habere ſoleant, quam quae apto numero concluſa et finita ſunt, idcirco *delumbare* ſententias alio loco Cap. 6. dicitur, qui minutis numeris et oratione inciſa vtatur. cf. quae ad voc. *Modificatus* notauimus. — Sed *infringi*, vt, ſimilibus metaphoris, *inclinari*, *inflecti*, dicuntur etiam, qui ea vocis pronuntiationisque ſubmiſſione, et lenitate vtuntur, quae miſerationi mouendae maxime apta eſt. Vnde ſenſus patet obſeruationis Quintilianeae Lib. 9, 4. 138. „In epilogis plerumque *deiecti* et *infracti* ſumus.“ vid. voc. *frangere.*

Ingredi. vid. *Ducere.*

Iniunctum.

Gr. ἀντιζευγμένον Aquila Rom. p. 23. ita a *disiuncto* ſeu διεζευγμένῳ diſtinguit, vt in illo copia verborum iactetur, in hoc breuitas, vel, vt in illo ſingulis membris ſingula diuerſa reddamus, in hoc autem plura in vno coniungamus; id quod alii etiam *adiunctum*, Gr. συνεζευγμένον appellarunt, vt docuimus ad voc. *disiunctio.*

Inotioſus.

Quintiliano 11, 3. fin. ſi quidem vocis lectio recte ſe habet, *inotioſa actio* dicitur, quae veluti nunquam in otio eſt, nunquam quieſcit, ſed ſemper et vbique omnibus vocis, vultus, motusque argutiis ſe prodit in oratore. Itaque ad eam pronuntiatio vultuoſa, et geſticulationibus moleſta, et vocis mutationibus reſultans refertur. vid. Lex. gr. techn. in ἄσχολος et quae ad vocc. *Statarius* et *Iactare* notata ſunt.

Inquinatus. vid. *Emendatus.*

Inſinuatio.

Species eſt exordii, quae ἔφοδος graece dicitur, et a *principio*, ſ. προοιμίῳ differt. Locos et tempora, quibus adhiberi *inſinuatio* ab oratore debeat, exponit Auctor. Herenn. 1, 6. *Tria ſunt tempora*, inquit, *qui-*

bus principio vti non poſſumus (ſed *inſinuatione* tantum et ἐφόδῳ) 1) *aut cum turpem cauſam habemus*, h. e. *cum ipſa res animum auditoris a nobis alienat*, 2) *cum animus auditoris perſuaſus videtur ab iis*, *qui ante contra dixerunt*, *aut* 3) *cum defeſſus eſt eos audiendo*, *qui ante dixerunt*. Principium et inſinuationem idem Rhetor ita diſtinguit: „*principium* huiusmodi eſſe debet, vt ſtatim apertis rationibus aut beneuolum aut attentum aut docilem faciamus auditorem: at *inſinuatio* eiusmodi debet eſſe, vt occulte per disſimulationem eadem illa omnia conficiamus, vt ad eandem commoditatem in dicendi opere peruenire poſſimus.“ Cicero de Invent. 1, 15. *inſinuatio*, inquit, eſt oratio quadam disſimulatione et circuitione obſcure ſubiens auditoris animum. cf. de Or. 1, 20. vbi *blandiri et ſuppliciter inſinuare* iis, a quibus ſit petendum, ita commemorat, vt exordii vtrumque proprium ſignificet. Quintilianus autem Lib. 4. 1. 42. illius exordii in *principium* et *inſinuationis* diuiſionis cauſam ita declarat, vt ſit in principiis quidem recta beneuolentiae et attentionis poſtulatio; quae quia eſſe in turpi cauſae genere non poſſit, *inſinuatio* ſurrepat animis, maxime vbi frons cauſae non admodum honeſta eſt, vel quia res ſit improba, vel quia hominibus parum probetur, aut ſi facie quoque ipſa premitur, vel inuidia conſiſtentis ex diuerſo patroni, aut patris, vel miſerabilis, ſenis, caeci, infantis. Vnde apud Iul. Fortunatian. p. 60. Pith. inſinuatio dicitur *ſubdolum principium*, quo occultius irrepamus in iudicis animum. Huius generis eſt, quod Hermogenes Inuent. Lib. I. προοίμιον ἐκ τῶν ὑπολήψεων appellat. vid. Lex. gr. techn. in ὑπόληψις. In horum exordiorum initiis fere vſurpantur particulae, *etſi*, *quanquam*. Huc et pertinent τὰ ἐκ πλαγίου προοίμια, vt Scholiaſtes Demoſth. ad 2. Olynth. vocat, in quibus vtimur excuſatione, vt Cic. pro Roſcio, vel a petitione ordimur, vt idem poſt reditum.

Inſiſtere.

Craſſus apud Ciceronem de Or. 3, 49. vbi docet orationis concinnitatem non eſſe rhythmicorum aut muſicorum norma dirigendam, hoc concinnitatis illius praeceptum enuntiat: „efficiendum eſt illud modo vobis, ne fluat oratio, ne vagetur, *ne inſiſtat interius*, ne

ne excurrat longius.“ Cuius metaphorae ſenſus vt plane intelligatur, cum hoc loco duos alios, qui Commentarii inſtar eſte poſſint, coniungamus. In Orator. Cap. 51. reprehendens oratores quosdam, qui numeros in dicendo ab oratore quaerendos propterea negauerint, quod nimis inſidiarum ad capiendas aures adhiberi viderentur, „hoc freti iſti, inquit, et ipſi *infracta* et *amputata* loquuntur, et eos vituperant, qui apta et finita pronuntiant: Si inanibus verbis, leuibusque ſententiis, iure: ſin probae res, lecta verba; quid eſt cur *claudere* aut *inſiſtere orationem* malint, quam cum ſententia pariter excurrere?“ Et Cap. 66. cum iuſtam periodi menſuram, quatuor membris abſolutam, ſtatuiſſet, praecepiſſetque, ne breuior ſit, quam ſatis eſt, neque longior, ita deinde pergit: „quanquam vtrumque nonnunquam vel potius ſaepe accidit, vt aut *citius inſiſtendum ſit*, aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aures videatur, neue longitudo obtudiſſe.“ Iam ex his locis intelligitur, *inſiſtere orationem*, omnino breuitatis eſſe, eamque duobus modis fieri, aut cum membratim et ſine abſoluta comprehenſione dicimus, aut cum periodi membra ſubinde breuiora faciamus, ne ſcilicet longitudo aures obtundat. Quare mox Cicero haec notat: „ſin membratim volumus dicere, *inſiſtimus*;“ cui formae orationis opponit *curſum*, qui continuationis et ambitus proprius eſt. Quam metaphoram ſecutus Quintilianus Lib. 9, 62. *clauſulam*, orationis *ſedem* appellat, quoniam qui ſedet, quieſcit, et curſum finiuit. Ceterum ipſa metaphora, qua Cicero *interius inſiſtere orationem* dixit, ducta eſt a curſu Circenſi, in quo is, qui propius ad ſpinam dorſi currebat vel equos agebat, adeoque breuiſſimum ſpatium emetiebatur, *interior*, *interius currere*, *intus flectere equos* dicebatur, ceteris, qui exterius currebant, laxiorem gyrum facientibus. cf. Seruius et Cerda ad Virgil. Aen. 5, 170. et Ouid. Faſt. 6, 585. vbi ſignificaturus, ſe breuius dicturum eſſe, quae copioſius exponi poſſint, ita hanc ſententiam effert:

Tertia cauſa mihi ſpatio maiore canenda eſt:
Nos tamen adductos intus agemus equos.

Sed Quintilianus Lib. 8, 4. 27. aliam quoque notionem, quam *inſiſtendi* actus adferre poteſt, ad certam orationis formam ſcite traduxit. Nam vt *inſiſtere* non ſolum

ſolum eos dicimus, qui curſum repente finiunt, et inhibent, ſed etiam id, quod ita incluſum eſt, vt cum omnibus partibus cohaereat et iungatur, Quintilianus *inſiſtere* inuicem in oratione dicit, quae nexa et iuncta inter ſe ſunt: quemadmodum fruſta aut membra, quorum alia rotunda alia vndique circumciſa ſunt, *inſiſtere* inuicem nequeunt, h. e. non poſſunt committi, coniungi. Sermo enim eſt Rhetori de ſententiis nimis frequenter orationi inſertis, quae conciſam, ſolutam et disſipatam orationem efficiant, quoniam ſolae per ſe ſubſiſtant, neque cum ceteris orationis partibus recte coeant apteque cohaereant: *häufige Sentenzen zerſtückeln den Vortrag, weil ſie gleichſam iſolirt für ſich da ſtehn, ohne in die übrigen Gedankenreihen gehörig einzugreifen.*

Inſtrumentum.

Cicero Lib. 2. de Or. 90. *inſtrumentum* oratoris vocat partes eas muneris oratorii, quae in rebus inueniendis, tractandisque maxime cernuntur, qualis eſt inuentio, diſpoſitio, argumentatio: *der materielle Theil des redneriſchen Vortrags.* Ab eo diſtinguitur ornatus, qui ad elocutionem proprie pertinet. cf. Lib. 3, 24. vbi *inſtrumentum forenſe*, litigioſum, acre, tractum e vulgi opinionibus, exiguum et mendicum eſſe ſtatuit, ab eoque ſeparat duas partes illuſtrandae orationis, ac totius eloquentiae cumulandae, quarum altera ornate, altera apte dici poſtulet. — Quintilianus autem Lib. 12, 5. *inſtrumenta oratoris* appellat ſcientiarum varia genera, quarum rudis nequeat eſſe perfectus orator; quales ſunt philoſophia naturalis, moralis, Logica et Dialectica, Iuris ſcientia, exemplorum copia, praetereaque etiam animi praeſtantia, fiducia, conſcientia, et illa naturalia, vox, latus, decor. cf Cap. 11, 24. vbi, cum de iisdem artium literarumque generibus expoſuiſſet, ita quaerit: *quod inſtrumentum dicendi M. Tullio defuit? Hülfsmittel, und nothwendige Hülfswiſſenſchaften zum Studium der Beredtſamkeit.* vid. Auct. Dial. de corr. Eloq. Cap. 31.

Inſtruere.

Metaphora ab acie inſtruenda ducta, pro apte disponere et collocare adhibuit Cicero in Brut. 59. de Curio-

Curione: „tardus in cogitando, in *inſtruendo* disſipatus fuit.“ Hinc *inſtructus ornatus*que orationis ita componuntur, in Or. 3, 6. vt ille ad res ſententiasque, hic ad verborum artificioſam oratoriamque tractationem pertineat: id quod, ſimili metaphora, Graeci Rhetores κατασκευάζειν, et κατασκευὴν dixerunt. vid. Lex. gr. techn. in his vocc. Sic et *parum inſtructa* Gellius N. A. Praefat. p. 12. dicit, quae nullo ordine diſpoſita ſunt.

Inſurgere.

Oratio, vbi verborum ſententiarumue eo ordine ſtructa eſt, vt infirmiora praemittantur, fortiora ſemper inſequantur, et ſic vsque ad finem creſcere vires videantur, ſignificanti metaphora, *inſurgere* dicitur. Sin ſecus eſt, et inuerſa ratio, tum *decreſcit* oratio, quod maxime cauendum eſſe praecipit Quintil. Lib. 9, 4. 23. 44. Omnino enim *inſurgere* Latinis dicuntur, quae intentionem, vimque creſcentem deſiderant, vel habent. Itaque et iambi Quintiliano 9, 4. 136. *inſurgunt* omnibus partibus, quoniam a breuibus in longas ſyllabas *nituntur* et *creſcunt:* die längere Haltung, der ſchärfere Druck auf die lange Sylbe, *verſtärkt* den Ton, *ſteigert*, *vergrößert* ihn. Hanc metaphoram haud dubie amplexi ſunt, qui formam illam dicendi, quae inſurgentem illo modo orationem facit, κλίμακα, *gradationem*, et *aſcenſum* appellarunt; quamuis non ſemper vis inſurgens et vehementior in hac forma quaeri ſolet.

Intellectio.

Fig. eloc. cum res tota parua de parte cognoſcitur, aut de toto pars, apud Auctor. Herenn. 4, 33. Eſt graeca συνεκδοχή. Sic certe Quintilianus 9, 3. 58. „Quae per detractionem fiunt figurae, inquit, breuitatis nouitatisque maxime gratia petuntur, quarum vna eſt *ſynecdoche*, cum ſubtractum verbum aliquod ſatis ex ceteris intelligitur, vt: *ſtupere gaudio Graecus*, ſc. coepit.“ Hanc tamen ἔλλειψιν vocat Aquila Rom. — Voſſius in Inſt. Rhet. Lib. 4. p. 136. συνεκδοχὴν illam κατὰ λέξιν ab Auctore Herenn. transferri *comprehenſionem* dicit. Sed id in illis libris nusquam reperi.

Inten-

Intentio.

Graecorum Rhet. κατάφασις, ſ. προβολὴ· accuſatio eſt, qua crimen intendit orator, quam ſequitur *depulſio*, ἀπόφασις, ſ. ἀντιπροβολὴ, rei defenſionem continens. Vtraque iudicialium orationum propria eſt. vid. Quintil. 3, 9. et quae ad voc. *Intentus* notauimus. cf. Aurel. Auguſt. Princ. Rhet. p. 294. Pith. et Georg. Trapez. Lib. 1. Rhet. p. 9. Ald. Iulius etiam Rufinian. p. 33. quam Figuram Graeci ἀντίστασιν dixerunt, interpretatur latine *intentionem*, quae hanc vim habeat, vt *idem verbum in contrario ſenſu repetatur*, vt in his: *vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.*

Intentus.

Orationem vehementem, acrem, cum affectu elatam, ad animos fortiter mouendos, flectendosque comparatam, *intentam* Cicero appellat de Orat. 2, 53. „haec pars orationis, quae ſuſcipitur ab oratore ad commutandos animos, et omni ratione flectendos, *intenta* et *vehemens* eſſe debet:“ fere vt in Orat. 17. *contentam* vocem oratori atrociter dicturo commendat. vid. *Contentio.* Non alia metaphora vſi Graeci ἐπίτασιν, et ἄνεσιν in eadem re dixerunt, vt in Lex. gr. techn. in ἐπίτασις demonſtrauimus. Hinc et *intendere crimen*, quod vulgo pro *accuſare* vel *criminari* dici ſolebat, Celſus Rhetor pro *exaggerare* accipiebat, vt ait Quintil. 9, 2. 104. Addit etiam, δείνωσιν illa dicendi formula ſignificari.

Interfatio.

Quintiliano dicitur ea forma dicendi, qua orator ab vna parte narrationis ad alteram progreditur. Hoc enim exemplum ponit: *Audiſtis quae ante acta ſunt, accipite nunc, quae inſequuntur*, Lib. 4, 2. 40. Itaque non eſt illa, quam μετάβασιν Graeci dixerunt, vt Capperonerius exiſtimabat: nam illa latius patet. vid. Lex. gr. techn. in hoc voc.

Interiectio.

Graecum παρένθεσις, qua in medio ſermone aliquem ſenſum inſerimus, inimica perſpicuitati, deſcribitur a Quintil. 8, 2. 15. Eandem *interpoſitionem* et *interclusionem* dictam eſſe tradit idem Lib. 9, 3. 23. Certe Macro-

Macrobius Sat. 6, 6. eiusmodi formas *interpoſitiones* appellat. *Interruptiónem* interpretatur Iul. Rufin. p. 31.

Intermittere.

Vox *intermiſſo ſpiritu* elata Cic. Or. 3, 57. dicitur, quae crebris interſpirationibus opus habet, *die unterbrochene Stimme, im Gegenſatze der wegen einer gewiſſen Fülle des Odems ſich verlängernden, und in mehr zuſammenhängenden Tönen hervorgehenden.* Hanc vocem *continenti ſpiritu* ibidem Cicero ſignificat. Quamobrem et *intermiſſio* appellatur Partit. Or. 6. oratio membratim enuntiata, periodicae contraria. Et Macrobius Saturn. 6, 6. eodem vocabulo ἀποσιώπησιν Graecorum interpretatur, qualis eſt illa Virgiliana Aen. 1, 135. *Quos ego —.*

Interpellatio.

Fig. eloc. noti ſenſus, commemorata inter ceteras figuras Cic. Orat. 3, 53.

Interpretatio. vid. *Conduplicatio.*

Interrogatio.

Figura orationis, cuius vis ſatis nota eſt. De ea Auctor Herenn. 4, 15. haec notat: „non omnis interrogatio grauis eſt, neque concinna, ſed haec, quae, cum enumerata ſunt ea quae obſunt cauſae aduerſariorum, confirmat ſuperiorem orationem, hoc pacto: „Cum igitur haec omnia faceres, diceres, adminiſtrares, vtrum animos ſociorum a republica remouebas, et alienabas, an non?“ Plenius *interrogationis* vim et vſum expoſuit Quintil. 9, 2. 8. Interrogamus, inquit, 1) quod negari non poſſit 2) vbi reſpondendi difficilis eſt ratio 3) inuidiae gratia 4) aut miſerationis 5) aut inſtandi et auferendae diſſimulationis; 6) in indignatione 7) in admiratione 8) interim acrius imperandi cauſa: 9) ipſi nosmet rogamus. Aquila Rom. p. 15. Gr. ἐρώτημα, *interrogatum* interpretatur, hoc quidem ſenſu, vt exaceruando aliquid interrogemus, et augeamus eius rei inuidiam. vid. *Quaeſitum.*

Interruptum.

Hoc Cicero Orat. 3, 54. inter figuras elocutionis adfert. Strebaeus ad ἀποσιώπησιν referebat, Capperonerius

nerius ad παρένθεσιν. Deinde *interruptam* orationem, quam etiam *fragoſam* appellat, Quintilianus 9, 4. 7. opponit *connexae*, h. e. apta verborum compoſitione et collocatione ſtructae. Totus locus metaphoras ſimiles habet, quoniam comparatione vtitur: „Quanto vehementior fluminum curſus eſt prono alueo, ac nullas moras obiiciente, quam inter obſtantia ſaxa fractis aquis et reluctantibus; tanto, quae *connexa* eſt, et totis viribus fluit, *fragoſa* atque *interrupta*, melior oratio.“ Scilicet compoſitionis oratoriae haec virtus eſt, vt aequabilem, lenem, expeditumque orationis curſum efficiat, quoniam impedit, ne hiet, vel aſpere concurrat literis membrisque oratio, ſingulaque numeroſe cadant.

Interſiſtere.

Quintiliano inprimis frequentata vox, quae offenſionis, vel haeſitationis in literis duabus deinceps pronuntiandis vim habet. Fit enim vtrumque, cum vltima litera vnius verbi cum prima ſequentis non recte coit, ſed in alterutra diuerſa oris conformatione vel linguae contrario motu opus eſt, vt ſi pronuntiare velis voces *cum notis*, litera *m* labra comprimit, litera autem *n* lingua ad dentes intus impulſa profertur: ergo neceſſe eſt, vt in vtraque deinceps pronuntianda aliquam moram faciamus, vel *interſiſtamus*, vt ait Quintil. 8, 3. 45. Graeci in eadem re στηριγμοὺς γραμμάτων, vel ἐγκαθίσματα, ἀνακοπὰς, ἐξερείσματα dixerunt, de quibus vid. Lex. gr. techn. Idem vitium Quintil. 9, 4. 33. concurſui vocalium tribuit, *qui cum accidit, hiat et interſiſtit, et quaſi laborat oratio*, luculentiſſima metaphora, quae inprimis in verbo *laborandi* plane admirabilis eſt, ad moleſtiam illam notandam, quam vocalium illa concurſio pronuntianti adfert; cf. §. 117. vbi *laborans* compoſitio ſimili ſenſu dicitur, quem ſi ſatis aſſecutus fuiſſet Burmannus, ad lectionis mutandae coniecturam non deſcendiſſet. Cui quidem metaphorae, euidentia certe et grauitate, ſimilis eſt, qua in eodem loco Quintilianus conſonantes aſperiores in commiſſura verborum *rixari* dicit, quod moleſtam linguae colliſionem, ſtridoremque faciant.

Inuentio.

Ciceroni quidem de Inuent. 1, 7. inuentio eſt *excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quae cauſam probabi-*

probabilem reddant, quam definitionem et Auctor Herenn. 1, 2. et plerique recentiores Rhetores ſecuti ſunt. Hic Cap. 3. in ſex partes eam conſumi docet, exordium, narrationem, diuiſionem, confirmationem, confutationem, concluſionem; quas partes Cicero de Orat. 2, 20. ita circumſcripſit: *blandiri et ſuppliciter inſinuare ſe iis, a quibus ſit petendum, et aduerſarios minaciter terrere, et rem geſtam exponere, et id quod intendamus, confirmare, et id quod contra dicatur, refellere, et ad extremum deprecari aliquid et conqueri.* Alio modo variatur eadem partium ſignificatio Lib. 1. de Or. 31. cf. Partit. Or. Cap. 2. vbi inuentioni haec duo propoſita eſſe dicuntur, vt fidem orator faciat iis, quibus volet perſuadere, et vt motum eorum animis adferat. Luculentiſſimus de inuentione locus eſt Ciceronis in Orat. 14. partim vt, quae illius vis et deſtinatio ſit, partim, quo ſenſu et vſu cum ea iudicium coniungendum ſit, intelligatur. Praeceptorum Ciceronis huc pertinentium haec ſumma eſt: *Tria videnda ſunt oratori, quid dicat, et quo quidque loco, et quomodo. Inuenire et iudicare quid dicas magna illa quidem ſunt, et tanquam animi inſtar in corpore; ſed propria magis prudentiae, quam eloquentiae. Nouerit igitur orator argumentorum et rationum locos* (quales dicit ab Ariſtotele traditos). *Eos percurret omnes, vtetur aptis: nec vero vtetur imprudenter hac copia, ſed omnia expendet et ſeliget: non enim ſemper, nec in omnibus cauſis ex iisdem eadem argumentorum momenta ſunt. Iudicium igitur adhibebit, nec inueniet ſolum, quid dicat, ſed etiam expendet. Nam interdum ex illis locis aut leuia quaedam, aut cauſis aliena, aut non vtilia gignuntur; quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. Iam vero ea, quae inuenerit, diligenter collocabit. Cum autem, quid et quo loco dicat, inuenerit, illud eſt longe maximum, videre, quonam modo.* Haec a Cicerone praeclare cogitata et diſputata eſſe, cum recta ratio doceat, tum vero admirabilis Garuii, ſummi apud nos cogitandi artificis, conſenſus confirmat, quem in Commentatione nuper edita de arte cogitandi (*Verſuche über verſchiedene Gegenſtände aus der Moral* etc. 2. *Th.* p. 304.) declarauit. Locus illi Ciceroniano ſimillimus eſt, et praeterea iucundum, animaduertere, quomodo magna ingenia in talibus rebus conſentiant;

itaque totum adſcribimus: „*Wenn der Denker ſich anfangs ohne Zwang und Regeln den Eindrücken der Gegenſtände, den von der Erinnerungs- und Einbildungskraft ihnen beygeſellten Jdeen, und der freyen Thätigkeit ſeines Verſtandes überlaſſen hat; ſo iſt nun eine zweyte Arbeit nöthig, um die Erzeugniſſe der erſten Meditation zu ſichten und zu ordnen. Zuerſt muß der Stoff herbeygeſchafft, oder es müſſen im eigentlichen Verſtande Jdeen und Bilder hervorgebracht werden* (Cic. *inueniat quid dicat*). *Auf dieſe Arbeit muß die Prüfung, die methodiſche Unterſuchung des geſammelten Vorraths, die Vergleichung der verſchiedenen Materialien unter ſich, die Vergleichung aller mit den ſchon längſt erworbenen Schätzen der menſchlichen Erkenntniß. folgen* (Cic. *iudicium adhibebit, expendet, delectum habebit*). *Eine dritte Arbeit iſt die Zuſammenfügung und Ründung des für brauchbar anerkannten Stoffs* (Cic. *diligenter collocabit, quae inuenerit*). *Einer vierten iſt die Bekleidung deſſelben mit den ſchicklichſten Wörtern und Ausdrücken vorbehalten* (Cic. *videbit, quomodo dicat*)."

Quintilianus vero de illa iudicii ad inuentionem adiunctione ita disputauit, vt mihi quidem Ciceronis mentem non recte adſecutus eſſe, ſaltem, quod ille de ſpecie intellectum volebat, de genere vniuerſo intellexiſſe videatur. Primum enim Lib. 3, 3. 6. haec habet: „Quidam inuentioni iudicium adiunxerunt, quia primum eſſet *inuenire*, deinde *iudicare*. Ego porro ne inueniſſe quidem credo eum, qui non iudicauit: nec enim contraria, communia, ſtulta, inueniſſe dicitur quisquam, ſed non vitaſſe. Et Cicero quidem in Rhetoricis (ipſo ſcil. illo loco, quem ſupra attulimus ex Oratore) *iudicium* ſubiecit *inuentioni:* mihi autem adeo tribus primis partibus videtur eſſe permixtum, (nam neque *diſpoſitio* ſine eo, neque *elocutio* fuerit) vt *pronuntiationem* quoque vel plurimum ex eo mutuari putem." Ex his manifeſtum eſt, Quintilianum *iudicium* accepiſſe de illa mentis virtute, qua, quid in vnaquaque re rectum, aptum, decorum, et vtile ſit, videmus: *Beurtheilungskraft, Gefühl des Schicklichen, Geſchmack* u. ſ. w. Deinde Lib. 6. Cap. vlt. copioſius ea docet, quae ad iudicium illud pertinere poſſint. Ibi non multum a *iudicio* diſtare *conſilium* putat, niſi quod illud, oſtendentibus ſe rebus adhibeatur, hoc latentibus, et

aut

aut omnino nondum repertis, aut dubiis, et quod *iudicium* frequentiſſime certum ſit, conſilium vero ratio quaedam alte petita, et plerumque plura perpendens et comparans, habens in ſe et inuentionem et iudicationem. Vtrumque inquit, cum ante actionem, tum inprimis in ipſis actionibus locum obtinet. Nam, quid dicendum, quid tacendum, quid differendum ſit, exigere, conſilii eſt; negare ſit ſatius, an defendere? vbi prooemio vtendum, et quali? narrandumque et quomodo? iure prius pugnandum, an aequo? qui ſit ordo vtiliſſimus? tum omnes colores, aſpere an leniter, an etiam ſubmiſſe loqui expediat? — Eandem et *prudentiam* appellat, omnino neceſſariam oratori, et ad omnia muneris partes pertinentem. E quibus omnibus ſatis intelligi poteſt, quomodo Quintiliani ratio a Ciceronis ſententia diſcrepet. Omnino Quintilianus mihi videtur ſententiam Ciceronis de iudicio cum inventione coniungendo, non recte ſeparaſſe ab iis locis, vbi is de prudentia et acumine quodam, ingenioque oratori in genere neceſſario loquitur. Has enim ipſas oratoris virtutes cum paſſim commemorat, tum variis dicendi formis ſignificauit. Sic in Bruto Cap. 68. *tardus in excogitando*, opponitur *acutiori*. Mox L. Torquatus *in exiſtimando prudens* appellatur, et Cn. Pompeius ibidem dicitur *rem prudenter vidiſſe*. Nec multo poſt ſolum *acumen* pro ſollertia excogitandi vel inueniendi ponitur. Cap. 70. *non hebes in cauſis* Pontidius dicitur, et Meſſala *non inops*, vt Graeci *εὔπορον* dicere conſueuerunt.

Fuerunt etiam Rhetores Latini, inprimis Graecorum diſciplinam ſecuti, qui ante inuentionem requirerent *intellectionem*, quod cauſa propoſita intelligere debeamus, cuiusmodi cauſa ſit, deinde demum inuenire, quae apta ſint cauſae etc. In eorum numero eſt Sulpicius Victor, Zoilum Rhetorem ſecutus, in Inſtitt. Oratt. pag. 242. ed. Pith. vid. quae e Scholiaſte in Aphthon. in Lex. gr. techn. ad voc. *εὕρεσις* laudauimus.

Inuerſio.

Graec. *ἀλληγορία*, interpretante quidem Quintil. 8, 6. 44. aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ac interim etiam contrarium; vt cum Horatius Od. 1, 14. *nauim* pro republica, *fluctuum tempeſtates* pro bellis ciuilibus,

portum pro pace et concordia dicit. Non temere Quintilianum illo modo interpretatum eſſe, vel inde intelligi poſſit, quod Lucretius etiam Lib. 1, 643. *verba inuerſa* appellat, veluti ἀλληγορέμενα, vel altius translata, audacius immutata a recto et proprio ſenſu, vnde obſcuritatem trahant. Sermo eſt Lucretio de Heraclito, qui in Phyſicis obſcura dictione vſus fuerit, ex ea re σκοτεινὸς vocatus:

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque
Inuerſis quae ſub *verbis* latitantia cernunt:
Veraque conſtituunt, quae belle tangere poſſunt
Aures, et lepido quae ſunt fucata ſonore.

In ea cuſtodiendum inprimis eſt, vt, quo ex genere coeperis translationes, hoc deſinas. cf. voc. *translatio*, et *imitatio*. Eſt et in exemplis allegoria, ſi nempe ita ponantur, vt ratio hiſtoriae non exprimatur, ſed ea eſt obſcurior, et *aenigma* dicitur. In altero genere, quo contraria oſtenduntur, *ironia* eſt, vel *illuſio*, quae aut pronuntiatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura. Alias allegoriae ſpecies enumerat e Graecis εὐφημισμὸν, ἀστεϊσμὸν, σαρκασμὸν, ἀντίφρασιν, παροιμίαν; quamuis alios eſſe fatetur, qui hos tropos eſſe, non allegoriae ſpecies exiſtiment, quoniam allegoria obſcurior ſit, in his autem aperte appareat, quid velimus. Addunt et μυκτηρισμὸν h. e. ſimulatum quidem, ſed non latentem deriſum. cf. Chariſ. Lib. 4. p. 247. in Grammat. Putſch. et ibid. Diomed. Lib. 2. p. 457. ſq. — Alia eſt *inuerſio verborum*, riſui faciendo apta, cuius exemplum attulit Cic. de Or. 2, 65 vbi diſerte et ab immutatione ſ. allegoria, et a translatione verbi diſtinguitur.

Iocatio.

Sic Auctori Herenn. 3, 13. dicitur *oratio, quae ex aliqua re riſum pudentem et liberalem poteſt comparare; der launige ſcherzhafte Ton im Vortrage.* Sermo ibi eſt de voce et pronuntiatione oratoria, quae non *contentionem* ſed *ſermonem*, h. e. *orationem tranquillam et ſedatam habeat.* vid. voc. *Sermo.* Vlterius, quomodo vocem in *iocatione* illa comparare debeamus, Cap. 14. his verbis explicat: *ſin erit ſermo in iocatione, leniter tremebunda voce, cum parua ſignificatione riſus, ſine vlla*

vlla ſuſpicione mimicae cachinnationis leniter oportebit a ſermone ſerio torquere ad liberalem iocum vocem.

Iocus.

Genus illud dicendi, quod cum venuſtate et ſuauitate riſum mouet, habetque partes, et veluti affectiones quasdam, facetias, leporem, ſalem, feſtiuitatem, hilaritatem. v. Cic. Orat. 2, 54. De riſu et ridiculo ſequitur vberior disputatio Cap. 58. ſqq. Ibi duo genera facetiarum commemorantur, quorum vnum *re*, alterum *dicto* tractatur. Prius proprium eſt perpetuarum facetiarum, in quibus deſcribuntur hominum mores, et ita effinguntur, vt aut re narrata, quales ſint, intelligantur, aut imitatione breui iniecta, in aliquo inſigni ad irridendum vitio reperiantur. In *dicto* autem ridiculum eſt id, quod verbi aut ſententiae quodam acumine mouetur. Quod, quibuscunque verbis dixeris, facetum tamen eſt, *re* continetur: quod autem mutatis verbis ſalem amittit, in verbis habet leporem omnem. cf. Or. 26. et Quintil. 6, 3. vbi *riſus* et *ioci* vim et ſuauitatem in duabus rebus poſitam dicit, natura, et occaſione. Ad eandem de ioco et facetiis materiem pertinet, quod Latini dicunt *commode*, *breuiter*, *acute*, et *hilare* dicere: quae coniunxit omnia Cic. Or. 2, 84. vt *commode* et *facete* in Verrin. IV, 43.

Iracundia.

Graecorum ἀγανάκτησις, figura eloc. apud Cic. Or. 3, 53.

Irrationalis.

Quam Graeci ἄλογον τριβὴν vocarunt, Quintilianus 10, 7. 11. *vſum irrationalem* interpretatus eſt, habitum quendam, *quo manus in ſcribendo decurrit, quo oculi ſimul in lectione verſus, flexusque eorum et transitus intuentur, et ante ſequentia vident, quam priora dixerunt: die Routine, die ſich auf lange Uebung gründet.* In ea re nempe nec ars nec ratio cernitur, ſed naturali quodam membrorum impetu omnia fieri videntur. cf. Cic. Orat. 2, 30. vbi eiusdem rei quaedam veſtigia notat: „*neque enim*, inquit, *quoties verbum aliquod eſt ſcribendum nobis, toties eius verbi literae ſunt cogitatione conquirendae.*“

Irruere.

Cicero in Bruto 79. vbi translationes et metaphoras apte et cum virtute a Calidio oratore adhibitas laudat, ita hanc laudem enuntiat: „non propria verba rerum, ſed plerumque translata, ita tamen, vt ea non *irruiſſe* in alienum locum, ſed *immigraſſe* in ſuum diceres.“ Quibus verbis naturalis quaedam ſimplicitas notatur, qua in transferendis rebus vtimur, *die natürliche, leichte, ungezwungene Metapher.* Luculentius etiam Lib. 3. de Orat. Cap. 41. verecunda, inquit, debet eſſe translatio, vt *deducta* in alienum locum, non *irruiſſe,* atque vt *precario,* non *vi,* veniſſe videatur.

Iteratio.

Figura elocutionis, inter lumina orationis commemorata Cicer. Or. 3, 53. haud dubie eadem eſt, quam Graeci παλιλογίαν dixere, vel etiam πλοκὴν vel ἐπίζευξιν, non continuam, ſed interiectis vocibus interruptam, quam in mente habuiſſe videtur Cic. Or. 39. vbi *iterari verba* notat. Aquila autem Rom. p. 19. inter πλοκὴν, quam *copulationem* appellat, et inter παλιλογίαν, quam *iterationem* interpretatur, hoc diſcrimen ponit, quod illa repetito verbo aut nomine diuerſa velit intelligi, haec autem idem quod ſignificetur efficere vehementius. Itaque illa ad ſenſum, haec ad affectum potius pertinet. Strebaeus tamen ἐπανάληψιν quandam, ſ. dictorum repetitionem intelligit, ſimulque putat eo referri poſſe frequentationem, quae rem eandem aliis et aliis verbis ſaepius inculcat. Iul. Rufinian. p. 31. *iterationem*, ſ. παλιλογίαν vocat, cum verbum, quod in prima ſententia eſt vltimum, in ſequente ſit primum; quae et ἀναστροφὴ dicitur. Vnde Hermogeni κλίμαξ dicitur eſſe πλεονάζουσα ἀναστροφή. Quintilianus 8, 3. 50. *eiusdem verbi aut ſermonis iterationem* interpretatur, quam Graeci ταυτολογίαν dixerint, hoc Ciceronis exemplo vſus: *non ſolum igitur illud iudicium iudicii ſimile, iudices, non fuit.* In quod vitium Ciceronem, *ſecurum tam paruae obſeruationis*, incidiſſe cenſet. Ibidem notat interim eandem mutato nomine ἐπανάληψιν dici. Haec autem, ex mente quidem Demetr. de Eloc. §. 196. eſt eiusdem coniunctionis (συνδέσμου) illatio in illis orationis partibus, quae bene longo interuallo poſt inferuntur, vt ſi Cicero haec pro Archia dicit: „Quo-

„Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, — vtar enim veſtra benignitate, quoniam me in hoc nouo dicendi genere tam diligenter attenditis — quoties ego hunc vidi, cum literam ſcripſiſſet nullam" etc.

Iudicatio.

Auctori Herenn. 1, 16. *iudicatio* dicitur *quaeſtio iudicii, quae ex ratione defenſionis, et ex firmamento accuſationis naſcitur*, gr. τὸ κρινόμενον. Eadem *diſceptatio* vocatur in Partit. Or. 30. in qua, quid veniat in iudicium, et de quo diſceptetur, quaeritur. Cicero de Inuent. 1, 13. „*Iudicatio eſt*, inquit, *quae ex infirmatione et confirmatione rationis*, ſeu, vt mox dicit. *ex rationis* (τῆς αἰτίας) *deductione naſcitur controuerſia*, hoc modo: *rectumne fuerit, ab Oreſte matrem occidi, cum illa Oreſtis patrem occidiſſet.* Illa autem Ciceronis definitio mihi videtur hoc modo corrigenda eſſe: *Iudicatio eſt, quae ex ratione et infirmatione rationis naſcitur controuerſia.* Hic ſenſus et neceſſarius eſt propter ſequens exemplum, quo nihil niſi primum *ratio*, deinde *deductio rationis* h. e. infirmatio eius continetur: et confirmatur loco ſimillimo Lib. 2, 37. vbi diſerte *rationibus et infirmationibus rationum ſupponendis ad iudicationem perueniri* dicitur. Aliud exemplum, vnde vis iudicationis intelligi poſſit, vid. Lib. 2, 17. Hae iudicationes in omnibus conſtitutionibus ad hunc modum reperiuntur, praeter coniecturalem, in qua, quia ratio non eſt, (factum enim non conceditur) non poteſt ex deductione rationis naſci iudicatio. Ceterum haec ipſa *deductio* rationis, apud Ciceronem non, vt Geſnerus in Theſauro explicauit, *declarationem* rationis ſignificat, quod nullum plane ſenſum habet, ſed potius *diminutionem*, vel *infirmationem*. Nam haec ipſius Ciceronis in loco parallelo et ſimili Lib. 2, 17. quem laudauimus, explicatio eſt. Metaphora ducta ab aquis, quae cum in riuos *deducuntur*, vel deriuantur, eo ipſo minuuntur, priſtinasque vires amittunt. Neque igitur in hoc loco verba arithmetica ſunt, vt exiſtimabat Patruus meus, inductus in hanc opinionem haud dubie vocabulo *rationis*, cuius tamen nunc non arithmetica, ſed logica vis eſt. Nam totius ſententiae hic ſenſus erit: *die Iudication entſpringt aus der Widerlegung und Niederſchlagung des vom Beklagten vor-*

gebrachten Beſchönigungs- oder Entſchuldigungsgrundes. In Topicis Cap. 25. ita cenſet: *quae ex ſtatu contentio efficitur, eam Graeci κρινόμενον vocant: mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, qua de re agitur, vocari.* Haec omnia e Cicerone repetit Quintilianus 3, 11. notans in his ſecum Ciceronem disſenſiſſe. Deinde haec addit: „Verius igitur et breuius, qui ſtatum et continens, et *iudicationem* idem eſſe voluerunt: *continens* autem id eſſe, quo ſublato lis eſſe non poſſit.“ cf. Georg. Trapez. Lib. 1. Rhet. p. 12. e quo haec inprimis notanda ſunt: „Quatuor, inquit, ſunt, quae bene conſiderata totam cauſam ita tibi aperiant, vt, quid dicendum, et quo ordine dicendum ſit, facillime teneas: *intentio, depulſio, ratio, firmamentum,* quorum duo priora ſtatum, poſteriora duo *iudicationem* conſtituunt.“ Et cum *iudicationis* et *propoſitionis* quaedam ſimilitudo ſit, Trapezuntius vtriusque diſcrimen ita definit: *propoſitio* ſummam totius negotii plerumque ſolam, *iudicatio* cum rationibus continet.

Iudicatum.

In probabili argumentatione, *iudicatum* dicitur, res aſſenſione aut auctoritate aut iudicii alicuius, aut aliquorum comprobata. vid. Cic. Inuent. 1, 30. et Lib. 2, 22. iuris quaedam genera conſuetudine facta appellat, pactum, par, *iudicatum, de quo iam ante ſententia alicuius aut aliquorum conſtitutum eſt.* cf. voc. *Approbatio.* Quintilianus 5, 11. 36. tradit nonnullos, praeeuntibus Graecis, qui κρίσεις dicant, *iudicia* et *iudicationes* vocare, ſi quid ita viſum gentibus, populis, ſapientibus viris, claris ciuibus, illuſtribus poetis, referri poſſit. Vulgo haec *auctoritas* appellatur, quam ille ſubinde extrinſecus ad cauſam adhiberi notat.

Iudicialis.

Iudicialis dicendi generis, haec eſt vulgaris Rhetorum definitio, vt poſitum ſit in controuerſia, habeatque accuſationem aut petitionem cum defenſione. Sic Auct. Herenn. 1, 2. cf. Cic. Inuent. 1, 5. et 2, 4. vbi, *in iudiciis*, inquit, *quid aequum ſit, quaeritur.* Quam quidem rationem fortaſſe ſecutus Anaximenes, teſte Quintil. 3, 5. 9. praeter accuſationem et defenſionem, etiam *disquiſitionem* iudiciali generi ſubiecit, quod τὸ

ἐξεταστι-

ἐξεταστικὸν dicunt. De hoc genere iudiciali latius diſputat Quintil. 3, 9. vbi officia duplicia commemorat, *intentionis* et *depulſionis*, partes autem quinque, prooemium, narrationem, probationem, refutationem, perorationem. cf. Lex. gr. techn. voc. δικανικόν. Idem genus iudiciale eſt, quod *litem* appellat Cic. Or. 3, 28. vbi tradit philoſophos Academicos cauſam aut controverſiam (ὑπόθεσιν) tribus rebus definire, *lite*, deliberatione, laudatione: quae frequentius tria cauſarum genera dicuntur.

Iunctura.

Haec Quintiliano eſt pars compoſitionis, quae in *verbis*, *inciſis*, *membris* et *periodis* recte iunctis et nexis cernatur. vid. Lib. 9, 4. 32. cf. Cic. Or. 3, 43. Itaque etiam *iuncta* oratio a Cic. l. c. opponitur *hiulcae*, quoniam prior illa virtus ex apta collocatione proficiſcitur. *Verba* autem *iuncta* in Orat. 36. *ſimplicibus* opponuntur.

Iuridicialis.

Huius vocabuli vis et vſus maxime in diſciplina Rhetorica de conſtitutionibus ſeu ſtatibus dominatur. Itaque *iuridicialis conſtitutio* dicitur, cum factum convenit, ſed iure an iniuria factum ſit, quaeritur; eiusque conſtitutionis partes ſunt duae, quarum vna *abſoluta*, altera *aſſumtiua* nominatur. Sic Auctor Herenn. 1, 14. vbi *abſoluta* dicitur, cum id ipſum, quod factum eſt, vt aliud nihil foris aſſumatur, recte factum eſſe ſtatuamus: *aſſumtiua* autem, cum per ſe defenſio infirma eſt, ſed *aſſumta extraria re* comprobatur. cf. Lib. 2, 15. vbi nonnulla horum momentorum iisdem fere verbis repetuntur. — Ciceronis de Inuent. 1, 11. haec diſciplina eſt: „*Iuridicialis* conſtitutio eſt pars conſtitutionis *generalis*, in eaque aequi et iniqui natura, praemii aut poenae ratio quaeritur. Ipſa rurſus in duas partes diſtribuitur, *abſolutam* et *aſſumtiuam*. *Abſoluta* eſt, quae ipſa in ſe continet iuris et iniuriae quaeſtionem; *aſſumtiua*, quae ipſa ex ſe nihil firmi dat ad recuſationem, foris autem aliquid defenſionis aſſumit. Eius partes ſunt: *conceſſio*, *remotio criminis*, *relatio criminis*, *comparatio*, Graec. συγγνώμη, μετάστασις, ἀντέγκλημα, et συλλογισμός, de quibus ſingulis

 vid.

vid. Lex. gr. technol. — cf. Cic. Inu. Lib. 2, 23. vbi huius generis partes ex inſtituto explicantur. In Topicis Cap. 21. quaeſtio, *quale ſit*, iuris et iniuriae diſtinctione, explicatur. Haec nempe ſunt elementa illius ſtatus, quem alii *generalem*, alii *qualitatis*, alii *iuridicialem* dixerunt, magis verbis, quam re a ſe invicem discrepantes. — Eadem Quintiliani 7, 4. diſtributio eſt *qualitatis*, in *abſolutam*, (gr. ἀντιληπτικὴν) qua ipſum factum, quod obiicitur, dicimus honeſtum eſſe, et *aſſumtiuam* (gr. προσληπτικὴν de qua vid. ſupr. in voc. *aſſumtiuus*) in qua factum per ſe improbabile aſſumtis extrinſecus auxiliis tuemur. Haec auxilia ſunt 1) ſi crimen cauſa facti tuemur, vel, ſi defenſionem ex cauſis facti ducimus, quod ἀντέγκλημα dicitur Graecis, Latinis *relatio criminis*. 2) ſi crimen in alium *transferamus*, gr. μετάθεσις αἰτίας et μετάστασις quoniam crimen vel in perſonam vel in rem transferri poteſt. vid. *translatio criminis*. 3) ſi culpam *minuamus*. quod genus defenſionis Quintiliano dicitur *ſtatus quantitatis*, gr. πηλικότης, de quo vid. quae ad voc. *quantitas* notauimus. 4) *deprecatio*, ſ. συγγνώμη, de qua etiam ſeparatim dictum eſt. Huc et pertinet praeceptum Antonii apud Cic. Orat. 2, 25. „*Iure omnia defenduntur, quae ſunt eius generis, vt aut oportuerit, aut licuerit, aut neceſſe fuerit, aut imprudentia, aut caſu facta eſſe videantur.*

Iuuenilis. vid. *Puerilis.*

L.

Lacerti.

Lacerti, cum oratori tribuuntur, vis quaedam in dicendo notatur, cui tenuitas et ſubtilitas contraria eſt. Cicero in Bruto 17. de Lyſia: „Habet certos ſui ſtudioſos, qui non tam habitus corporis opimos, quam *gracilitates* conſectentur; quos, valitudo modo bona ſit, *tenuitas* ipſa delectat: quanquam in Lyſia ſaepe ſunt etiam *lacerti*, *ſic vt fieri nihil poſſit valentius.*“ Quid *in lacertis* cogitauerint Rhetores, etiam eo patet, quod *carnem* lacertis oppoſuerunt, illa ſpeciem quandam granditatis et virium, his autem vires veras et ſolidas notantes, magis neruorum robore, quod et in gracilitate locum habet, quam ſuccorum abundantia conten-

contentas, quae ſaepe et in imbecillis eſſe ſolet. Sic Quintil. 10, 1. 76. Aeſchinem Demoſthene pleniorem et grandiori ſimilem dicit, eum tamen *carnis* plus habere, quam *lacertorum*.

Laeſio.

Fig. eloc. a Cicerone commemorata Or. 3, 53. poſt conciliationem, et purgationem, quibus *laeſio* illa contraria eſt. Nam vt ad artificium oratoris pertinet, vt conciliet beneuolentiam eorum, qui ſibi prodeſſe poſſint, ita eiusdem artis eſſe videbatur, laedere aduerſarios, eorumque auctoritatem et fidem minuere. Huius generis formas dicendi artificia potius et machinationes quasdam, quam lumina dixeris orationem illuſtrantia. Strebaeus ad Cic. l. c. adfert huius figurae exemplum ex oratione pro Roſcio Amer. Cap. 2. *Chryſogonus a vobis, iudices, hoc poſtulat, vt quoniam in alienam pecuniam tam plenam atque praeclaram nullo iure inuaſerit: quoniamque ei pecuniae vita S. Roſcii obſtare atque officere videatur; deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem omnem, metumque tollatis* etc.

Laetus.

Admirabilis ſubtilitas eſt, qua Quintil. 8, 4. 88. copiae elocutionem ornantis varia genera ita diſtinguit, vt dicat aliam eſſe *copiam locupletem*, aliam *floribus laetam*. Illa eſt, quae veluti *locum explet*, ſuaque foecunditate et vtilitate ad cauſam ſe commendat, et in grauioribus elocutionis partibus et formis ad docendum, ad perſuadendum, ad mouendum maxime comparatis cerni videtur: haec *floribus laeta*, quam et Graeci *ἀνθίζουσαν*, vel *ἀνθηρὰν* dixerint, ſuauitate formarum elocutionis, quas et ipſas *flores* orationis appellarunt, et amoenitate dictionis delectat; vt alia agri frugibus ſpiſſi, alia prati floribus veſtiti copia, aliaque ex vtraque delectatio eſſe ſolet. Quo et illud pertinet, quod Quintilianus 11, 1. 34. nonnulla *laetiora* ex orationis ornatu et affectibus, triſtitiae et barbae philoſophicae conuenire negat: *lachender, blühender, lebhafter Ausdruck im Contraſt gegen den finſtern Ernſt eines Philoſophen.* Vnde Auctor Dial. de corr. Eloq. 21. ſuorum temporum *laetitiam nitoremque* laudat, et Ciceronis iudicio, quo ſuae aetatis oratores ſuperauerit,

rit, hoc tribuit, quod *locos quoſdam laetiores* inuenerit. — Sine adiunctione autem florum, *laetus* dicitur genere dicendi, ex vbertate quadam, metaphora fere poetica, qua *laetas ſegetes* Virgilius noto ſenſu dixit. Itaque Quintil. Lib. 10, 1. 46. Homerus dicitur et *laetus*, et propter contrariam laetitiae illi virtutem, *preſſus*, h. e. caſtigatus, temperatus, vt *premi vites falce* poetae dicunt, quam formulam Geſnerus ad h. l. bene contulit. Deinde Lib. 12, 10. fin. *laetis*, *luxurioſa* opponit vitium nimiae redundantiae habentia, vt Seneca Controu. Lib 2. praef. de Fabiano: „oratio magis *laſciua*, quam *laeta*.

Laſciuire.

Laſciuire et *laſciuia* cum apud Latinos praecipue dictum eſſet de animalibus in aliquo qualicunque voluptatis ſenſu exultantibus, et geſtientibus, vel petulanter ludentibus: tum iisdem verbis vſi ſunt Rhetores, vt ingeniorum luſus, luxuriemque ſignificarent, qua nonnulli ſcriptores vel oratores in ornanda expoliendaque oratione modum excedere ſolebant, fucum et pigmenta, puerileſque figurarum luſus pro vero graviique ornatu, redundantiam effuſam pro copia, numeros molles effeminatoſque pro concinnitate affectantes. Sic Quintilianus, qui iſta metaphora inprimis frequenter vtitur, Lib. 2, 5. 21. ſui temporis ſcriptoribus, *laſciuiae floſculos* exprobrat. praedulce quoddam dicendi genus, et pueribus ingeniis hoc gratius, quo propius eſt, opponens antiquiorum virilem vim ingenii, grauioremque orationis cultum. cf. Gell. N. A. 12, 2. Hanc alibi Lib. 4, 1. recentiorum temporum *iactationem* appellat. Et Cap. 2, 77. frigidam puerilemque in ſcholis affectationem dicit, vt transitus efficiat aliquam ſententiam, et huius praeſtigiae plauſum petat: eoque genere *laſciuire* Ouidium in Metamorphoſi. cf. Lib. 10, 1. 93. vbi omne de Ouidio iudicium in eo abſoluit, vt *laſciuiorem* appellet, eundemque mox dicat *ingenio indulgere*, quam temperare maluiſſe: qui iſtius nempe laſciuiae fons eſt. Sic apud Gellium N. A. 4, 20. aliquis *intempeſtiue laſciuire* dicitur vt apud nos: *zur Unzeit den Witzling machen, am unrechten Orte witzeln.* Nempe cum Cenſor de vxoribus ſolenne iusiurandum dixiſſet: *vt tu ex animi tui ſententia vxorem habes*, is, qui

qui iurabat, iocabundus, *habeo equidem*, inquit, *ſed non hercle ex animi mei ſententia.* Porro Quintil. Lib. 9, 4. 142. cum compoſitionem numerorum effeminatam et eneruem reprehendat, haec addit: „quotidie magis *laſciuimus* ſyntonorum modis ſaltitantes:“ de quo loco vid. Salmaſius ad Vopiſci Carum 19. p. 840. vbi plus aequo numeroſam compoſitionem, rhythmiceque incedentem, quae quaſi continua eſſet, et in eosdem ſemper iret pedes, ſimilique, vt vocatur, cadentia perpetuo clauderetur, illa formula dicendi, et ſyntonis illis deſcribi exiſtimat. Libro autem 10, 1. 43. veterum naturalem eloquentiam et robur viris dignum commemorat, eique opponit recentem *laſciuiam* et delicias; quam alio loco Lib. 5, 12. *eloquentiam libidinoſam* appellat. —

Graeci, quoniam ingeniorum iuuenilium, et vigore quodam aetatis efferueſcentium maxime iſta laſciuia et effuſa luxuries eſſe ſolet, metaphora inde capta, *μειρακιεύεσθαι* dixerunt, quod Latini *luxuriari* et *laſciuire.* vid. quae copioſius disputauimus in Lex. gr. techn. ad voc. *μειρακιῶδες* et *νεαρός.* Nam et idem *νεανιεύεσθαι* dixerunt, vt Horatius *iuuenari.* Ad copiam redundantiamque orationis notandam eadem metaphora *laſciuiendi* vſus eſt Macrobius Saturn. 5, 1. in loco oppoſitis illuſtri: „Oratorum non ſimplex nec vna natura eſt: nam hic fluit et redundat, contra ille breuiter et circumciſe dicere affectat: tenuis quidam et ſiccus et ſobrius amat quandam dicendi frugalitatem: alius pingui et luculenta et florida oratione *laſciuit.* cf. Seneca Epiſt. 114. vbi haec inprimis huc pertinent:“ Si diſciplina ciuitatis laborauit, et ſe in delicias dedit, argumentum eſt luxuriae publicae, *orationis laſciuia.*“ cf. Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 3, 23. pag. 319. ſeqq.

Latinitas.

Auctori Herenn. 4, 12. *latinitas* eſt pars elegantiae in elocutione. quae *ſermonem purum* conſeruat, et *ab omni vitio remotum.* Eodem ſenſu *ἑλληνισμὸν* Graeci dixerunt. Vitia igitur, quae illa latinitas reſpuit, ſunt ſoloeciſmus et barbariſmus. Quare Quintil. 8, 1. *latine* et *emendate* loquendi rationem coniunctim laudat. Vtramque virtutem in eo cerni dicit, vt vitentur *peregrina*

grina et *externa*, ita vt verba omnia et vox Vrbis alumnum oleant, oratioque plane Romana videatur, non ciuitate donata. cf. Cic. de Or. 3, 10. 11 et 12. Ibi Cap. 10. omnis disputationis, qua *loquendi elegantiam*, h. e. latine loquendi rationem traditurus ſit, has veluti partes et elementa praemittit: *Vt Latine loquamur, non ſolum videndum eſt, vt et verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat, et ea ſic et caſibus et temporibus et genere et numero conſeruemus, vt ne quid perturbatum, ac discrepans aut praepoſterum ſit: ſed etiam lingua, et ſpiritus, et vocis ſonus eſt ipſe moderandus.* cf. voc. *Purus.*

Latitudo.

Verborum *latitudinem* Cicero Orat. 2, 22. vaſtam et agreſtem, ore late diducto, pronuntiationem appellat, cui et ibidem *oris prauitatem* iungit. vid. vocc. *Vaſtus, Preſſus*, et quae in Lex. gr. techn. ad πλατύτης notata ſunt. cf. Cic. Or. 3, 12.

Lectus.

Lecta verba dicuntur, quae ex delectu exquiſito ſuauitatem, numerum et dignitatem habent: vnde et *elegans* vel *diligens* talis oratio vocatur Cic. Brut. 71. vid. *Electio.*

Legitimus.

Huius verbi vis et vſus in ſola Latinorum de ſtatibus vel conſtitutionibus diſciplina dominatur. Itaque Auctori Herenn. 1, 11. *legitima* conſtitutio cauſae eſt, cum in ſcripto aliquid controuerſiae naſcitur. Ea dividitur in partes ſex, ſcriptum et ſententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem. Vberius idem Rhetor haec tractat Lib. 2, 9. — Cicero talem conſtitutionem legitimam nullam habet: ſed poſtquam Lib. 1. de Inu. 13. et Lib. 2. de Inuent. Cap. 40. de quatuor conſtitutionibus cauſae expoſuerat, ſingulatim exiſtimat conſiderandum eſſe, controuerſia in *ratione*, an in *ſcripto* ſit, quam et Graeci στάσιν λογικὴν et νομικὴν dixerunt. In *ratione* nempe verſantur tres ſtatus illi generales, coniecturalis, finitiuus, et qualitatis. *Scripti* autem controverſia eſt, quae ex ſcriptionis genere naſcitur. Eius genera

genera ſeparata a conſtitutionibus, quinque ſunt 1) de ſcripto et ſententia (gr. ῥητὸν καὶ διάνοια) 2) ex contrariis legibus (ἀντινομία) 3) ambiguum (ἀμφιβολία) 4) ratiocinatiuum (συλλογισμὸς) 5) definitiuum (ὅρος). Huius controuerſiae partes et loci vberius a Cicerone tractantur in ſequentibus. In Topicis Cap. 25. cum tria genera definitarum quaeſtionum, quae accuſationem et defenſionem haberent, conſtituiſſet; *coniecturalem, definitiuam, iuridicialem*, mox haec addit: „Sed quoniam lege firmius in controuerſiis disceptandis nihil eſſe debet, danda eſt opera, vt legem adiutricem et teſtem habeamus. In qua re alii quaſi ſtatus exiſtunt noui, qui appellantur *legitimae disceptationes*. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod adverſarius vult, ſed aliud. Id autem contingit, cum ſcriptum ambiguum eſt, vt duae differentes ſententiae accipi poſſint; tum opponitur ſcripto voluntas ſcriptoris, vt quaeratur, verbane plus aut ſententia valere debeat: tum legi lex contraria affertur. Ita ſunt tria genera, quae controuerſiam in omni ſcripto facere poſſunt, *ambiguum, discrepantia ſcripti et voluntatis*, et *ſcripta contraria.*" cf. Orat. 34. vbi illa ipſa cauſarum genera, quae vulgo dicuntur *ratione*, aut *ſcripto* contineri, vt philoſophus ita exprimit, vt dicat *nihil ambigi poſſe, in quo non aut res controuerſiam faciat, aut verba: res, aut de vero, aut de recto, aut de nomine: verba aut de ambiguo, aut de contrario.* Quintilianus Lib. 7, 6. ſqq. quatuor *quaeſtiones* vel *ſtatus legales* exponit 1) ſcripti et voluntatis 2) contrariarum legum 3) ratiocinationis 4) ambiguitatis. De his ſeparatim ſuis locis, et in Lex. gr. techn. ad voc. ποιότης, technologiae Graecorum Latinorumque ratio expoſita reperietur. Quod autem in his quaeſtionibus *definitionem* omiſit, quam et Cicero adſciuerat et Graeci Rhetores, rationem huius omiſſionis reddere videtur Cap. 10. vbi *finitionis* et *ſyllogiſmi* cognationem explicat. Ibi notat *finitionem* in natura ipſa nominis habere *quaeſtionem generalem*. Itaque etiam *translationem* omittere poterat, quam cum ſeparatim recepiſſet Auctor Herenn. ſex quaeſtiones legitimae oriebantur.

Lenis. Lenitas.

Omnis lenitatis, quam Rhetores Latini vel in elocutione vniuerſa, vel vocis conformatione et pronuntiatione

tiatione oratoria commemorant et commendant, haec duplex vis eſt, vt aut *remiſſam, ſedatam, tranquillam,* et vehementia ſpirituque oratorio vacuam, aut *ſuauem iucundamque* orationem reddat. Ita collocatione verborum *lenis* oratio fieri dicitur, ſi verba extrema cum conſequentibus primis ſic iungamus, vt ne aſpere concurrant, neue vaſtius diducantur, apud Cic. Or. 3, 43. vbi eadem oratio etiam *iuncta*, *cohaerens*, et *aequabiliter fluens* dicitur. Et Auctor Herenn. 1, 7. in exordienda cauſa ſeruandum eſſe praecipit, vt *lenis* ſit ſermo, h. e. ſedata oratio, quae non videatur ex animo affectibus commoto nata, neque ſpiritum oratorium prodat, ſed tranquillo flumine labatur. cf. Cic. Orat. 2, 43. et de Offic. 1, 1. vbi libris philoſophicis eadem de cauſa *aequabile* et temperatum genus dicendi tribuit. Itaque *lenis orator*, ſi ſermo eſt de genere dicendi, et charactere eloquentiae, erit remiſſus, ſedatus, moderatusque cum in ornando, tum in voce et actione omni. Ei contrarius eſt orator *acer*, *ornatus*, verborum et actionis genere commotus. Tales Cottam et Hortenſium, disſimiles illis in rebus oratores, deſcribit Cic. Brut. 92. priores partes Hortenſio tribuens: *acrem enim oratorem, incenſum, et agentem, et canorum, concurſus hominum, forique ſtrepitus deſiderat.* Talis erat *lenitas* Laelii propria Cic. Or. 3, 7. Talis illa lenitas, quam Cicero in Orat. 16. cum aequabilitate, et puro candidoque genere dicendi iungit, et cui duritatem, ſeueritatem verborum, moeſtitiamque orationis opponit. Neque alio ſenſu *lenitas ſine neruis* tribuitur C. Iulio oratori in Bruto 48. de quo antea ſic: *orator fuit minime vehemens, ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior.* —

In voce autem *lenitas* eſt is modus loquendi, qui ea conformatione oris, et preſſu et ſono oritur, vt ſuauitas conſequatur: *Delikateſſe des Tons, Reiz und Feinheit in der Ausſprache.* Haec lenitas ita comparata eſt, vt non pendeat ab arte vel ingenio, ſed ſaepe infimis quibusque et indoctiſſimis propria ſit, et in eruditiſſimis non reperiatur. Sic Cic. Orat. 3, 11. cf. Cap. 57. Hinc eſt, quod Cic. Brut. 74. *vocis ſuauitas* et *lenis literarum appellatio* coniunctim laudatur, eique contrarium, *dilatare literas*, *ſubagreſte* quiddam et *ſubruſticum* commemoratur. Et apud Quintilianum

11,

11, 3. vbi de naturalibus vocis vitiis et virtutibus ſermo eſt, *lenis* vox, *aſperae* opponitur, *Stimme von einem glatten, reinen und angenehmen Tone, im Gegenſatze der rauhen, derben, unfeinen Ausſprache.* vid. voc. *Candidus.*

Lepos.

Notus *leporis* ille ſenſus eſt, quo de elegantia facetiarum, et ſuauitate iocandi dicitur, ideoque *humanitati* et *vrbanitati* et *hilaritati*, et *ioco* iungi ſolet, vt Cic. Or. 2, 54. et 67. et Brut. 48. — Exquiſitior ratio eſt, qua, ſi de actione oratoria ſermo eſt, vniuerſalem quandam virtutem ſignificat, in ſuauitate et dignitate conſpicuam. Ita Cic. Brut. 67. de C. Macro: *vox, geſtus et actio omnis ſine lepore.* Et Cap. 68. de Q. Pompeio Bithynico: „Huius actio non ſatis commendabat orationem: in hac enim ſatis erat copiae, in illa autem *leporis* parum: *ein guter Redner und Styliſt: aber ein ſchlechter Akteur oder Geſtikulant.* Hinc et Cic. de Or. 3, 46. *ſuauitas* et *lepos* iungitur, vbi de elocutionis ornatu et concinnitate ſermo eſt; quae vtilitatem et neceſſitatem ſecuta ſit: *Bildung der Sprache zu einer ſchönern Form.* cf. Cap. 34. Et Lucretius Lib. 1, 644. declaraturus, quantum homines vulgo ſuauitati verborum, et elocutionis deliciis tribuant, haec ait:

Veraque conſtituunt, quae belle tangere poſſunt
Aureis, et *lepido quae ſunt fucata ſonore.*

Leuis.

Argumentationis genus *leue*, ideoque vitioſum Cicero de Inuent. I, 48. ſic definit: quod aut poſt tempus dicitur, aut ſi perſpicue rem turpem leui tegere vult defenſione. Prioris formulam hanc ponit: *ſi in mentem veniſſet, non commiſiſſet:* poſterioris hanc: *Cum te expetebant omnes, florentiſſimo regno reliqui: nunc deſertum ab omnibus ſummo periclo, ſola vt reſtituam, paro.*

Lex.

Huius vocis vſus τεχνικὸς non niſi in diſciplina de ſtatibus reperitur. Nam in *conſtitutione legitima* dicitur naſci controuerſia *ex contrariis legibus*, cum alia

Q lex

lex iubet aut permittit, alia vetat quippiam fieri. vid. Auct. Herenn. 1, 11. et cf. quae ad voc. *legitimus* diximus. De hac quaeſtione quam Graeci *ἀντινομίαν* vocarunt, agit Quintilianus Lib. 7, 7. vbi et variae huius quaeſtionis veluti affectiones et viciſſitudines accuratius exponuntur. Lib. 12, 2. 15. ita hunc ſtatum exprimit, vt *nonnulla inter ſe concurrere* h. e. leges inter ſe conferri et collidi, dicat. Fortaſſe et huc pertinet, quod Auctor Herenn. 1, 4. *legem*, pro loco communi de legum ſeruandarum neceſſitate accepit. Nam, *ſi principio vti nolemus*, inquit, *a lege*, *a ſcriptura*, *aut ab aliquo firmiſſimo noſtrae cauſae adiumento principium capere oportebit.*

Liber.

Libera vox Ciceroni Or. 3, 53. dicitur, quam Graeci *παῤῥησίαν*, et *ἐλευθερίαν* appellarunt. Eius intentio quaedam, et maior gradus ibidem *effrenatio* nominatur. Eam haud dubie cogitauit, cum in Bruto 34. C. Fimbriam, *cum virtute*, *tum ipſo orationis genere liberum* dicit. Nam antea eundem *maledicum*, *aſperum*, *feruidioremque* dixerat. Haec ſine dubio *libertas* eſt in oratione, quam in Philippo oratore laudat Cic. Brut. 47. Etiam Rutil. Lup. p. 6. *παῤῥησίαν* in figuris commemorat. Sed recte Quintilianus 9, 3. 99. figuram eſſe negat. *Libera quaeſtio*, quae ſit, vid. in voc. *Quaeſtio.*

Liberalis.

Liberalis actio, eſt apta, decens, venuſta, ſine argutiis, apud Cic. in Bruto 80. *die angemeſſene*, *edle*, *natürliche Action*, *im Gegenſatze der affectirten*, *outrirten und verkünſtelten.* Eodem ſenſu Quintil. Lib. 11, 3. *liberalem vocem* appellare videtur, virilem illam et naturalem, quae nullis fucata modis, nulla inepta flexione adulteretur, vt interpretatus eſt Creſollius in Vacc. Autumn. Lib. 3. Cap. 5. p. 472. quomodo Cicero in Offic. 1, 23. praecipit, vt *ſit vox diſtincta pronuntiationis modo*, et *plena ſucci virilis*, *vt agreſtem et ſubruſticum fugiat ſonum*, *non vt rhythmum affectet ſcenicum.* Attamen accuratius locum Quintiliani laudatum intuens, et omnem contextum orationis conſulens mihi perſuadebam, *liberalem vocem* nunc dici in genere eam, in qua nulla virtus deſideretur, quae quidem oratori

tori ad bene dicendum neceſſaria ſit. Principes autem vocis oratoriae virtutes ſunt *bonitas et firmitas: eine vollkommene Stimme, wie ſie der Redner zu allen Gattungen des Vortrags nöthig hat, worinne Schönheit und Stärke mit Dauerhaftigkeit verbunden iſt.* Ita ſe ipſum Quintilianus explicat: „ne vox quidem, inquit, niſi *liberalis*, actionem habere optimam poteſt: *bona* enim *firma*que, vt volumus, vti licet: mala vel imbecilla et inhibet multa, et aliqua cogit.“ In his verbis ſimul ratio redditur, cur *liberalem* potiſſimum appellaverit, quae *bonitatis* et *firmitatis* virtutibus inſtructa ſit. Nam, qui nullo vitio vocis, ſiue naturali, ſiue contracto, impeditur, is ea re liberum ſe ſentit, is pro lubitu voce, et prouti res ferat aut poſtulet, vti poteſt. Iam, quod proprie ad hominem voce vtentem pertinet, ipſi voci tributum eſt, nota licentia, cuius aliud exemplum ad voc. *frangere* poſuimus.

Licentia.

Hanc in figuris, ſeu exornationibus collocat Auct. Herenn. 4, 36. „Licentia eſt, inquit, cum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicimus, quod eos minime offendat, aut quos ii diligunt, cum in aliquo errato vere reprehendi poſſe videantur.“ Deinde hanc exornationem tradit duplici ratione tractari, 1) acrimonia, quae, ſi nimium fuerit aſpera, mitigabitur laude, et 2) aſſimulatione, quae non indiget mitigationis, propterea quod imitatur licentiam, et ſua ſponte ad animum auditoris ſe accommodat. Itaque haec *licentia* ab oratione libera, vel libertate, quam παῤῥησίαν Graeci vocant, ita differre videtur, vt haec ſit vera et non ſimulata vel figurata, illa autem plerumque cum ſimulatione et adulatione coniuncta. Sic diſerte Quintil. 9, 2 27. „Aſſimulata, inquit, et arte compoſita, ſine dubio ſchemata ſunt exiſtimanda. Quod idem dictum ſit de oratione libera, quam Cornificius *licentiam* vocat, Graeci παῤῥησίαν. Quid enim minus figuratum, quam *vera libertas.* Sed frequenter ſub hac facie latet adulatio.“ Huc pertinet quod Quintil. 8, 6. 55. commemorat, *vituperationis ſimulatione laudare, conceſſum eſſe.* vid. ad h. l. Geſnerus. et cf. Rutil. Lup. de Fig. 2, 18. p. 130. ed. Ruhnk.

Limare. Limatus.

Vtraque vox in eo oratore adhibetur, qui tenue et ſubtile genus dicendi conſectatur, quod minus eſt vehemens et acre, ſed maiorem ſcribentis dicentisque accurationem, elegantiam, prudentiam et acumen prodit, magis in moribus exprimendis, quam affectibus commouendis verſatur, et in minoribus potius cauſis, quam maioribus occupatur. Singuli Ciceronis loci, ni fallor, definitam hanc notionem confirmabunt. Cap. 3. de Opt. gen. dic. Lyſiae *tenuitas* ita commemoratur, vt, quamuis multis in locis is orator grandior ſit, tamen idem et ieiunior dicatur, *quoniam ſe ipſe conſulto ad minutarum cauſarum genera limauerit:* hoc eſt, limata illa ratio dicendi, quae vehementiam, vim, et impetum reſpuit, et in tenui ſubtilique quadam elegantia acquieſcit, Lyſiae propterea ſolennior erat, quod priuatas pleraſque, easque minutas cauſas ſcripſit. Nam illa vis oratoria, et granditas, tenuitati et ſubtilitati oppoſita, in magnis tantum cauſis agendis, et in contentionibus forenſibus dominari ſolet. Itaque a Cicerone Orat. 3, 8. Sulpicius et Cotta, vtroque dicendi genere diuerſi, ita diſtinguuntur: „*Limatus* alter et *ſubtilis*, rem explicans propriis aptisque verbis; haeret in cauſa ſemper, et quid iudici probandum ſit, cum acutiſſime vidit, omiſſis ceteris argumentis, in eo mentem orationemque defigit. Sulpicius autem fortiſſimo quodam animi impetu, pleniſſima et maxima voce, ſumma contentione corporis, et dignitate motus eſt, vt vnus ad dicendum inſtructiſſimus a natura eſſe videatur.“ Ergo, vt omnino limare non niſi artificum eſt, ita in oratione *limanda*, et in *limato* oratore, plus intelligitur artis, quam naturae, plus conſilii et prudentiae, quam ingenii. Idem ex loco luculento patet, qui eſt in Bruto Cap. 24. Ibi cum notaſſet, in hominibus ingenioſis, vehementia quadam animi, et naturali dolore praeditis accidere ſolere, vt melius dicant, quam ſcribant, quoniam vis illa, quae dicentes incendat, plerumque in otio et tranquillitate ſcribendi pereat, haec deinde addit: „quod iis, qui *limatius* dicendi genus conſectantur, accidere non ſolet, propterea, quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille vtens eodem modo poſſit et ſcribere et dicere: ardor animi non ſemper adeſt, isque cum conſedit, omnis illa vis

et quaſi flamma oratoris extinguitur." Ex quo loco, *limatum* dicendi genus, vehementi et incitato et ardenti opponi intelligitur, vt Graeci fere *τὸ ἰσχνὸν, τὸ ἀφελὲς, τὸ ἀνειμένον* et *ἁπλοῦν* opponere *τῷ πολιτικῷ, βιαίῳ, ἐλεγκτικῷ* et *ἀγωνιστικῷ* ſolent: *die feinere, mit gewählten Kunſtaufwand und Ueberlegung gearbeitete Manier des ruhigern, gemäſigtern Schriftſtellers oder Redners, im Gegenſatze der etwas rauhern, weniger abgeſchliffenen und geglätteten Manier des leidenſchaftlichen, affectvollen, feurigen Redners.* Hinc plerumque, qui *limatus* dicitur, idem etiam tenuis et ſubtilis et acutus appellari ſolet, et arti maxime hoc tribuitur, vt *limet.* cf. Brut. 67. et Orat. 1, 25. de Finib. 3, 12. inprimis autem Or. Cap. 20. vbi tria dicendi genera explicans Cicero, grandiloquis, grauibus vehementibusque opponit tenues, acutos, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora facientes, *ſubtili quadam et preſſa oratione limatos.*

Lineamenta.

Cum in aliis locis Cicero ex arte pingendi metaphoras ad rem oratoriam transferre frequenter ſoleat, tum *lineamenta,* quae ex pictura lineari oriuntur (*Skizze, Umriß, Contour*) ita coloribus et flori orationis opponit, vt illis ſignificet ſcriptum eiusmodi, quo res nudae, delineataeque duntaxat, et adumbratae, ſine ornatu et copia oratoria tradantur. Locus eſt in Bruto, vbi, poſteaquam Cap. 86. in Catonis ſcriptis laudaſſet aliquam formam ingenii (*Spuren, Anlagen eines groſſen Kopfes*) ſed admodum impolitam et rudem, eundemque dixiſſet nondum ſuſpicantem, quale eſſet copioſe et ornate dicere, quoniam vtraque ratio dicendi poſt Catonem demum inuenta et vſurpata eſt, Cap. 87. haec ponit: Voluendi ſunt libri aliorum, tum inprimis Catonis: intelliges, nihil illius *lineamentis,* niſi eorum pigmentorum, quae inuenta nondum erant, florem et colorem defuiſſe: *die Zeichnung, die Skizzirung, welche den hellen groſſen Kopf und Denker verräth, iſt bey Cato trefflich: nur daſs ihm das ſchöne Rednercolorit fehlt.* Sed eſt alius locus in Orat. Cap. 55. qui ſubtiliorem fere *lineamentorum* illorum vſum declarat. Ibi Cicero de numero oratorio: „ſerius, inquit, aliquanto notatus et cognitus, quaſi *quandam palaeſtram et*

extrema lineamenta orationi attulit. Facile intelligimus Ciceronem hoc ſibi voluiſſe: numerum orationi ſummam perfectionem et venuſtatem, quae antea deerat, addidiſſe. Iam in *palaeſtra* apertus metaphorae fons eſt. Nam ibi corpora exercitando ad ſummam, quae in motu et habitu omni eſſe poſſit, venuſtatem finguntur et formantur. cf. Cap. 68. Sed in *extremis lineamentis*, quo Cicero ſpectauerit, difficilius dictu videtur. Scite quidem Erneſtius in Clau. Cic. locum attulit Plinii H. N. 35, 10. vbi Parrhaſius in *extremis lineis* palmam adeptus dicitur, quae ſit in pictura ſumma ſubtilitas; neque ego intercesſerim, ſi quis ex hoc Plinii loco illa Ciceronis extrema lineamenta explicare malit. Sed tamen ex ipſis Ciceronis verbis euinci non poteſt, eum Parrhaſii illas lineas in mente habuiſſe, cum illa ſcriberet. Simplicius fortaſſe fuerit, his *lineamentis extremis* eundem ſenſum tribuere, quem cogitare ſolemus, ſi quem *ſummam* vel *extremam manum* operi admouiſſe legimus, vt apud ipſum Cic. Brut. 33. de L. Graccho: *manus extrema* non accedit operibus eius: praeclare inchoata multa, perfecta non recte. Atque, ſi metaphoram ex arte pictoria vel etiam ſtatuaria ſumtam tenemus, quid quaeſo in extrema manu pictoris aut ſculptoris cogitare poſſumus, praeter lineamenta quaedam, quibus ille, quae deſint in opere, vel expleat, vel ſi quae ſuperſint, obruat, vel nonnulla leuiter mutet, et quaecunque alia perficiendi et abſoluendi operis artificia ſint: *die letzten Pinſelſtriche, das lezte Meiſselſpiel des Meiſters, wodurch das Kunſtwerk ſeine Vollendung erhält.* Similia his poſtea vidi Strebaeo in mentem veniſſe, cuius auctoritatem non parui pendendam exiſtimaui. Is igitur in Commentariis ad h. l. haec adnotauit: „*Numerus extrema lineamenta orationi attulit*, hoc eſt, orationi fuſae et veluti in ſtatuam conflatae addidit expolitionem. Quemadmodum fuſores puluere deterſo, ſqualore metalli deiecto, extrema ducunt lineamenta: ſic oratio natura conflata, ſenſim depoſuit ſqualorem, tandemque numerum recepit." Haec Strebaeus. — Quicquid ſit, *extrema lineamenta addere*, ipſum haud dubie τεχνικὸν fuit; ſed ex cuiusnam artis officina id fuerit a Cicerone hauſtum, pictoriae, ſtatuariae, an fuſoriae aliusue, nemo certius ipſo Cicerone dixerit.

Liqui-

Liquidus.

Cicero Or. 2, 38. rationem dicendi oratoriam cum Dialectica ita comparat, vt in illa eſſe dicat genus orationis *liquidum*, *fuſum* et *profluens*, in hac exile, aridum, conciſum et minutum. Nempe oratoris eſt, perpetua oratione, eaque concinna, ornata, et copioſa vti: Dialectici autem, qui in diſputando, quaerendo et reſpondendo, et vt Stoici inprimis, paruis contortisque concluſiunculis maxime occupabantur, nihil iſtorum ornamentorum adhibebant; vnde fiebat oratio exilis et conciſa. vid. quae ad vocc. *Dialectica*, et *Exilis* dicta ſunt. — In Bruto autem 78. *liquidum* in oratione dicere videtur, quo ſit oratio pura. Ibi enim ita de Calidio: „Oratio eius ita *pura* erat, vt nihil *liquidius*."

Locus.

Duo ſunt genera *locorum*, quorum vis ex vſu Rhetorum technologico cognoſcenda eſt. Alii enim *loci argumentorum*, alii *loci communes* dicuntur. In priori genere Latini ſecuti rationem diſciplinamque Ariſtotelis, qui, vt Cicero ait in Orat. 14. *locos* (τόπȣς enim appellauit) quaſi argumentorum notas tradidit, vnde omnis in vtramque partem traheretur oratio. De his locis cum in Lib. 2. de Orat. 30. ex inſtituto agitur, vbi Cap. 34. *capita*, et *regiones*, intra quas perueſtiges, quod quaeras; Cap. 39. *ſedes* et *domicilia*, Cap. 41. *notae;* Libro autem 1, 21. *rerum, quae ad dicendum pertineant, fontes* nominantur: tum in Topicis ad Trebatium ex τοῖς τοπικοῖς Ariſtotelis expreſſis, vberior inſtitutio reperitur. Ibi Cap. 2. haec ſunt: „cum inueſtigare aliquod argumentum volumus, *locos* noſſe debemus: ſic enim appellatae ab Ariſtotele ſunt hae quaſi *ſedes, e quibus argumenta promuntur*. Sed ex his locis, *in quibus argumenta incluſa ſunt*, alii *in eo ipſo, de quo agitur, haerent:* alii aſſumuntur *extrinſecus*. In ipſo, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex his rebus, quae quodammodo affectae ſunt ad id, de quo quaeritur. Hae affectiones cernuntur in coniugatis, genere, forma, ſimilitudine, antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus, cauſis, effectis, comparatione maiorum, minorum aut parium. *Extrinſecus* autem dicuntur argumenta aſſumi, cum maxime

ex auctoritate ducuntur; Graecisque eae argumentationes dictae ſunt ἄτεχνοι, artis expertes; quo pertinet v. c. teſtimonium. His igitur locis, Cicero inquit ibidem Cap. 4. tanquam *elementis* quibusdam (nam Ariſtoteles τὰ στοιχεῖα dixerat, de quibus vid. Lex. gr. techn.) *ad omne argumentum reperiendum demonſtratio datur.* In Partit. Or. Cap. 2. locos illos vel *inſitos*, vel *aſſumtos* et *remotos* appellat, verba varians, rem ſeruans, vt ſaepe fieri a Cicerone vbertatis et varietatis cauſa ſolet.

Quintilianus 5, 10. 20. „*Locos* appello, inquit, ſedes argumentorum, in quibus latent, et ex quibus ſunt petenda. Nam non omne argumentum vndique venit, ideoque non paſſim quaerendum eſt. Argumenta ducenda ſunt 1) a *perſona*, in qua conſiderari poteſt, genus, natio, aetas, patria, ſexus, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, victus, ſtudia, ante acta vel dicta, commotio, h. e. temporarius animi motus, conſilia, nomen. 2) a *rebus*, vbi quaeritur, vbi, quando, quomodo, per quae facta ſint quaeque: ergo a cauſis, locis, tempore, facultatibus, modo, finitione, genere, ſpecie, differentibus, propriis, remotione, diuiſione, initio, incrementis, ſumma, ſimilibus, disſimilibus, pugnantibus, conſequentibus, efficientibus, effectis, euentis, iugatis, comparatione, quae iterum in plures diducitur ſpecies. Ducuntur etiam argumenta, non ex confeſſis ſolum, ſed et a fictis, quae Graeci dicunt καθ᾽ ὑπόθεσιν, de quibus vid. Lex. gr. techn.

De *locis* autem *communibus* Cicero Or. 3, 27. haec notat: „Loci illi, qui quanquam proprii cauſarum, et inhaerentes in earum neruis eſſe debent, tamen quia de vniuerſa re tractari ſolent, *communes* a veteribus nominati ſunt: quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incuſationem, aut querelam, contra quam dici nihil ſolet, nec poteſt, vt in depeculatorem, in proditorem, in parricidam: alii autem habent deprecationem aut miſerationem· alii vero ancipites disputationes, in quibus de vniuerſo genere in vtramque partem disſeri copioſe licet.“ In Bruto Cap. 12. tradit Protagoram ſcripſiſſe *rerum illuſtrium disputationes*, quae ſuo tempore *communes loci* appellentur. cf. Quintil. 3, 1. Idem tamen

Lib.

Lib. 5, 1. *locos communes* dixiſſe videtur, ſedes illas argumentorum, quos τόπȣς Ariſtoteles dixerat. cf. Cic. de Inuent. 2, 15. vbi notanda ſunt inprimis, quae de argumentationum et locorum communium tractandorum discrimine praecipit: *Omnes loci communes ex iisdem praeceptis ſumuntur, quibus ceterae argumentationes: ſed illae tenuius, et acutius et ſubtilius tractantur; hi autem grauius et ornatius, et cum verbis, tum etiam ſententiis excellentibus. In illis enim finis eſt, vt id quod dicitur, verum eſſe videatur: in his, tametſi hoc quoque videri oportet, tamen finis eſt amplitudo;* et Quintil. 2, 1. 11. et 4, 22. vbi ad vitia *communes locos* reſtringit, iisque Theſes opponit, quae ex rerum comparatione ſumantur, vt, *ruſticane vita, an vrbana potior? iurisperiti, an militaris viri laus maior?* — Georg. Trapez. Rhet. Lib. 1. p. 16. „*Communis locus* eſt, inquit, qui ab his. quae aut antecedunt, aut conſequuntur rem, aut quae in geſtione negotii ſunt, vel augent peccati atrocitatem, vel conqueſtione miſericordiam captat *Communis* ideo appellatus eſt, quia, quamvis contra hunc vel illum dici videatur, tamen ad vniverſos eiusdem criminis reos efferatur neceſſe eſt.“

Loquacitas.

Loquacitas, quae ſit, et quibus veluti ſignis ſe oſtendat, bene deſcripſit Quintil. 8, 2. 17. „Eſt in quibusdam, inquit, *turba inanium verborum*, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti ſpecie nitoris, *circumeunt omnia copioſa loquacitate, quae dicere volunt:* ipſam denique illam ſeriem cum alia ſimili iungentes, miſcentesque, vltra quam ſpiritus durare poſſit, extendit.“ Hinc affinis eſt μακρολογία Graecorum, h. e. longior, quam oporteat ſermo, vt interpretatur Quintil. l. c. Cap. 3, 53. Luculentae etiam inprimis metaphorae ſunt, quibus Gellius N. A. 1, 15. futiles locutores deſcribit, qui *nullo pondere rerum innixi verbis tumidis et lapſantibus diffluunt.* Totus iſte locus plenus eſt et notarum, quae loquacitatem inſigniant, et metaphorarum, quae iſtud orationis vitium acrioribus coloribus depingant.

Lumen.

Lumina, quibus oratio diſtinguitur, figurae illae et exornationes dicuntur, quibus dignitas et pulcritudo orationi conciliatur. Auctor Herenn. 4, 23. cum de

 vitio

vitio, ex crebro figurarum quarundam vſu, expoſuiſſet, *ſi raro*, inquit, *has interſeremus exornationes, et in tota cauſa varie diſpergemus, commode* luminibus *diſtinctis illuſtrabimus orationem.* Itaque Cic. Or. 3. Cap. 6. quem verborum *ornatum* dixerat, mox *lucem* appellat, ibidemque orationem *ornare* et *illuminare*, vt ſynonyma coniunctim dicit. cf. Cap. 25. vbi verborum et ſententiarum flores, inſignia quaedam et *lumina* orationis eſſe dicuntur. Capite autem 52. cum docuiſſet, *luminibus* quaſi diſtinguendam et frequentandam orationem eſſe ſententiarum et verborum, ſequitur longus talium luminum recenſus, quae alias figurae, *σχήματα* Graecis dicuntur. vid. Cic. Brut. 79. et cf. Iſocratis Panath. p. 684. ed. Wolf. vbi *ἰδέας τὰς ἐν τοῖς ῥητωρείαις διαλάμπουσας* appellat. In Oratore autem Cap. 39. de vi ornandi, quam figurae praeſtent, ita diſputat: „Sunt ſimilia iis, quae in amplo ornatu ſcenae, aut fori appellantur inſignia: non quod ſola ornent, ſed quod excellant. Eadem ratio eſt horum, quae ſunt orationis *lumina*, et quodammodo inſignia etc. — Quintilianus etiam Lib. 8, 4. *lumina* orationis, ſententias inſignes appellat, quibus oratio diſtinguatur, vt veluti oculi ſint eloquentiae, qui vt non ſunt per totum corpus ſparſi, ita et illa lumina rara eſſe oporteat. Gellius autem N. A. 10, 3. loco Ciceronis ornato inſignibus dicendi formis, *lucem*, et amoenitatem, et verborum modificationem tribuit, eique Gracchi orationem opponit, vmbram et colorem quaſi opacae vetuſtatis habentem, eandemque incomtam et breuem et non operoſam.

Propria vero vocis ſignificatio ſeruatur in aliis locis, in quibus *lumen* orationi tribuitur, cum eſt plana, dilucida, vt ex ea res ipſae cognoſci et intelligi poſſint, eique contraria *obſcuritas*, vel *tenebrae* commemorantur: quo ſenſu et *τὸ φῶς* a Graecis dictum in Lex. gr. techn. docuimus. cf. Cic. 3, 13. et 40. et inprimis Cap. 5. „Cum omnis ex re atque verbis conſtet oratio, neque verba ſedem habere poſſunt, ſi rem ſubtraxeris, neque res *lumen*, ſi verba ſemoueris.“

M.

Magnificentia.

Graecis *μεγαλοπρέπεια* dicta, eſt, qua ſe ſupra modum tollit oratio, definiente Quintil. 4, 2. 61. vbi negat

gat hanc orationis virtutem in narratione locum habere, quoniam multae cauſae ſint, in quibus confitendum, excuſandum, ſubmittendumque ſit, a quibus omnibus aliena ſit magnificentia. Nempe cum confitemur peccata, vel excuſamus, rei natura poſtulat, vt mollior, ſollicita et verecunda ſit oratio noſtra. Ergo in magnificentiam non niſi grauitas et confidentia et audacia quaedam cadit, quam et rebus et verbis declaremus. vid. *Sublimis.*

Magnitudo.

Huius vocabuli vſus τεχνικὸς apud Latinos non niſi in ea diſciplinae rhetoricae parte reperitur, quae de vocis humanae et pronuntiationis virtutibus exponit. Illi igitur, vt Graeci τὸ μέγεθος, ita *magnitudinem* voci tribuerunt, quae robore naturali inſtructa eſſet, *eine ſtarke, kraftvolle Stimme.* Sic Auct. Herenn. 3, 11. vbi figura vocis in tres partes diuiditur, *magnitudinem*, firmitudinem, et mollitudinem. *Magnitudinem vocis*, inquit, *maxime comparat natura, nonnihil adauget, ſed maxime conſeruat cura.* Eodem ſenſu Cicero de Orat. 3, 8. in Sulpicio pleniſſimam et *maximam* vocem laudat; eique adeo contrariam, quae ſit exilis et debilis, *paruam* dicit Lib. 3. de Or. Cap. 57. cf. Cap. 56. et 57. et Brut. 66. vid. Lex. gr. techn. in voc. μέγεθος. — Eandem *vocis felicitatem* appellat in Trachallo oratore Quintilianus 10, 1. 119. coll. 12, 5, 6. vbi illam ita deſcribit, vt appareat ſummam magnitudinem et robur notari. Libro tamen 11, 3. 40. a *magna* voce, *beatam* diſtinguit. vid. voc. *beatus.*

Malus.

Mala definitio, in argumentando quae adhibeatur, Ciceroni Inuent. 1, 49. dicitur, quae aut communia deſcribit, aut falſum quiddam dicit, aut aliquid non graue nec magnum continens. *Mala* verba, quae eſſent, ad voc. *bonus* notauimus.

Manifeſtus.

Quintilianus 1, 6. 38. praecipit, verba a vetuſtate repetita, vt neque crebra ſint, neque *manifeſta*, quia nihil odioſius ſit affectatione. Itaque *manifeſta* nunc dicuntur, quae ſtudio quaeruntur, et oſtenduntur. Simili

mili ſenſu Cicero paſſim *aperta* reprehendit. Haec etiam *confeſſa* dicit Quintil. 8, 3. 13. vbi praecipit, in cauſis veris, et orationibus forenſibus ornatus ne ſit *confeſſus*, h. e. affectatus, ſtudio quaeſitus, et ad oſtentationem comparatus. Deinde *manifeſta* etiam dicuntur, quae Graecis τὰ ἐνεργῆ, tanta perſpicuitate explicata et deſcripta, vt veluti in ſenſus et oculos incurrant. v. Quintil. 8, 3. 70.

Maturitas.

In maturitate cum abſolutionis cuiusdam et perfectionis notio ineſſet, Rhetores hanc metaphoram arripuerunt, vt *maturitatem* iis ſcriptoribus tribuerent, qui in ſumma grauitate et ceteris dicendi virtutibus, ſeſe ita liberos praeſtarent a vitiis propinquis, vt nec in vbertate et copia nimis exultarent, nec in ſubtilitate exiles eſſent, nec in lepore ſcurriles, nec in diligentia moleſti, ſed in omni genere orationis artis ſuae quandam firmitatem et vſus confidentiam declararent: *feſte, ſolide, mit Gewiſsheit und bewährter Erfahrung arbeitende Künſtler in der Beredtſamkeit, die vermöge dieſer Feſtigkeit alle die Klippen glücklich zu vermeiden im Stande ſind, an welchen weniger geübte und vollendete Künſtler anſtoſsen und ſcheitern.* Duo inprimis loca ſunt Macrobii et Ciceronis, vnde, quid in illo vocabulo veteres illi cogitauerint, collatione facta intelligi poſſit. Macrobius Saturn. 5, 1. „Sunt praeterea, inquit, ſtili dicendi duo, diſpari moralitate diuerſi. Vnus eſt *maturus* et *grauis*, qualis L. Craſſo adſignatur: alter huic contrarius, ardens et erectus et infenſus, quali vſus Antonius. „Iam de eodem Craſſo Ciceronem audiamus in Bruto Cap. 38. „Equidem, inquit, quanquam Antonio tantum tribuo, quantum ſupra dixi, tamen Craſſo nihil ſtatuo fieri potuiſſe *perfectius*. Erat ſumma grauitas: erat cum grauitate iunctus facetiarum et vrbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos; latine loquendi accurata, et ſine moleſtia diligens elegantia.“ Itaque et Auctor Dial. de corr. Eloq. Cap. 26. in Craſſo *maturitatem* laudat. Et Quintil. 12, 10. 11. Afro *maturitatem* tribuit. cf. Plin. Lib. 4. epiſt. 22. vbi itidem *mature* et *grauiter* iuncta reperies.

Medio-

Mediocris.

Figura mediocris (μέσος χαρακτὴρ, ἡ μεσότης) Auctori Herenn. 4, 5. eſt illud genus elocutionis, quod conſtat ex humiliore, neque tamen ex infima et peruulgatiſſima verborum dignitate. *Modicum* genus orationis appellat Cic. Or. 21. quoniam inter ſubtilitatem et vehementiam oratoriam, mediam quandam viam tenet, maximeque in delectando ineſt. Talis mediocritatis imaginem deſcribit Cap. 27. in cuius fine haec addit: *hoc totum e Sophiſtarum fontibus defluxit in forum, ſed ſpretum a ſubtilibus, repulſum a grauibus, in ea, de qua loquor, mediocritate conſedit.* Eius generis deſcriptio vniuerſa illo in loco haec eſt: „Vberius eſt aliud, aliquantoque robuſtius, quam hoc humile, de quo dictum eſt: ſummiſſiusque autem, quam illud ampliſſimum. Hoc in genere, neruorum vel minimum, ſuauitatis autem eſt quam plurimum. Eſt enim plenius, quam hoc enucleatum, quam autem illud ornatum copioſumque, ſummiſſius. Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, plurimumque eſt, in hac orationis forma, ſuauitatis.“ Itaque etiam *temperatum* hoc genus dicendi aliis in locis Rhetores dicere ſolent; et Cicero quidem l. c. Cap. 27. cf. Cur. Fortunat. Rhet. p. 73. vbi huic *medio* generi contrarium facit *tepidum* ac *diſſolutum*, hoc eſt, veluti *enerue*. Haud dubium videtur, in *tepido* eandem metaphorae vim eſſe, quam nos ſequimur, cum de ſimilis vitii rebus aut hominibus dicimus: *ſie ſind weder kalt noch warm.* Itaque eandem metaphoram ſecutus Auctor Dial. de corr. Eloq. Cap. 21. Bruti libris quibusdam *lentitudinem* et *teporem* tribuit: vbi Schulzius recte *teporem* ita explicat, vt nulla vis, nullus calor affectus orationi ineſſe, oratio raro incaleſcere, ſignificetur. Sic Quintil. 6, 1. 44. de lacrymis mouendis, „vt eſt longe valentiſſimus, inquit, hic, cum inualuit, affectus, ita, ſi nihil efficit, *tepet.*“ Gellius N. A. 7, 14. ſine metaphora, iis, qui mediocri dicendi genere vtantur, contrario vitio peccantes, *incertos*, et *ambiguos*, opponit.

Meditatio.

Quam Graeci μελέτην dixere, declamandi rationem, quae exercitationis cauſa in ſcholis Rhetorum inſtitui ſolebat, Quintilianus *meditationem dicendi* appellat

lat Lib. 2, 10. „Pauca mihi, inquit, de ipſa declamandi ratione dicenda ſunt: quae quidem, vt ex omnibus nouiſſime inuenta, ita multo eſt vtiliſſima. Nam et cuncta illa, de quibus diximus, in ſe fere continet, et veritati proximam imaginem reddit: ideoque ita eſt celebrata, vt plerisque videretur ad formandam eloquentiam vel ſola ſufficere. Neque enim virtus vlla perpetuae duntaxat orationis reperiri poteſt, quae non ſit cum hac *dicendi meditatione* communis.“

M e m b r u m.

Auctori Herenn. 4, 19. *membrum* orationis appellatur res breuiter abſoluta ſine totius ſententiae demonſtratione, quae denuo alio membro orationis excipitur. Quintilianus autem Lib. 9, 3. 98. contra hunc auctorem, *membrum* ſchema eſſe omnino negat. cf. Lex. Gr. techn. in *κῶλον*. Cic. Brut. 44. et Orat. 62. vbi, cum docuiſſet, quibus in locis ambitu verborum numeroſo et periodica dictione vtendum ſit, *cum ſis his locis vſus*, inquit, *quibus oſtendi licere*, *transferenda tota dictio eſt ad illa*, *quae neſcio cur*. *cum Graeci κόμματα et κῶλα nominent, nos non recte* inciſa et membra *dicamus*. Exemplum membratim alicuius dicti attulit Cap. 67. *incurriſti amens in columnas: in alienos inſanos inſaniſti.* Ab his enim ibidem diſtinguuntur, quae *inciſa* dici ſolent, de quibus alio loco diximus. Quintiliano 9, 4. 123. *membrum* eſt ſenſus numeris concluſus, ſed a toto corpore abruptus, et per ſe nihil efficiens. Aquilae Rom. de Figg. p. 17. pars orationis ex pluribus verbis abſolute aliquid ſignificans.

M e m o r i a.

In virtutibus oratoris, vt a Graecis *μνήμη*, ita Rhetoribus Latinis *memoria* ponitur, hoc eſt, firma animi rerum et verborum et diſpoſitionis perceptio. Sic definit Auct. Herenn. 1, 2. et 3, 16. vbi vberius de memoria oratoris exponitur. Hinc *memores* ibidem ſimpliciter dicuntur, illa memoria praediti a natura oratores. Eadem definitio eſt apud Cic. de Inu. 1, 7. et de Orat. 2, 86. cf. Quintil. 11, 2. Artem quandam memoriae mature inuentam fuiſſe apud Graecos, inde etiam intelligi poteſt, quod Cic. Acad. 4, 1. narrat aliquem Themiſtocli pollicitum, ſe artem ei m moriae traditurum. vid. quae diximus ad voc. *imago.*

Meta-

Metaphora. vid. *Tranſlatio.*

Metonymia.

Nominis pro nomine poſitio eſt, auctore Quintil. 8, 6. 23. Eius vis eſt, pro eo, quod dicitur, cauſam, propter quam dicitur, ponere. Quam *μετωνυμίαν* Grammatici dixerint, eam ὑπαλλαγὴν Rhetores vocare, innuit Cicero Or. 27. vbi *Africam* Ennius pro *Afris*. vid. Cic. Or. 3, 42. vbi *traductionem* et *immutationem* dicit. Ei tropo, iudice Quintiliano, etiam cum ſynecdoche, quaedam vicinia eſt. vid. voc. *disiunctio.*

Mimicus.

Iocus *mimicus* eſt nimia ex imitatione ſubobſcoenus, in quo licentia iocandi ita euagatur, vt elegantia pereat, et relinquantur ea, quae et frigore et dedecore ſuo animos offendant. Ideoque iſte iocus in vitio ponitur, vbi de facetiis et ridiculo, quo vti orator poſſit, ſermo eſt. vid. Cic. Or. 26. inprimis autem de Orat. Lib. 2, 59. vbi et haec addit: *Mimorum eſt ethologorum, ſi nimia eſt imitatio, ſicut obſcoenitas. Orator ſurripiat oportet imitationem, vt is, qui audiat, cogitet plura, quam videat.* cf. Cap. 67. et 68.

Minutus.

Cum grauitas et vis oratoris, proprie ſic dicti, ex veterum ſententia hoc maxime flagitet, vt quaecunque dicat, et rebus et verbis et ſententiis, ampla, plena, copioſa, et quodammodo magna ſint, hinc factum eſt, vt in generibus dicendi et ſcribendi *minuta* Rhetores dicerent, quae haberent tenuitatem, ſubtilitatem, vel exilitatem, magis elegantiae et concinnitati Sophiſtarum et Philoſophorum, quam grauitati et amplitudini oratoriae aptam. Huc pertinent loca Ciceronis in Bruto Cap. 83. vbi *fracta* et *minuta*; et in ipſa concinnitate puerilia iunguntur; et Cap. 84. vbi *minuta ſubtilitas* commemoratur eodem ſenſu. Quare et in Or. 44. *minuta conſtructio* verborum dicitur, qua quis tam diligenter et operoſe vtatur, vt plane nihil in verbis hiulcum aut durum reperiatur, et veluti, vt in Albucio Scaeuola exagitabat, *lepide lexeis compoſtae ſint, vt teſſerulae omnes arte pauimento atque emblemate vermiculato;* qui cum infinitus, tum puerilis labor iudicatur. —

Deinde

Deinde Or. 23. *minuta* periodis opponuntur; et de Orat. 2, 38. Diogenis Stoici eloquentiam ita deſcribit: „genus ſermonis affert non liquidum, non fuſum ac profluens (hoc ſcil. oratoris copia et amplitudo poſtulabat) ſed exile, aridum, conciſum et *minutum:* quod ſi quis probabit, ita probabit, vt oratori tamen aptum non eſſe fateatur.“

Mixtura.

Quintilianus 8, 2. 14. *mixturam* appellat perturbatam illam verborum collocationem, quam Graeci *σύγχυσιν*, *confuſionem* Rhetores Latini alii dixerunt. Itaque, quoniam eſt ſpecies *τȣ̃ ὑπερβάτȣ*, contraria eſt perſpicuitati, magis tamen apud poetas, quam proſaicos ſcriptores locum habet.

Modificatus.

Modificata membra orationis vel periodi, dicuntur, quae numeroſa quadam in proportione et apta relatione collocantur, ita v. c. vt vel paria ſint extrema primis, vel etiam extrema longiora. Nam ſi extrema breuiora ſunt, caret periodus apto numero, quoniam iniucunda auribus eſt haec in fine repentina abruptio. Hoc, quod vltimum dixi, Cicero Or. 3, 48. ita expreſſit: *infringitur ille quaſi verborum ambitus, das Ende des Perioden ſchnappt, auf eine die Ohren beleidigende Art, ab.* vid. Lex. gr. techn. in voc. *προσπταίειν*. Nempe *modus* ſimpliciter apud Ciceronem dicitur, de numero et concinnitate quadam, quae in nonnullis formis orationis, vel *σχήμασι*, cernitur, vt, ſi paria paribus referuntur, et ſimilibus. Locus de ea re claſſicus eſt in Bruto, Cap. 40. vbi cum de Craſſo his ſententiis vſus eſſet: *Craſſus erat elegantiarum parciſſimus, Scaeuola parcorum elegantiſſimus: Craſſus in ſumma comitate habebat etiam ſeueritatis ſatis: Scaeuolae multa in ſeueritate non deerat tamen comitas:* in quibus ſententiis vtique ex pari membrorum relatione concinnitas quaedam et numerus eſſet, ſtatim ita pergit: *licet omnia hoc modo*, h. e. poſſem pluribus ſententiis ita concinnatis et veluti modificatis Craſſum laudare, *ſed vereor, ne fingi videantur haec, vt dicantur a me quodam modo*, h. e. vereor, ne videar laudes Craſſi fingere propterea, vt eas poſſim tam concinne et numeroſe enuntiare,

tiare, veluti horum pigmentorum occaſionem hanc captans. Saepe etiam *modum* et *numerum* ſynonymice iungit, vt Brut. 8. cf. Orat. 3, 44. et 48. — Poetae, vbi verſus ſuos vel carmina ſignificare volebant, *modos* et *numeros* nominabant, vnde ad Rhetores loquendi conſuetudo traducta eſſe videtur. vid. Ouid. Faſt. 6. 22. et 24. Triſt. Lib. 4, 10. 24. ſeqq. et alibi ſaepe. *Modificatio* autem verborum, quam Gellius 10, 3. in Ciceronis aliquo loco vehementiae et affectus pleno praedicat, in artificioſa orationis forma et copioſa ſententiarum verborumque varietate cernitur: nam illi incomta et breuis et non operoſa oratio opponitur.

Modus.

vid. *Immutationes*, et *Modificatus.*

Moeſtitia.

Moeſtitia in elocutione Ciceroni Or. 16. dicitur ſeueritas illa et duritas verborum, quae orationem aſperam, grauem, auribusque iniucundam reddit, contraria illi *lenitati* et *aequabilitati*, quae reſpuit, quicquid in verbis inſolens, impurum, aſperum, hiulcum et abſonum eſt. Similis fere metaphora eſt, quamuis alium fontem habens, qua Gellius N. A. 13, 2. *duriora* et *acerbiora* in oratione dicit, iisque mitia, iucunda, mollia opponit. vid. *Acerbus. Triſtis. Horridus.*

Mollitudo.

Peculiaris Auctori Herenn. 3, 11. loquendi conſuetudo eſt, qua *mollitudinem* vocis, eam pronuntiationis virtutem appellat, quae efficiat, *vt vocem torquere in dicendo, pro noſtro commodo, poſſimus: Geſchmeidigkeit, Gewandheit der Stimme.* Itaque eam diuidit in *ſermonem, contentionem, amplificationem.* Luculenter autem, quam ſibi *mollitudinis* illius notionem informaverit, Cap. 14. his declarat: „cum ſermo in narratione eſt, tum *vocum varietate* opus eſt, vt, quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari videatur. Strenue quod volumus oſtendere factum, celeriuſcule dicemus, at quod otioſe, retardabimus. Deinde modo acriter, tum clementer, moeſte, hilariter, in omnes partes commutabimus, vt verba, ita pronuntiationem.“ Idem haud dubie cogitauit Cicero, cum de Orat. 1, 5. actionem,

vocis conformatione ac varietate moderandam dixit. Vbi vero de vitio vocis ſermo eſt, *molli voce*, fracta, debilis, effeminata, et grauitati contraria, declaratur. vid. Cic. Or. 3, 11. et Quintil. 11, 3. 32. *Mollis* in geſtu, qui ſit, expoſuimus in voc. *Solutus* et *Saltare*.

Ipſi autem elocutioni cum *mollitudinem* vel *mollitiem* tribuerunt Rhetores, genus illud dicendi ſignificarunt, quod in verbis venuſtam lenitatem, in ſententiis vero et omni habitu et colore ſuo quandam tranquillitatem ex affectus vehementiaeque inopia prae ſe ferret, eſſetque ſeueritati et acri grauitati elocutionis oratoriae vel forenſis oppoſitum. Hoc ſenſu Cicero in Bruto 35. *molle* et Xenophonteum ſermonis genus, hoc eſt, lene, tranquilla quadam venuſtate et elegantia profluentis orationis, commemorat: et Cap. 78. *mollem* et *pellucentem* orationem Calidii laudat, *quae ita pura fuiſſet, vt nihil liquidius, ita libere flueret, vt nusquam adhaereſceret.* Hinc philoſophorum oratio *mollis* dicitur in Orat. 19. hoc eſt, ſedatior, et omnis vehementiae illius, quam affectus et conſilium oratoris forenſis poſtulat, expers. Hic eſt λόγος ἀφελής, quem Ariſtides appellat, et a πολιτικῷ luculento discrimine diſtinguit. vid. Lex. gr. techn. in ἀφελής, et infra voc. *Sermo*, vbi totum Ciceronis locum adſcripſimus. Georgius etiam Trapezunt. Lib. 5. Rhet. p 81. b. Ciceronem, vt ait, ſecutus, *quictum* genus dicendi a *forenſi* ita ſeparat, vt illud ad philoſophiam et hiſtoriam, hoc ad iudicia, deliberationes et conciones pertineat. Ceterum Latinos *molle* et *mollitiem* dixiſſe, vbi tranquillitatem et ſedatiorem motum ſignificare vellent, ita vt *molles vndas*, *mollitiem maris*, et ſimilia, quae concitatis fluctibus et tempeſtati oppoſita eſſent, adhiberent, docte expoſuit Bergerus de nat. pulcr. Or. p. 374. ſqq.

Mores. Moralis. vid. *Affectio.*

Mutatio.

Hac voce Quintilianus 9, 3. 92. interpretatur, quam Rutilius p. 7. Pith. ἀλλοίωσιν vocat, figuram elocutionis, qua disſimilitudo hominum, rerum, factorumque oſtendatur; eamque, ſi latius ſiat, figuram non eſſe, ſi anguſtius, in ἀντίθετον cadere, iudicat.

Narra-

N.

Narratio.

Apud Auctorem Herenn. 1, 3. narrationis haec definitio eſt: *narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde vt geſtarum expoſitio.* Eadem extat alio loco Lib. 3, 13. vbi tamen de pronuntiatione ſermo eſt, et de vocis modo, quem in narrando adhibere orator debeat: *der Erzählungston, der Geſchichtston.* De his Iodoc. Vuillichius de Pronunt. Rhetor. p. 14. haec adnotat: „Narratio altera orationis pars, vocem quoque ſermoni proximam habet: attamen apertiorem, quam in exordio. Eadem vero eſt varia, iuxta qualitatem facti vel affectuum, veluti ſi ſtrenue quid factum fuerit, celeriuſcule in hypate μεσῶν: ſi ignaue, tardiuſcule in parhypate hypatῶν: ſi acriter, acriter in hypate μεσῶν, aut paulo altius: ſi clementer, clementer bona ex parte pronuntiandum eſt in lichano." A Cicerone Inu. 1, 19. tria narrationis genera commemorantur, vnum, in quo ipſa cauſa, et omnis ratio controuerſiae continetur, h. e. ſtatus cauſae, quem vulgo dicunt, expoſitio; alterum, in quo digreſſio aliqua extra cauſam, aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis non alienae ab eo negotio, de quo agitur, aut amplificationis cauſa, interponitur. Tertium genus eſt remotum a ciuilibus cauſis, quod delectationis cauſa, non inutili cum exercitatione dicitur aut ſcribitur. Cum his conferenda ſunt, quae in Lex. gr. techn. ad vocc. κατάστασις, et διήγησις diximus. Quintiliani 4, 2. 37. haec definitio eſt: *narratio eſt rei factae aut vt factae vtilis ad perſuadendum expoſitio.* Et cum in nonnullis cauſis ita neceſſaria ſit narratio, vt ab ea recte inſtituta, vis probationis ſequentis et argumentorum quam maxime pendeat, hanc vtriusque coniunctionem Quintilianus mox §. 79. ita declarat: *Quid inter probationem et narrationem intereſt, niſi quod narratio eſt probationis continua propoſitio, rurſus probatio narrationi congruens confirmatio?* — *Repetita narratio*, quam Graeci ἐπιδιήγησιν dixerunt, commemoratur Quintiliano l. c. §. 128. ideo reperta, vt, quia narratio breuis eſſe debet, fuſius et ornatius res poſſet exponi, quod fit vel inuidiae gratia, vel miſerationis. Ceterum, qui vti ἐπιδιηγήσει volet, narrationis loco rem ſtringat, et

 plenius

pleniuſ ſuo loco expoſiturum eſſe promittat. Curius Fortunat. Rhet. p. 63. ex Graecis Rhetoribus quinque narrationum genera adfert: *directum*, *conuerſum*, *conuincens*, *ſolutum*, *comparatiuum*. Georg. Trapezunt. Lib. 1. Rhet. p. 5. ed. Ald. tria: *ciuile*, *digreſſorium*, *remotum*. *Ciuile* eſt, quo exponimus rem geſtam, et vnumquodque trahimus ad vtilitatem noſtram: *degreſſorium*, quod habet degreſſionem aut criminationis, aut delectationis, aut fidei, aut apparitionis cauſa. *Remotum*, quod a ciuili cauſa ſeiunctum eſt, et delectationis cauſa, non ſine vtili exercitatione, dicitur aut ſcribitur. Haec omnis distributio hauſta eſt ex Ciceronis Inuent. 1, 19. quam tamen Trapezuntius ille ſuo modo, hoc eſt, aliis verbis expreſſit.

Natiuus.

Verba *natiua* Cicero Partit. Or. 5. appellat, *quae ſint ſignificata ſenſu*, h. e. vt bene explicauit Geſnerus ad Quintil. 8, 3. 36. quae ſenſus communis hominibus indicauit, et *quae paene vna cum ipſis rebus nata ſunt*, vt loquitur Cic. Or. 3, 37. His opponit ibidem *reperta*, quae ex illis facta ſunt, et nouata aut ſimilitudine, aut imitatione, aut inflexione et adiunctione verborum.

Neceſſarius.

Rhetores Latini in ratione dicendi *neceſſaria* appellant, quae ad praecipuum dicendi conſilium pertinent, et ſine quibus orator munus ſuum explere non poteſt. Tale eſt, vt orator ſciat, *quid dicat, et quo quidque loco dicat*, *vt argumentorum et rationum locos habeat*, quemadmodum praecipit Cic. Orat. 14. Haec etiam a Graecis τὰ ἀναγκαῖα dicta ſunt, de quibus copioſe expoſuimus in Lex. gr. techn. Cetera autem, quae ad elocutionis formam et ornatum pertinent, quamuis ſunt valde vtilia, tamen veluti acceſſoriae virtutes habentur, Graecis etiam ἐπίθετοὶ ἀρεταί dictae. Sic Cicero l. c. Cap. 21. vbi tria oratoris ciuilis munera commemorat, vt probet, delectet, flectat, *probare*, inquit, *neceſſitatis eſt*. Itaque *neceſſariis* oppoſita ſunt *aſſumta* ad ornandum. In narratione, vt dilucide probabiliterque narremus, *neceſſarium* eſt; ſed *aſſumimus* etiam ſuauitatem, inquit Cic. Partit. Or. 9. Adſcribamus locum inſignem Montani Votieni Rhetoris,

quem

quem adfert Seneca Controu. Lib. 4. praef. Ibi rationem, cur ne exercitatus quidem declamet, his verbis reddit: „Qui declamationem parat, ſcribit, non vt vincat, ſed vt placeat. Omnia itaque lenocinia conquirit: argumentationes, quia moleſtae ſunt, et minimum habent floris, relinquit: ſententiis, explicationibusque audientes delinire contentus eſt. Cupit enim ſe approbari, non cauſam. Sequitur autem hoc vsque in forum declamatores vitium, vt *neceſſaria* deſerant, dum ſpecioſa ſectantur." cf. Quintil. 5, 12. vlt.

Negotialis.

Conſtitutionis generalis, quae vocatur, duae partes ſunt, *negotialis* et *iuridicialis* (*πραγματική*, et *δικαιολογική*). *Negotialis* eſt, quae in ipſo negotio iuris ciuilis implicatam habet controuerſiam. Sic Cic. de Inuent. 1, 8. et 2, 21. cf. voc. *Generalis* et Lex. gr. techn. in *ποιότης*.

Negotium.

Hoc vocabulo Rhetores Latini Graecorum *περίστασιν* interpretati ſunt. Itaque Valgius Rhetor, tradente Quintil. 3, 5. 17. *negotium* ita definiebat: „Negotium eſt congregatio perſonarum, locorum, temporum, cauſarum, modorum, caſuum, factorum, inſtrumentorum, ſermonum, ſcriptorum et non ſcriptorum.

Neruus.

Nerui in dicendo hanc vim omnino habent, vt maiorem quandam vim et grauitatem dicentis ſignificent, maximeque oratoris ciuilis et forenſis proprii dicuntur. Simile quid cogitarunt Graeci, vbi *τόνον*, *ῥώμην*, *ἰσχὺν*, *πνεῦμα* oratoribus tribuunt, de quibus vid. Lex. gr. techn. Ita Cicero Or. 2, 22. cum Fimbriae *neruos in dicendo* tribuit, Cap. 23. contraria iſtis genera dicendi *molliora* et *remiſſiora* appellat, qualia eſſent eorum oratorum, qui ab imitatione veterum paulatim deflecterent. Oratoris autem hanc praecipuam virtutem eſſe, vt neruos addat orationi, duobus ſe locis Ciceronis inprimis luculenter patet. Primum Lib. 3. de Or. 21. haec diſputat, vt philoſophicam diſſerendi conſuetudinem a rhetorico dicendi more ſeiungat: „Sin aliquis extiterit aliquando, qui Ariſtotelio

more de omnibus rebus in vtramque ſententiam poſſit dicere, et in omni cauſa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arceſilae modo, et Carneadis, contra omne, quod propoſitum ſit, diſſerat; quique ad eam rationem adiungat hunc *rhetoricum vſum*, moremque exercitationemque dicendi, is ſit verus, is perfectus, is ſolus orator. Nam neque ſine *forenſibus neruis ſatis vehemens et grauis*, nec ſine varietate doctrinae ſatis politus et ſapiens eſſe orator poteſt." Altero in loco Orat. Cap. 19. „Quanquam et philoſophi quidam, inquit, ornate locuti ſunt, tamen horum oratio neque *neruos neque aculeos oratorios ac forenſes habet*. Loquuntur cum doctis, quorum ſedare animos malunt, quam incitare: ſic de rebus placatis, ac minime turbulentis, docendi cauſa, non capiendi, loquuntur." Ex his locis intelligitur *neruos* maxime ineſſe in illis dicendi formis, quae hanc vim habeant, vt animos grauius moueant, impellant, incitent, quales ſunt, quas Graeci *ἐναγωνίȣς*, *ἐμπαθεῖς*, vel *παθητικὰς* dixerunt. Itaque aliter philoſophus, aliter orator probationes et argumenta proponit: ille ſimplicius et exilius et remiſſius, vt doceat; hic, acrius, et incitatius, *quas* e philoſophia *haſtas amentatas acceperit, ipſe eas oratoris lacertis et viribus torquebit*, vt ait Cicero Lib. 1. de Or. Cap. 57. — Nemo autem veterum foecundior eſt in cumulandis metaphoris, quae illam eloquentiae grauioris vim et efficaciam exprimant, Quintiliano, vbi ſe ad hanc diſputationem oratio eius demittit. Locus fere claſſicus in eo genere eſt Lib. 5, 13. 17. ſqq. in quo aetatis ſuae conſuetudinem declamandi mollem, inertem, et voluptuoſam, cum eloquentiae validioris robore, neruis, virilitate comparat. Hinc intelligendae quoque ſunt metaphorae, quibus *enerues*, elumbes, fracti, et ſoluti oratores dicuntur. vid. Dial. de corr. Eloq. Cap. 18.

Nitidus.

Nitidum et laetum dicendi genus, Antonius apud Ciceronem de Orat. 2, 18. philoſophorum proprium eſſe iudicat, qui de rebus et artibus ſuis ornate et grauiter dicere poſſint, differreque ab eo genere, quod ciuili turbae et foro accommodatum ſit. Eidem illi generi *nitido* etiam *palaeſtram* et *oleum* tribuit, cum ſit

ſit magis auribus doctis et elegantibus, quam populi, aptum. Hinc et *nitida oratio* dicitur pro eleganti et ſuaui, quae ſuis copiis, ſua forma delectat, ita vt res horridae et per ſe minus iucundae tamen minus offendant, iſto dicendi genere veluti exornatae. Eo ſenſu Antonius apud Cic. de Or. 3, 14. Craſſi *nitidam de horridis rebus orationem* laudat. *Nitor* etiam et *cultus*, qui proprie de ornatu et ſuauitate elocutionis dicitur, ſaepe iunguntur vt ſynonyma. vid. Quintil. 10, 1. 124. et Cic. Or. 32. vbi Dialecticorum praecepta et effata ideo *ſqualidiora* appellantur, quod carent ſuauitate et cultu elocutionis, qui ipſe *nitor* ibi vocatur. cf. de Fin. 4, 3. Vnde Sulpic. Vict. Inſt. Rhet. p. 246. *nitorem* elocutionis in eo ponit, vt verba non ſint ſordida et vulgaria, et de triuio ſumta, ſed electa de libris, et hauſta de liquido fonte doctrinae. Neque aliam vim habet *decor* apud Quintilianum, qui Lib. 4, 2. 19. fictam narrationem tradit interim *decoris* gratia per degreſſionem introduci: *oratoriſche Decoration*.

Nominatio.

Auctor Herenn. 4, 31. *nominatio* figura eſt, inquit, quae nos admonet, vt, cui rei nomen aut non ſit, aut ſatis idoneum non ſit, eam nosmet idoneo verbo nominemus, aut imitationis, aut ſignificationis cauſa. Sic imitationis cauſa veteres *rudere*, *vagire*, *murmurare*, *ſibilare* dixerunt. Ille igitur hac figura notare videtur, quam Graeci ὀνοματοποιΐαν vocarunt. Eidem nonnullas alias figuras ſubiicit, vt 1) *pronominationem*, gr. ἀντονομασίαν, quae ſicuti cognomine quodam extraneo demonſtrat id, quod ſuo nomine appellari non poteſt, vt ſi quis pro Gracchis, Africani nepotes dicat; cf. Quint. 8, 6. 29. — 2) *denominationem*, quae a propinquis et finitimis rebus trahit orationem, qua poſſit intelligi res, quae non ſuo vocabulo ſit appellata, vt ſi quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellat. Videtur vox expreſſa ex gr. μετωνυμία, quae ſimilem vim habet. cf. Cic. Orat. 27. et Quintil. 8, 6. 23. qui μετωνυμίαν *nominis pro nomine poſitionem* interpretatur, cuius vis in eo ſit, vt pro eo, quod dicatur, cauſa, propter quam dicitur, ponatur: quam Rhetores ὑπαλλαγὴν dixerint.

Notatio.

Ciceroni in Topicis Cap. 3. dicitur, cum ex vi et ſignificatione verbi argumentum aliquod elicitur. Antea dixerat, argumentum etiam ex *nota* h. e. ex vi alicuius verbi quaeri. Et Cap. 8. Graeci, ait, ἐτυμολογίαν vocant, id eſt, verbum e verbo, veriloquium: nos autem nouitatem verbi non ſatis apti fugientes, genus hoc *notationem* appellamus, quia ſunt verba rerum notae. Itaque hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat, quo Latinorum *nota* ſignificatur. Haec e Cicerone repetit etiam Quintil. 1, 6. 18. vbi adnotat, nonnullos, vim vocis intuitos, *originationem* vocare. cf. Cic. Or. 2, 39. vbi notationis exemplum eſt vox a Carbone pro Opimio vſurpata: *Si conſul eſt, qui conſulit patriae, quid aliud in necando Graccho Opimius fecit?* Cicero ibi argumentum *e vocabulo ductum* appellat.

Nouatus.

Verbum *nouatum* appellatur, quod ab eo, qui dicit, ipſo genitum eſt et factum, vel coniunctione, vel ſine coniunctione. Cic. Or. 3, 38. et Orat. Cap. 24.

Nudus.

Quotiescunque oratio ornatu oratorio careret, ex figuris praeſertim et exornationibus illis, quae grauitatem, dignitatem, copiam et ſuauitatem orationi concilíant, id *nudum* Rhetores Latini appellarunt. Auctor quidem Herenn. 4, 56. „Omnes rationes, inquit, honeſtandae elocutionis ſtudioſe collegimus, in quibus, Herenni, ſi te diligenter exercueris, et grauitatem et dignitatem, et ſuauitatem in dicendo habere poteris, vt *oratorie* plane loquaris: *ne nuda atque inornata inventio vulgari ſermone efferatur.*" cf. Cic. de Orat. 2, 84. et Macrob. Saturn. 5, 13. vbi loca Maronis et Homeri conferuntur, in quibus ille narrationem facti *nudam* et *breuem* poſuerit, hic contra πάθος miſcuerit, et dolore narrandi inuidiam crudelitatis aequauerit. Itaque *veſtiri* oratio et *ornari* dicitur ea oratoris opera, quae in elocutione cernitur, apud Cic. de Or. 1, 31. Quo et pertinet locus metaphoris admirabilis Lib. 2, 28. vbi inſtitutionem oratoriam, quae de inuentione, de argumentis tractandis, et omni τύπῳ πραγματικῷ, quem

quem Graeci dicunt, praecipit, a diſciplina illa, quae ornatum et copiam elocutionis doceat, hoc modo diſtinguit: „Cum ego hunc oratorem crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Craſſo et *veſtiendum* et *ornandum.*“ Orator enim, etſi fictus eſt ad ſolertiam inueniendi, argumentandi, mouendi, tamen etiamnum veluti nudus eſt, donec artificia ornandi poliendique edoctus, proprium oratoris habitum induit. Illo modo orator, creatur, alitur, confirmatur, hoc veſtitur et ornatur. In nonnullis tamen dicendi generibus, quae oratoriam grauitatem et ornatum non poſtulant, laudatur, ſi ſit ſermo *nudus*, vt de Commentariis Caeſaris iudicat Cic. in Bruto Cap. 75. „*Nudi* ſunt, inquit, et recti, et venuſti, omni orationis ornatu, tanquam veſte, detracto;“ eaque eſt illa naturalis pulcritudo orationis, quam Bergerus noto libro illuſtrauit.

Deinde vero, quoniam, nudum eſſe, etiam impudentiae, laſciuiae et obſcoenitatis notionem habet, factum eſt, vt *nuda verba* dicerentur, laſciua, petulantia, et quodammodo obſcoena. Sic Plin. Lib. 4. epiſt. 14. de hendecaſyllabis ſuis: „ſi nonnulla tibi paullo petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuae, cogitare, ſummos illos et grauiſſimos viros, qui talia ſcripſerunt, non modo laſciuia rerum, ſed *ne verbis quidem nudis*, abstinuiſſe.“ cf. quae dicta a nobis ſunt ad voc. *Praetextatus.*

Numerus.

Hoc nomine apud Rhetores Latinos venit ornatus elocutionis eandem ad aures, quam rhythmus, et verſuum concentus in carmine, vim habens. Itaque in partibus oratoris Cicero Or. 3, 14. praeter copiam et ornatum verborum, hoc etiam ponit, vt *in oratione quaſi quendam numerum verſumque conficiat.* Ex inſtituto de hoc *numero*, vel numerorum orationis ratione, quam et *modum* et *formam* verborum appellat, Cicero exponit l. c. Cap. 44. „Verſus, inquit, veteres illi in hac ſoluta oratione propemodum, hoc eſt, *numeros* quosdam nobis adhibendos eſſe putaueruut, idque princeps Iſocrates inſtituiſſe fertur, vt inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem, *delectationis atque aurium cauſa, numeris adſtringeret.*“ — Porro vim et rationem huius numeri oratorii ita definit, vt orator *ſic*

illiget ſententiam verbis, vt eam numero quodam complectatur, et adſtricto et ſoluto. Nam cum vinxit modis et forma, relaxat et liberat immutatione ordinis, vt verba neque alligata ſint, quaſi certa aliqua lege verſus, neque ita ſoluta, vt vagentur. Eodem modo Graeci τὸ εὔρυθμον et εὔμετρον, quod ſit oratoris, diſtinxerunt ab ἐμμελεῖ et ἐμμέτρῳ, quod poetae eſt. vid. Lex. gr. techn. in ἐμμελής, ἔμμετρον, εὔρυθμος, et ῥυθμός. *Der Redner macht keinen förmlichen Vers. allein er verleiht der Rede eine Harmonie, eine harmoniſche Ordnung, welche in dem Ohre des Hörers oder Leſers eine der poetiſchen Abgemeſſenheit ähnliche Wirkung hervorbringt.* In hoc eſt ille numerus *adſtrictus* et *ſolutus*, quos coniungit orator, partim vinciendo, partim relaxando et liberando, vnde oritur illa oratoris inter metricam verſuum formam, et inconditam ſermonis vulgaris negligentiam mediocritas et temperatio. Vnde et ipſi poetae dicuntur *verſu adſtrictiores* in Orat. Cap. 20. Et Cap. 57. haec ſunt: „neque numeroſa eſſe, vt poema, neque extra numerum, vt ſermo vulgi, eſſe debet oratio. Alterum *nimis* eſt *vinctum*, vt de induſtria factum appareat, alterum nimis *disſolutum*, vt peruagatum et vulgare videatur. Sit igitur permiſta et temperata numeris, nec disſoluta, nec tota numeroſa.“ Felici breuitate hos *numeros innumeros* Plautum in Epigrammate aliquo dixiſſe refert Gellius N. A. 1, 24. h. e. qui ad proſam accedant, et non videantur numeri, quales eſſe ſolent verſus Comicorum poetarum, qui legibus ſaepe metrorum ſoluti ſermoni propiores ſunt. Niſi forte verior ſit eorum explicatio, qui *verſus innumerabiles* ſignificari poſſe docuerunt. cf. tamen Scaliger et Barthius ad Auſon. Protrept. 48. pag. 313. Eadem oratio eſt, quam Cicero de Or. 3, 48. *remiſſius numeroſam* appellat, Iſocratis artificio primum inductam, vt iudicat in Bruto Cap. 8. *primus intellexit, etiam in ſoluta oratione, dum verſum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere ſeruari.*

Sed Ciceronis de numero oratorio inſtitutionem vlterius proſequamur. Libro 3. de Or. 48. *Numerus,* inquit, *in continuatione nullus eſt: diſtinctio et aequalium et ſaepe variorum interuallorum percuſſio numerum conficit.* Vniuerſale autem quoddam de illo numero praeceptum eſt, quod Cap. 49. ponit: *efficiendum illud*

eſt

eſt modo vobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius: vt membris diſtinguatur, vt conuerſiones habeat abſolutas. Et in Orat. Cap. 20. „Quicquid eſt, ait, quod ſub aurium menſuram aliquam cadit, etſi abeſt a verſu (nam id quidem oratoris eſt vitium) *numerus* vocatur, qui Graece ῥυθμὸς dicitur.“ Locus autem claſſicus apud Ciceronem, in quo in originem, cauſas, naturam, vimque omnem numeri cum poetici tum oratorii inquirit, extat l. c. Cap. 51. ſqq. His addimus, quae Cap. 56. de numero obſeruata legimus: „Quodſi et anguſta quaedam atque conciſa, et alia eſt collatata et diffuſa oratio: neceſſe eſt id non literarum accidere natura, ſed interuallorum longorum et breuium varietate: quibus implicata et permiſta oratio, quoniam tum ſtabilis eſt, tum volubilis, neceſſe eſt eiusmodi naturam numeris contineri (h. e. numerorum vim eſſe in ſtabilitate et volubilitate, earumque ſuaui et apta viciſſitudine). Nam circuitus ille, quem ſaepe iam diximus, incitatior numero ipſo fertur, quoad perueniat ad finem, et inſiſtat. Perſpicuum eſt igitur, *numeris adſtrictam orationem eſſe debere, carere verſibus.*“ Id apertius etiam Cap. 57. docet: „Ego ſentio, inquit, omnes in oratione eſſe quaſi permiſtos et confuſos pedes: nec enim effugere poſſemus animaduerſionem, ſi ſemper iisdem vteremur: quia neque numeroſa eſſe, vt poema, neque extra numerum, vt ſermo vulgi, eſſe debet oratio,“ etc. quem locum iam ſupra commemorauimus. Sed et ſingularia praecepta tenenda erunt, quorum paſſim mentio iniicitur. Tale eſt in Orat. Cap. 65. *non ſolum numero numeroſa oratio fit, ſed et compoſitione et concinnitate.* Et ibidem, *multum intereſt*, ait, *vtrum numeroſa ſit; id eſt, ſimilis numerorum, an plane e numeris conſtet oratio. Alterum ſi ſit, intolerabile vitium eſt; alterum niſi ſit, disſipata et inculta, et fluens eſt ratio.*

Accedimus ad diſciplinam Quintiliani, quae cum ſit omnino Ciceronianae ſimilis, tum vero multa etiam illius ſubtilitati et elegantiae propria habet. Expoſuit vero de *numero* orationis Lib. 9, 4. 45. ſqq. *Rhythmi,* inquit, hoc eſt, *numeri,* ſpatio temporum conſtant: metra etiam ordine: ideoque alterum quantitatis eſſe videtur, alterum qualitatis: *Rhythmis libera ſpatia, metris finita ſunt.* — Tamen Quintilianus *rhythmum* et

numerum

numerum quodammodo diſtinguendum eſſe vult. Rhythmi, inquit. neque finem habent certum, nec vllam in contextu varietatem, ſed qua coeperunt ſublatione et poſitione (ἄρσει καὶ θέσει) ad finem vsque decurrunt: *oratio non deſcendit ad ſtrepitum digitorum.* Quod idem vitium orationis ita notat §. 142. vt reprehendat *ſyntonorum modis ſaltitantes*, hoc eſt, explicante quidem Salmaſio ad Vopiſc. Car. 19. p. m. 840. plus iuſto numeroſiorem compoſitionem adhibentes, rhythmiceque incedentem, quae quaſi continua eſſet, et in eosdem ſemper iret pedes, vt fit a Symphoniacis, qui ſyntona ſua, h. e. ſcabella ſine vlla toni variatione, tenore quodam continuo et aequali, ad pedem feriebant. Mox igitur Quintilianus rhythmum eſſe numerum oratorium, vt enthymema, ſyllogiſmum rhetoricum, cenſet.

Iam quoniam his expoſitis intelligi poteſt, *numerum* orationis, vel *numeroſam* elocûtionem omnino adiunctas habere notiones ſuauitatis, artis et elegantiae, (nam hae omnes virtutes illius ῥυθμοῦ, vel concinnitatis curam ſequebantur) vtar hac opportunitate, vt eleganti loco Saleii Baſſi, ſeu, vt alii volunt, Lucani, ab omnibus adhuc interpretibus perperam explicati, verum ſenſum vindicem. Ille igitur Carm. ad Piſonem §. 121. ſeqq. hanc quoque Piſonis laudem canit:

Cuncta domus varia cultorum perſonat arte,
Cuncta mouet ſtudium: nec enim tibi dura clientum
Turba rudisue placet, miſero quae freta labore
Nil niſi ſummoto nouit praecedere vulgo;
Sed virtus numeroſa iuuat.

Sola oppoſitorum ratio, quae in hoc loco luculentiſſima eſt, admonere interpretes poterat, quo ſenſu poeta *virtutem numeroſam* dixerit. Sed illi tamen ſe miſere torquent, vt ex *numero* illo, qui ἀριθμὸς Graecis dicitur, (*Zahl*, *Anzahl*) aliquid ſenſus huc transferant. Ergo *virtutem numeroſam* dicunt eſſe, multarum artium, et ad multa vtilem, quaſi nunc ſola multitudinis et numerandi notio valeat. Immo vero hac explicatione nihil frigidius et a concinna loci conformatione alienius fingi poteſt. Quid multa? Fundus metaphorae eſt rhetoricus. Huius memor poeta, acuta cum breuitate, quam illius aeui poetae ambitioſe ſectabantur, *turbae durae et rudi clientum*, hominibusque de vulgo

et

et plebe, opponit *virtutem numeroſam*, vt genus hominum ſignificaret, in quibus virtus ſimul cum doctrina, et elegantia, qualem artes et literae efficiunt, coniuncta eſſet: *Piſo liebte die auch durch wiſſenſchaftliche Bildung und feine Lebensart ſich auszeichnende Tugend: den gebildeten, verfeinerten Tugendhaften.* Dubito, an praeter Saleium Baſſum quisquam alius indolem viri boni eiusdemque elegantis et eruditi tribus verbis felicius et preſſius et ſignificantius expreſſerit. Ac ſi qui forte metaphorae illius vſurpandae ſimile exemplum deſiderant, his Ouidium laudo Amor. Lib. 2. Eleg. 4, 29. vbi ille de femina eleganti

Illa placet geſtu, numeroſaque *brachia ducit*,
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

O.

Obiurgatio.

Figura elocut. (gr. ἐπικερτόμημα, ἐπίπληξις, ἐπιτίμησις) ap. Cic. de Orat. 3, 53. Cap. autem 55. *obiurgationem* vocat orationem quandam inuectiuam, obiurgandi cauſa dictam, *eine Schmährede.* Eaedem ſunt *minae*, quo verbo Quintil. 9, 2. 103. interpretatur κατάπληξιν, figuram a Gorgia Rhetore explicatam. Iulius Rufinian. p. 37. ἐπιτίμησις, inquit, eſt, cum adverſarium iisdem verbis, quibus ab eo laceſſiti ſumus, percutimus. Latine dicitur *obiurgatio.* Macrobius Saturn. 4, 6. ad obiurgationem ſ. ἐπιτίμησιν refert, cum obiecta iisdem verbis refutamus, vt in his Virgilianis: *Aeneas ignarus abeſt, ignarus et abſit.*

Obſcurare.

In pronuntiatione *obſcurari* literae dicuntur, cum parum diſtincte et plene enuntiantur, quod eſt negligentiae in eloquendo vitium: *Buchſtaben oder Sylben verſchlucken, undeutlich, unvernehmlich ausſprechen.* Sic Cic. de Orat. 3, 11. Eaedem dicuntur literae *oppreſſae*, de Offic. 1, 37. 6. quibus opponit *expreſſas*, quorum illud eſt obſcurum, hoc putidum.

Obſcurus.

Genus cauſae *obſcurum* (Gr. δυσπαρακολέθητον) Ciceroni de Inuent. 1, 15. eſt, in quo aut tardi auditores

tores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſa implicita eſt. Quintil. 4, 1. 40. et 62. vbi easdem *perplexas* cauſas dicit. — *Obſcurum* etiam vocatur, quod ſecreto et ſine teſte aut argumento ab accuſatore factum dicitur, ap. Quintil. 5, 13. 16. Deinde etiam Lib. 8, 3. 50. obſcuritati adſignat formam dicendi illam, quam Graeci *μείωσιν* dixerunt, cum ſermoni deeſt aliquid, quo minus plenus ſit. — *Obſcura* verba ſunt, nimis priſca, et quae a paucis eruditiſſimis intelliguntur. v. Fortunatian. Rhet. p. 71. ed. Pith.

Obſecratio.

Graec. *δέησις*, in epilogo maxime et conqueſtione locum habet, cum orantur illi, qui audiunt, humili et ſupplici oratione, vt miſereantur. vid. Cic. de Inuent. 1, 56. et de Orat. 3, 53. Iulius Rufinian. p. 27. Pith.

Obtinere.

Apud Cic. de Orat. 3, 60. *obtinere vocem* eſt, tueri, incolumem, validam, et firmam conſeruare, vt ad conſtitutum tempus durare poſſit, nec eius vis citius, quam opus aut vtile eſt, frangatur. Haec omnia vno illo verbo comprehendiſſe Ciceronem, patet ex hoc ipſo loco: „ad vocem obtinendam, inquit, nihil eſt vtilius, quam crebra mutatio, nihil perniciofius, quam effuſa ſine intermiſſione contentio.“ Paulo antea *vocem tuendam* eſſe, eodem ſenſu praeceperat. In quo quidem loco binas illas virtutes vocis expreſſit, magnitudinem et firmitatem, quas Plutarchus Graccho tribuit, cum eum *μεγαλοφωνότατον καὶ ῥωμαλεώτατον ἐν τῷ λέγειν* dixit. — *Vocem permanentem* non diſſimili ſenſu dixiſſe videtur Cic. in Bruto Cap. 38. *ſolidam* Seneca Lib. 3. Controu. Epit.

Obtuſus. vid. *Clarus. Frangere.*

Occupatio.

Auctori Herenn. 4, 27. Figura eſt elocutionis, cum dicimus nos praeterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod nunc maxime dicimus. Rhetor ibi cauſas huius exornationis ita fere declarat: *haec vtilis eſt exornatio, ſi aut rem, quam non pertineat aliis oſtendere, occulte admonuiſſe prodeſt, aut ſi longum eſt, aut*

aut ignobile, aut planum non poteſt fieri, aut facile poteſt reprehendi; vt vtilius ſit occulte feciſſe ſuſpicionem, quam huiusmodi intendiſſe orationem, quae redarguatur. Haec ille. Quid vero? ſi euoluas Ciceronis Manil. 20. nonne in illis: *non dico hoc loco maiores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe* etc. *non dicam duo bella maxima Punicum et Hiſpanienſe ab vno imperatore eſſe confecta; non commemorabo* etc. perfectam occupationem habes? Tamen in hunc locum nihil iſtarum cauſarum, quas Rhetor attulit, cadere poteſt. Ergo ita exiſtimandum eſt, in hac et aliis multis figuris ſaepe nihil quaeri, praeter varietatem aliquam orationis, quae iucunde immutet vniformem elocutionis, periodorum, et formarum dicendi faciem. Sed ſimul illa occupatio, praeſertim in loco Ciceronis laudato, hanc vim ſatis conſpicuam habet, vt, dum orator copiam multorum argumentorum, quae ipſi in promtu ſint, veluti contemnit et abiicit, animi auditorum ad illud argumentum, quod poſtea prolaturus ſit, tanto attentiores cupidioresque reddantur. Graeci hanc formam dixerunt παράλειψιν, eamque Cicero Orat. 39. expreſſit, cum ita praecipit: *aliquid reticere ſe dicat.* Nempe ab ea diſtinguenda eſt ἀποσιώπησις, vt in Lex. gr. techn. ad h. v. docuimus. Rectius vero *occupatio* dicitur illa forma, qua occupamus, h. e. praeuia commemoratione, maxime in exordio, ſignificamus ea, quae obſtare noſtrae cauſae videantur, quam Graeci πρόληψιν dixerunt, docente Quintil. 4, 1. 49. *Anteoccupationem* Cicero vocat de Orat. 3, 52. et eandem innuit in Orat. 39. cum haec monet: *anteoccupet, quae videantur opponi.* Quintil. 9, 2. 16. *praeſumtionem* appellat, cum id, quod obiici poſſit, occupamus, eiusque has ſpecies enumerat: *praemunitionem, confeſſionem, praedictionem, emendationem, praeparationem,* cum pluribus verbis, vel quare facturi quid ſimus, vel quare fecerimus, dici ſolet. Iulius Rufinian. p. 30. πρόληψιν latine dici poſſe *praeſumtionem* vel *anticipationem* notat, figuramque elocutionis facit, *qua ante numerus redditur verbis, quam res, perſonae, affiniantur.*

Offenſum.

Offenſum genus argumentationis Ciceroni de Inu. 1, 49. dicitur, *quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit.*

Officium.

Oratoris *officia* Auctor Herenn. 1, 2. et 2, 1. dicit, quae in oratore ineſſe oportet, vt arte ſua id quod vult, conſequatur. Ea ſunt, *inuentio*, *diſpoſitio*, *elocutio*, *memoria*, *pronuntiatio*. Haec τὰ ἔργα τȣ̃ ῥήτορος Graeci appellant. vid. Lex. gr. techn. Cicero de Inu. 1, 5. oratoris *officium* dicit, id quod facere debet, diverſum a fine, hoc eſt, ab eo, cuius cauſa facere debet. cf. idem de Orat. 1, 31. vbi omnis oratoris *vis* et *facultas* in quinque partes distributa dicitur, vt debeat 1) reperire, quid dicat (inuentio) 2) inuenta non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam et iudicio diſpenſare atque componere (diſpoſitio). 3) ea veſtire atque ornare oratione (elocutio) 4) memoria ſepire 5) agere cum dignitate et venuſtate (pronuntiatio). cf. Partit. Orat. 1. et Quintil. 3, 3. vbi *opera oratoris* refert a nonnullis dicta eſſe illa, quae partes ſint Rhetorices. Hos, et qui *elementa* etiam dixerint, recte ita appellaſſe, negat. — *Materiae officiorum* a nonnullis Rhetoribus dicebantur controuerſiae, in quibus de officio alteri praeſtando quaeritur, quales ſunt cauſae abdicationis, dementiae, malae tractationis, orbarum nuptias indicentium, quas cauſas olim Virginius quidam Rhetor tractauerat, et ad ſtatum qualitatis retulerat, vt ait Quintil. 7, 4. 24.

Omiſſio.

Iulio Rufinian. p. 37. dicitur figura ſententiae, *cum quaedam negamus nos dicere et tamen dicimus;* gr. ἀντίφρασις, ſ. παράλειψις. vid. *Praeteritio*, et *Praeciſio*.

Operoſitas.

Operoſitas, et *ſuperuacua* quidem, apud Quintilianum 8, 3. 55. vitium illud dicitur orationis, quod περιεργίαν Graeci vocarunt. vid. Lex. gr. technol.

Opimus.

Genus dicendi *opimum*, quae et *adipata* dictio vocatur Ciceron. Orat. 8. nonnullis Cariae, Myſiae et Phrygiae ciuitatibus, minus politis illis et elegantibus, tribuitur; vnde intelligitur, illud in eo cerni imprimis, vt ſuauitate et elegantia et vrbanitate careat. Totus Ciceronis ille locus legendus eſt, vt verborum illorum

lorum vis luculentius pateat. Inprimis Atticorum elegantia opponitur, qui nihil niſi incorruptum aut elegans audire poſſint: eorumque religioni cum ſeruiat orator, nullum verbum inſolens, nullum odioſum ponere audeat. Admirabilis veterum diligentia eſt, qua in his aliisque orationis vitiis vel virtutibus notandis, rationes humanae naturae conſuluerunt, ex iisque metaphoras petiuerunt. Iam natura cum ita comparatum ſit, vt pinguedo, vel adeps, neruis carens, qui ſenſum adiuuent, ſentiendi facilitatem et ſubtilitatem impediat; in omnibus fere linguis, vbi per translationem aliquid *opimum* vel *pingue*, vel *adipale* dicitur, ea verba ſtupiditati, torpori, et ineleganti cuidam ἀπαθείᾳ ſignificandae ſeruiunt, quae elegantiae, ſubtili pulcritudinis decorisque ſenſui, ſubactoque et acri iudicio oppoſita ſunt.

Sed in pinguetudine, e regione gracilitatis poſita, ſolemus etiam abundantiam quandam ſuccorum, vel aliquam frugalitati contrariam vbertatem cogitare. Itaque Macrobius Saturn. 5, 1. oratoribus ſiccis et ſobriis, et quandam dicendi frugalitatem ſectantibus, eos opponit, qui *pingui* et luculenta, et florida *oratione laſciuiant*. Mox tamen in eodem loco Euſebius, dum a copioſo genere dicendi, *pingue* et *floridum* diſtinguit, idque Plinio ſecundo tribuit, in pinguetudine cogitaſſe videtur non corpus humanum, ſed herbas ex pingui ſolo luxuriantes: vnde et Symmachum eodem in genere *luxuriari* dicit, eandemque paullo poſt *laetitiam pinguem* appellat. Hinc cum vitii nota *ornamenta non ſatis opima* dici videntur a Cicerone in Bruto Cap. 78. Sermo ibi eſt de Hermagorae praeceptis rhetoricis, „quibus etſi *ornamenta non ſatis opima dicendi*, tamen, vt haſtae velitibus amentatae, ſic apta quaedam et parata ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur:" *ſein Unterricht über Schönheit der Elocution und des Ausdrucks iſt mager.* Faciliori metaphora, illam explicante, Cap. 76. eandem Hermagorae diſciplinam dicit *inopem* ad ornandum, ſed ad inueniendum expeditam. — Hinc et *pinguetudinem vocis*, quam πλατειασμὸν Graecos appellaſſe Quintilianus Lib. 1, 5. 32. ſignificat, contrarium *exilitatis* vitium ſtatuit Cap. 11. *cum diducto oris veluti rictu vaſtius et craſſius verba proloquamur.* Eandem vocem Quintil. 11, 3. 32. *praepinguem* appellat.

lat. vid. voc. *exilis.* Neque ab illa metaphora abhorret, quod Gellius N. A. 17, 10. propter tumorem et inſolentiam dicendi, qua Pindarus vſus ſit, eius facundiam nimis *opimam* et *pinguem* exiſtimauit: id quod iisdem verbis repetiit Macrob. Saturn. 5, 17.

Oppidanus.

Genus dicendi *oppidanum* et *inconditum* coniunxit Cic. Brut. 69. Nempe *oppida* Latini *vrbi* ita fere opponere ſolebant, vt in illis aſperitatem, ruſticitatemque quandam, et importunitatem, *ein gewiſſes kleinſtädtiſches geſchmackloſes Air*, in hac vero elegantiam vitae et orationis cogitarent, quam proprie idcirco *vrbanitatem* appellarunt.

Oppoſitio.

Apud Georg. Trapez. Lib. 3. Rhet. p. 29. Ald. *oppoſitio* peculiaris quaedam forma argumentationis dicitur, *in qua ex oppoſito propoſitionis ad ipſam propoſitionem reuertimur.* Haec a ſimplici concluſione ita differt, vt in hac res ſolae, quae praetermitti non poſſunt, proferri ſoleant, in *oppoſitione* autem maxime ea, quae per productionem ſpiritus, quam Graeci πνεῦμα nominant, dicantur, plures ſemper tum grauitatis, tum ſuauitatis cauſa, quae in ſimplici concluſione ponendae non ſunt, propoſitiones accipiantur.

Optatio.

Figura elocutionis a Cic. Or. 3, 53. et Orator. 40. inter cetera lumina ſententiarum commemorata. Huius formae exemplum hoc eſt: *Vellem Dii immortales feciſſent, vt viuo potius Seruio Sulpicio gratias ageremus, quam mortuo honores quaereremus.*

Orator.

Craſſus apud Cic. de Orat. 1, 15. oratoris vim propriam ita definit, vt oratorem eſſe dicat, qui, quaecunque res inciderit, quae ſit dictione explicanda, prudenter et compoſite et ornate et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Ibidem Antonius Cap. 49. oratorem putat eſſe eum, qui verbis ad audiendum iucundis et ſententiis ad probandum accommodatis vti poſſit in cauſis forenſibus atque communibus. *Oratorem*

κατ' ἐξοχὴν ita dictum eſſe, quod oratione excellat, cetera in eo lateant, Cicero perſpicue notat in Orat. Cap. 19. *Non enim*, inquit, *inuentor, aut compoſitor, aut actor haec complexus eſt omnia, ſed et graece ab eloquendo ῥήτωρ, et latine eloquens dictus eſt.* cf. Cap. 21. — Poſt Ciceronem etiam Rhetores *orandi* artem pro eloquentia et *orantes* pro oratoribus dixere. vid. Quintil. 9, 4. inprimis §. 110. vbi *loquendi* et *orandi* hoc diſcrimen facit, vt illud ad ſermonem quotidianum et vulgarem, hoc ad grauitatem oratoriae elocutionis pertineat. cf. §. 131. Dial. de corr. Eloq. 6. et alibi paſſim. Macrob. Saturn. 5, 1. et quae ad voc. *eloquentia* nos ſupra adnotauimus. — Perfectus et ſummus orator, ex mente quidem Ciceronis, quam in Libro illo, qui Orator inſcribitur, expoſuit, is eſt, qui non in ſubtili et tenui, non in mediocri, nec in graui et amplo et copioſo orationis genere ſolum et ſeparatim excellit, ſed vniuerſas illas virtutes ſubtilitatis, temperationis, et copiae, coniunctim poſſideat, et in dicendo exſerat. Sunt enim, qui ſe maxime ad ſubtilitatem, tenuitatem, et acutum ſummiſſumque genus dicendi comparauerunt: ſunt alii, qui maxime ſuauitatem ſectantur: ſunt denique, qui ſolam copiam, et vehementiam et furorem quendam in oratione exprimant. At horum neuter perfectus eſt, quoniam in omni oratione tanta dicendi tractandarumque rerum varietas reperitur, vt non niſi is, qui huic varietati ſatisfacere dicendo tractandoque poſſit, omnes eloquentiae numeros expleuiſſe putandus ſit. Haec plane δεινότητος illius ratio eſt, quam Graeci, Hermogenes inprimis, Demoſtheni tribuerunt, vt ſummo oratori. Itaque Cicero formam illam ſuam et ſpeciem oratoris (*das Ideal eines vollkommenen Redners*) breuiter ita explicat: *eloquens eſt, qui et poterit parua ſummiſſe, modica temperate, magna grauiter dicere*, eamque *multiplicem et aequabiliter in omnia genera fuſam orationem* mox appellat. Auctoris Dial. de corr. Eloq. Cap. 30. haec oratoris deſcriptio extat: *is eſt orator, qui de omni quaeſtione pulcre et ornate et ad perſuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad vtilitatem temporum, cum voluptate audientium poſſit.* Et Auctor Herenn. 1, 2. „oratoris officium eſt, inquit, de his rebus poſſe dicere, quae res ad uſum ciuilem moribus et legibus con-

ſtitutae ſunt." cf. Quintil. Lib. 12, 1. 2. ſqq. Omnino autem legendus eſt Voſſius de Nat. et Conſtit. Rhet. Cap. 1. p. 10. ſqq.

O r b i s. vid. *Circuitus.*

O r d o.

Vt Graeci τάξιν, ita idoneam argumentorum, rerum, locorumque collocationem, *ordinem* appellat Cicero de Orat. 2, 76. Ea quidem collocatio duplex eſt; altera, quam affert natura cauſarum, altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur. Quintilianus 3, 3. 8. nouitatis cupidos appellat eos, qui diſpoſitioni *ordinem* adieciſſent in partibus eloquentiae conſtituendis, quoniam diſpoſitio nihil aliud ſit, quam rerum ordine quam optimo collocatio. In his eſt Sulpicius Victor Inſt. Orat. p. 245. qui ad diſpoſitionem haec tria refert, *ordinem*, *elocutionem*, *pronuntiationem*. Et *ordinem* quidem in eo ponit, vt ſecundum textum naturalem ſingula perſequamur, primum in partibus elocutionis, vt ſcilicet primum exordium, deinde narratio, tum partes argumentationis, peroratio extrema ſit. Ab eo diſtinguit οἰκονομίαν, quae ſit ordo artificioſus, et hanc vim habeat, vt ordinem naturalem, ſi cauſa poſcat, vertamus, et ſciamus, quando omittenda principia, interrumpenda narratio, ex parte ponenda, et imperfecta argumentatione reddenda ſit.

In *compoſitione* orationis *ordo* dicitur, in ſingulis quidem verbis, cum ita verbum fortius ſubiungitur infirmiori, vt ſemper creſcat et inſurgat oratio, cum, quae natura priora ſunt, etiam priori loco collocantur etc. de quibus vid. Quintil. 9, 4. 23. ſq. Vnde Cic. 3, 54. de Orat. *ordinem* inter figuras verborum nominat. Quintilianus autem Lib. 9, 3. 91. figuram eſſe negat. vid. Rutil. Lup. 2, 20. p. 135. ed. Ruhnk.

Denique *ordinem rerum* Quintilianus 4, 3. variationis gratia *narrationem* appellat. *Pleriſque moris eſt*, inquit, *prolato rerum ordine*, hoc eſt, poſt narrationem, *protinus in aliquem laetum et plauſibilem locum excurrere.* Mox §. 8. ſimpliciter *ordinem* vocat. *Iudex*, ordine audito, *feſtinat ad probationem, et quam primum certus eſſe ſententiae cupit.*

O r i g i n a t i o. vid. *Notatio.*

O r n a r e.

Ornare.

Ornare orationem, vel res verbis, dicuntur in vniuerſum, qui verbis elegantibus, lectis, grauibus, omninoque elocutione oratoria, et cum arte enuntiant, et tractant. cf. quae dicta ſunt ad voc. *illuſtrare*, et *nudus*. Itaque apud Cic. de Or. 2, 19. pars eloquentiae illa, quae vulgo elocutio vel exornatio dicitur, hoc modo circumſcribitur: *ornare verbis*. Hoc ſenſu ibid. Cap. 13. Herodotus iudicatur primus *hiſtoriam ornaſſe*. Contraria enim antiquiorum ratio fuit, qui, vt in Annalibus Pontificum, *ſine vllis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt*. Sic Cap. 28. Antonius dicitur adeo *ſeditiones ornaſſe*, hoc eſt, vt ipſe explicat, demonſtraſſe grauiſſimis verbis, multos ſaepe impetus populi non iniuſtos eſſe, quos praeſtare nemo poſſit, multas etiam e republica ſeditiones ſaepe eſſe factas etc. In quo tamen loco *ornandi* vocabulum, non ornate dicendi ſolum, ſed et *laudis* et *commendationis* cuiusdam notionem adiunctam habet. Luculentior locus eſt Lib. 3, 14. vbi Antonius, cum faciliores oratoris partes eſſe ſtatuiſſet, latine et plane dicendi, omnem admirationem ingenii et eloquentiae laudem contendit in eo contineri, vt diſtincte, explicate, abundanter, illuminate et rebus et verbis dicat, et in ipſa oratione quaſi quendam numerum verſumque conficiat, hoc eſt, vt *ornate* loquatur. E quo loco patet, cum ornatum oratorium tribus rebus, luminibus orationis, quae et figurae et tropi dicuntur, copia et numero confici; tum vero etiam oratoris et eloquentiae hoc proprium eſſe, vt *ornet*, vel *ornate* dicat. cf. inprimis Cic. de Or. 1, 9. et Orat. Cap. 41. Neque illud negligendum eſt, quod *ornate* et *negligenter* dicere, oppoſita ſibi iunguntur, vt de Inuent. 1, 21. Nam exinde ſequitur, in *ornanda* oratione, curam et apparationem et diligentiam requiri. In Bruto etiam Cap. 17. *Ornari*, inquit, orationem Graeci putant, ſi verborum immutationibus vtantur, quos appellant τρόπȣς, et ſententiarum orationisque formis, quae σχήματα vocant.

Quintilianus cum Lib. 8, 1. in elocutione haec tria requiſiſſet, vt eſſet latina, perſpicua, *ornata*, Cap. 8. *ornatum* illum, quem et *cultum* appellat, ita deſcri-

bit, vt oratori proprium dicat, eique ſumma quaeque in eloquentia forenſi et populari attribuat. Deinde Cap. 3. §. 61. *ornatum* eſt, inquit, quod perſpicuo et probabili plus eſt. Eius primi ſunt gradus in eo, quod velis, exprimendo concipiendoque, tertius, qui haec nitidiora faciat, quod proprie dixeris *cultum*. — Pronuntiationem vero *ornatam* Quintil. 11, 3. 40. appellat, quae fit voce, omnibus virtutibus, quae quidem in vocem cadunt, abſoluta. Ei ergo pronuntiationi ſuffragatur *vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecans aëra, auribus ſedens.* Curius Fortunatian. p. 76. ſimpliciter *ornatam* pronuntiationem dicit, quae ſit *virilis.*

P.

Partitio.

Partitio, et Rhetorica quidem, quae a Dialectica differt, eſt ea pars orationis, quae narrationem ſequitur, illuſtremque et perſpicuam efficit orationem. Ita Cic. de Inuent. 1, 22. vbi duas eius partes facit, vnam, quae, quid aduerſariis conueniat, et quid in controuerſia relinquatur, oſtendit; ex qua certum quiddam deſignatur auditori, in quo animum habere debeat occupatum; alteram, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breuiter *expoſitio distributa* ponatur, hoc eſt, expoſitio cauſae per diuiſionem facta, ex qua conficitur, vt certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum.

Quintilianus 3, 9. 3. proprium *partitionis* eſſe docet, vt orator promittat, quid primo, quid ſecundo, quid tertio loco dicturus ſit; et, cum diſpoſitio pars ſit rhetorices, per omnes materias totumque earum corpus aequabiliter fuſa, vt inuentio et elocutio, *partitionem* diſpoſitionis ſpeciem quandam ſtatuit. cf. Lib. 4, 2. 49. vbi partitionis hoc exemplum adfert: *dicam quae acta ſint ante ipſum rei contractum; dicam, quae in ipſa re; dicam, quae poſtea.* De hac partitione ex inſtituto exponit Quintil. Lib. 4, 5. *Partitio* eſt, inquit, *noſtrarum aut aduerſarii propoſitionum aut vtrarumque ordine collata enumeratio.* — Curius autem Fortunat. in Rhet. p. 63. Pith. duo genera *partitionis* commemorat, 1) *per ſeiunctionem*, cum oſtendimus, quid

quid cum aduerſario conueniat, et quid in controuerſia relinquatur; 2) *per enumerationem,* cum res eas, de quibus erimus dicturi, breuiter exponimus, vt eas animo teneat auditor. Haec ex Ciceronis Rhetoricis libris repetita ſunt. cf. Sulpic. Vict. Inſtitt. Orat. p. 249. et Georg. Trapez. Lib. 1. Rhet. p. 7. qui *diuiſionis* duas partes facit, *ſeiunctionem* et *distributionem*, hanc autem distributionem rurſus in *expoſitionem* et *enumerationem* diuidit. Dialectici enim diſtinguunt inter *partitionem* et *diuiſionem*. Illa eſt, cum res propoſita quaſi in membra discerpitur et in partes; haec ineſt in formarum, quae ſub genere ſunt, enumeratione. Vtriusque vſus eſt in Topicis, vbi *definitiones* vel *partitionum* vel *diuiſionum* eſſe, in vtroque autem genere loci et ſedes quaedam argumentorum latere dicuntur. cf. Cic. Top. Cap. 5, 6. Sed et peculiaris locus quidam eſt in ea, quae *partitio* dicitur, quae in partium alicuius rei distributione cernitur. De hac ſeparatim agit Cic. l. c. Cap. 8. Hinc a Quintiliano 4, 2. obſervatur, ſubinde exordia tractari *partitione.* Id Hermogenes de Inuent. 1, 2. *προοίμιον ἐξ ὑποδιαιρέσεως* appellat, cum exorditur orator a breui distributione res ipſas diſtinguentes per antitheſin, vel dilemma, vel enumerationem: quale eſt Ciceronis pro Cluentio, et pro Quintio.

Partitiones vero etiam *κατ᾽ ἐξοχὴν* dici ſolebant Rhetorum vel disputationes, vel Libri, in quibus diſciplinam de quaeſtionibus, ſtatibus et argumentis, eorumque capitibus tractandis exponebant; verbo ex Graecorum conſuetudine expreſſo, qui *τέχνην διαιρετικὴν* illam, et *διαιρέσεις* appellabant, vt copioſius demonſtrauimus in Lex. gr. techn. ad voc. *διαίρεσις*. Iam patet, quo ſenſu Quintil. 1, 2. 13. *partitiones* et *declamationes* Rhetorum, velut affines ſibi, coniunxerit. Interpretes ad h. l. incerti, quid ſtatuant, vagantur.

Pellucens.

Oratio *pellucens* eſt nitida, polita, dilucida. Cicero in Bruto 79. de Callidio oratore: reconditas, inquit, exquiſitasque ſententias *mollis* et *pellucens* veſtiebat oratio. Singula, quae in hoc loco laudantur, vt oratio mollis, tenera, pura, libere fluens etc. ad ſtructuram artificioſam, concinnam, numeroſam, ſuauemque pertinent. vid. voc. *Translucidus.*

Percunctatio. vid. *Rogatio.*

Percurſio.

Figura elocut. (gr. ἐπιτροχασμὸς) contraria eſt commorationi in vna re, et illuſtri explanationi, apud Cic. Orat. 3, 53. Aquila Rom. p. 14. diſtinguit a *coaceruatione*, Graecorum συναθροισμῷ, quod illa res plures diuerſas in eundem locum conferat, haec diſtantia plura inter ſe percurrens velocitate ipſa circumponat. Donat. ad Terent. Phorm. 2, 3. *Epitrochaſmus eſt verborum ſuper ſe inuicem effuſio, quae fit aduerſarii turbandi cauſa.*

Percuſſio. vid. *Impreſſiones.*

Periculum.

Quintilianus Lib. 2, 11. 4. *ſententias* commemorat, *quae a periculo petantur*, hoc eſt, in quarum audacia et granditate periculum eſt et metus, ne ii, qui his vtuntur, auſis excidant, et ad frigus vel tumorem delabantur; vt qui per funem in ſumma nituntur, ſpectantium excitare clamores ſolent, cum iam iamque caſuri videntur; quae ſunt verba Plinii in epiſtola infra laudata, quae tota ad hunc locum pertinet: *gewagte, halsbrechende Wendungen, Ausdrücke, Metaphern.* Translationes, *quae periculum ſui fecerint*, appellat Seneca Epiſt. 59. Forma loquendi translata e fundo Graecorum, qui in eadem re τὸ κινδυνέυειν, et τὰ κινδυνώδη et παρακεκινδυνευμένα dixerunt, quae ſine metaphora eſſent τολμηρὰ, vel παράβολα; vid. Lex. gr. techn. in κινδυνώδης. Eaedem haud dubie ſententiae ſunt, quas *praecipites* appellat Quintil. Lib. 7, 1. 44. (vt Aeſchylus apud Ariſtoph. Nub. 1370. κρημνοποιὸς ſimili metaphora dicitur) et illa, quae Lib. 8, 2. 21. *ex ancipiti diſerta* vocat. Itaque huc etiam pertinebit locus Quintil. Lib. 10, 1. 120. vbi de Iulio Secundo: *magna in quibusdam ex periculo petitis ſignificantia.* Quae verba quo minus cum Schulzio in Prolegom. ad Dial. de corr. Eloq. p. XXXIX. de extemporali quadam audacia accipiamus, et loci contextu, et perpetua illa loquendi conſuetudine, impedimur. De eodem genere audaciae et periculi luculenter Plinius Lib. 9. epiſt. 26. „Vt quasdam artes, inquit, ita eloquentiam nihil magis, quam ancipitia, commendant. Sunt enim maxime mirabi-

mirabilia, quae maxime inſperata, maxime *periculoſa*, vtque Graeci magis exprimunt, *παράβολα.*" — Sic et Curius Fortun. Rhet. p. 72. *praeceps* et *abruptum* verbum appellat, ſi longius translatum ſit. Itaque hoc tali verbo ita vtendum eſſe praecipit, vt aliquo verecundiori adminiculo ſulciamus, et inferamus, *paene*, aut *quodammodo*, aut *prope dixerim*. vid. Lex. gr. in *μειλίγματα*, et infra quae diximus ad voc. *Remedia*.

Periodus.

Hoc verbo in inſtitutionibus oratoriis potiſſimum Quintilianus vtitur, cum ceteri, Cicero inprimis, *ambitum*, *circuitum*, *orbem*, *comprehenſionem*, *continuationem verborum*, aut *circumſcriptionem* dixerint, de quibus in hoc libello ſeparatim expoſuimus. Omnem de periodis diſciplinam ille quidem ex inſtituto tradit Libro 9, 4. 124. ſqq. Ibi duo periodorum genera facit, vnum ſimplex, cum ſenſus vnus longiore ambitu circumducitur; vnde et antea *circumductiones* haec periodorum genera appellauerat: alterum, quod conſtet membris et inciſis, quae plures ſenſus habeant. cf. Aquila Rom. de Figg. p. 17. Pith. et Lex. gr. techn. in *περίοδος*.

Permiſſio.

Figura eſt elocutionis, quae hanc vim habet, vt oſtendamus in docendo, nos aliquam rem totam tradere et concedere alicuius voluntati. Sic Auctor Herenn. 4, 29. Cicero etiam in conformationibus vel figuris verborum *permiſſionem* numerat Lib. 3. de Orat. 54. et Quintilianus 9, 2. 24. ex vno fonte deriuat *communicationem* et *permiſſionem*, cum aliqua ipſis iudicibus relinquimus aeſtimanda, aliqua nonnunquam adverſariis quoque. Videtur eadem eſſe, quae *ἐπιτροπὴ* apud Rutil. Lup. 2, 17.

Permutatio.

Auct. Herenn. 4, 34. *permutatio* eſt oratio, inquit, aliud verbis aliud ſententia demonſtrans. Ea dividitur in tres partes, ſimilitudinem, argumentum, contrarium. Videtur ille Graecorum *ἀλληγορίαν* quandam in mente habuiſſe, quam Quintilianus 8, 6. 44. *inverſionem* interpretatus eſt. vid. Hieron. Capi-

duri Commentar. ad Herennian. Libros pag. 275. ed. Baſil.

Peroratio.

Peroratio, quam Graeci ἐπίλογον dicunt, vltima eſt pars orationis iuſtae, vnde et *concluſio* vocatur, vt tradit Quintil. 6, 1. Alii *cumulum* appellarunt, non alia de cauſa, quam quare altera eius pars *enumeratio* dicta eſt, quoniam in ea parte res ante dictae veluti per cumulum et congeriem repetuntur; Graeci autem Rhetores epilogo ἀθροισμὸν πραγμάτων, καὶ ἠθῶν καὶ παθῶν tribuerant. vid. voc. *Enumeratio;* et Lex. gr. techn. in ἀνακεφαλαίωσις, et ἐπίλογος. cf. Lib. 8. Quintil. prooem. vbi perorationi haec duo tribuuntur, vt et iudicio memoriam reficiat, et animos moueat. Cicero Orat. 35. a potioribus partibus *perorationem inflammantem reſtinguentemue* dicit. vid. Georg. Trapez. Lib. 3. Rhet. p. 42. ſq. Ald.

Perpetuus.

Perpetua oratio Rhetoribus Latinis dicta eſt, quaecunque ad veras cauſas et forenſes adhibebatur, oppoſita declamationibus, altercationibus, et disputationibus Dialecticis; quoniam in his interrogando, reſpondendo, interpellando filum dicentis ſaepius interrumpitur, in orationibus autem forenſibus vnus perpetuo loquitur, et ſolus argumentum, nemine interpellante, pertractat. Quintilianus Lib. 2, 10. „nulla, inquit, *perpetuae* duntaxat orationis virtus reperiri poteſt, quae non ſit cum hac dicendi meditatione (μελέτῃ, declamandi ratione) communis.“ Vnde et *perpetuum* orationis genus, Rhetoricen, *conciſum* autem Dialecticen appellat Cap. 20, 7. cf. Lib. 5, 11. vbi *oratio perpetua*, teſtium interrogationibus opponitur. vid. Cic. ad Att. 1, 16. Neque dubito huc referendum eſſe locum hunc Cic. de Orat. 2, 76. „Quoniam tribus rebus omnes ad noſtram ſententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo, vna ex omnibus his rebus res prae nobis eſt ferenda, vt nihil aliud, niſi docere velle videamur, reliquae duae, ſicuti ſanguis in corporibus, ſic illae in perpetuis orationibus fuſae eſſe debebunt.“ Hic ſenſus neceſſarius eſt propter numerum pluralem, qui in ſimilibus formis ſemper

per hanc vim habet. Sic in Top. 26. *actiones perpetuae* ſunt *totae*, et opponuntur ſingulis partibus, exordio, narrationi etc. Et Lib 4. Epiſt. ad Diu. Ep. 12. *hiſtoriae perpetuae*, quas vulgo vniuerſales vocamus, hiſtoriis ſingulorum hominum vel rerum geſtarum oppoſitae. Quodſi enim is ſenſus valeret, quem dedit Wezelius in Commentar. Encyclop. Part. 7. p. 337. *in dem ganzen Gange der Rede, ohne daß man durch einzelne Abtheilungen denſelben unterbricht*, Cicero dixiſſet, *in perpetua oratione*, vel *in perpetuitate dicendi*, vt in Orator. Cap. 2. cf. Clau. Cic. in voc. *perpetuitas*. — Aquila Rom. de Figg. p. 16. *perpetuam orationem* interpretatur, quam Graeci εἰρομένην dixerint, quae ita connectitur, vt ſuperiorem elocutionem ſemper proxima ſequatur, atque ita ſeriem quandam ſignificatus rerum explicet: eamque dicit praecipue hiſtoricae deſcriptioni conuenire, quae tractum et fuſum genus eloquendi, non conuerſum et circumſcriptum deſideret. Ab ea diſtinguit 1) orationem ſolutam, nulla inter ſe neceſſitate numerorum, neque compoſitam membris quibusdam vel determinatam certa circumſcriptione verborum: 2) ambitum ſ. περίοδον. vid. quae in Lex. gr. techn. ad voc. εἰρομένη λέξις, diximus. — *Perpetuare* denique *verba* dicitur is, qui ſine interpunctione, et clauſulis et interſpiratione proloqui orationem valet, ap. Cic. Or. Lib. 3, 46.

Perſpicuus.

Quaecunque ad *perſpicuitatem*, praecipuam orationis virtutem, pertinent, a Rhetoribus Latinis obſeruata et praecepta, quaerenda ſunt in vocc. *Dilucidus, Explanatio, Apertus.* Sed notandus eſt modus loquendi is, quo inter varia genera argumentationis vitioſae, *perſpicuum* dicitur, *de quo non eſt controuerſia*, vt ſi quis, cum Oreſtem accuſet, planum faciat, ab eo matrem occiſam eſſe. vid. Cic. de Inuent. 1, 48. et 49.

Perſuadere.

Ita nonnulli Rhetorum, inprimis Graecorum, τὸ πείθειν, *perſuadere*, oratoris proprium exiſtimarunt, vt omnem Rhetorices finem in *perſuadendo* ponerent. De ea re expoſuit Quintil. Lib. 2, 15. et nos diximus ad voc. *Rhetorica.* Vnde et τὴν πειθὼ a Platone commemoratam

moratam ſcimus, quam Ennius *Suadam*, Horatius *Suadelam* vocauit, et Quintil. 10, 1. 82. *quandam perſuadendi Deam* ex illo graeco vocabulo transtulit.

Pigmenta.

Pigmenta fucumque puerilem, iunxit Cic. Orat. 2, 45. vt notaret orationem tam ex arte comtam, vt falſo ſplendore decipiat, vique interna et veritate careat. cf. Orat. Cap. 23. et Erneſti Init. Rhet. Part. 1. Cap. 12, 163. Expreſſerunt Rhetores Latini, quos ληκύθες et χρώματα, ex arte pictoria dixerunt Graeci. vid. Lex. gr. techn. in χρῶμα, et ἀνθίζειν. Huc itaque pertinet locus Cic. ad Att. 1, 16. „Meus liber (de Conſulatu ſuo) totum Iſocratis μυροθήκιον, atque omnes eius diſcipulorum *arculas*, ac nonnihil etiam Ariſtotelia *pigmenta* conſumſit.“ Quae omnia ex pictorum penu et officinis translata ſunt, neque alio pertinent, niſi vt orationem exhibuerit omnibus modis et artificiis ornatam expolitamque: id quod et in ſeqq. apertius ſignificat. Non tam inuidioſo ſenſu *pigmentorum florem et colorem*, pro ornatu, quo orationi pulcritudo et ſuauitas concilietur, qui alibi ſimpliciter flores, et lumina et inſignia appellantur, dixit in Bruto Cap. 87. vbi omnis locus metaphoram ex pictura ductam habet. cf. voc. ſeq.

Pingere.

Verba vel orationem *pingere*, idem eſt quod *ornare;* quod fit tropis aut figuris iis, quae ſunt ornamenta verborum. Cicero Brut. 37. σχήματα, inquit, quae vocant Graeci, non tam in *verbis pingendis* habent pondus, quam in illuminandis ſententiis; hoc eſt, in figuris non tam illae pondus habent, et grauitatem oratoriam adiuuant, quae ſingula verba ornant et pingunt, σχήματα λέξεως, quam illae potius, quae ad ſententias pertinent, σχήματα διανοίας. Nam in illis prioribus ſaepe luſus et ornatus puerilis cernitur, oratoriae amplitudini inimicus. Itaque de his ipſis Aquila Rom. Figg. Lib. p. 165. ed. Ruhnk. *Sunt igitur*, inquit, *figurarum elocutiones aliae ad ornandam tantum, et quaſi* pingendam *orationem accommodatae: quibus princeps Gorgias Leontinus vſus eſt, ſed ſine modo.* In cuius quidem loci initio *figurarum elocutionis aliae* legendum puto;

puto; quam lectionem a Capella propoſitam Ruhnkenio displicuiſſe miror. Eam omnis orationis Aquilae contextus, et ordo flagitat. — Quare etiam ſolent in ea re ληκύθες commemorare, quae ſunt pictorum vaſa, in quibus pigmenta ſeruant. Sic Cic. ad Att. 1, 14. vbi de Craſſo Ciceronis conſulatum laudante: „totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus ſoleo *pingere*, de flamma, ferro, (noſti illos ληκύθες) valde grauiter pertexuit.“ Et de Or. Lib. 2, 21. eundem Craſſum omnibus a ſe *pictum* et *politum* artis *coloribus* dicit, h. e. impenſe laudatum. Hinc et Lyſias, ſi cum Catone comparetur, *pictus* dicitur in Brut. 85. hoc eſt, ornata, polita et floridiori elocutione vſus, cum Cato eſſet impolitus, et rudis, vt antiquior et *nondum ſuſpicans*, vt mox ait, *quale eſſet ornate et copioſe dicere.* Deinde paullo poſt planius ita loquitur Cap. 87. „intelliges, nihil iſtius (Catonis) lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quae nondum inuenta erant, florem et colorem defuiſſe.“ Eundem illum Lyſiam in Orat. 9. Cicero *venuſtiſſimum* et *politiſſimum* appellat. cf. Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 21. p. 310. ſq.

Placidus.

Genus dicendi *placidum*, quale dicatur, perſpicue patet ex Ciceronis loco Brut. 80. Ibi cum illud dicendi genus Calidio oratori tribuiſſet, ita pergit: „ſed cum a nobis paullo ante dictum ſit, tria videri eſſe, quae orator efficere deberet, vt doceret, vt delectaret, vt moueret, aberat illi tertia laus, qua permoueret et incitaret animos, *nec erat vlla vis et contentio.*“ Alibi idem genus etiam *remiſſum*, *ſummiſſum*, *ſedatumque* dici ſolet Rhetoribus. cf. in Orat. Cap. 27. Graece λειότης dicitur, et λέξις ἀνειμένη, ἀφελής, λιτή, quae λόγῳ παθητικῷ et ἐμψύχῳ opponitur: *der Ausdruck des ruhigern affectloſen Schriftſtellers.* vid. Lex. gr. techn. in ἀφελής et λιτός. cf. Cic. pro Sext. 53. vbi *remiſſius* dicendi genus, forenſi, contentioſoque opponitur; quale eſt philoſophorum, qui magis docent et narrant, quam mouent, concitant et vehementius agunt. cf. Cic. Orat. Cap. 19.

Planus.

Planum in oratione dupliciter, vel de vitio, vel de virtute dicitur. Vbi non probatur, *plana* oratio eſt, in

in qua nihil eminet, ſcriptor ſe nusquam attollit altius verbis aut ſententiis, ſed ſemper humilis et demiſſus, veluti humi repit. Ita Quintil. Lib. 8, 5. vbi ſcriptoribus nonnullis, qui omnia tanquam ſententiis efferant, opponit eos, qui fugiant et reformident hanc in dicendo voluptatem (quae ſcil. in oratione, ſententiis tanquam luminibus quibusdam diſtinguenda et illuminanda cernitur) *nihil probantes, niſi planum et humile, et ſine conatu.* De hoc genere vid. quae nos ad voc. *humile* notauimus, et legatur integra Plinii Epiſt. 26. Libri 9. ex qua haec inprimis huc pertinent: „debet orator erigi, attolli, interdum etiam efferueſcere, efferri, et ſaepe accedere ad praeceps. Nam plerumque altis et excelſis adiacent abrupta: tutius per *plana*, ſed humilius et depreſſius iter: frequentior currentibus, quam reptantibus lapſus: ſed his non labentibus nulla, illis non nulla laus, etiamſi labantur." — Cum laudis autem ſignificatione Quintilianus l. c. in proxime antecedentibus *plana* commemorat, vbi iis *gratiam* quandam tribuit, et genus dicendi inaequale et confragoſum opponit, quod modum excedat in ſententiarum luminibus denſandis, ſimileque ſit ſcintillis inter fumum emicantibus. — *Planum* autem *os*, in pronuntiatione, quale ſit et quam vim habeat, ad voc. *confuſio* dictum eſt.

P l a ſ m a.

Quintilianus Lib. 1, 8. de lectionis virtutibus agens, „Sit lectio non quidem proſae ſimilis, inquit, quia carmen eſt, et ſe poetae canere teſtantur; non tamen in canticum diſſoluta, nec *plaſmate* (vt nunc a plerisque fit) *effeminata.*" Ad hunc quidem locum illuſtrandum vix poteſt aliquid melius conferri, quam quod viri docti ad Perſii 1, 17. *liquido cum plaſmate guttur colluerit*, monuere, fuiſſe *plaſma* potionem quandam dulcem, quae faucibus ſcabritiem tollat, et liquidiorem vocem faciat; id quod et *eliquare vocem* Perſius dixit. Tamen mihi locum Quintiliani propius intuenti, ne illa quidem Perſiana, fateor, plane ſatisfaciebant. Videbam Fabium in lectione affectatam et ſtudio quaeſitam mollitiem reprehendere; nam ei contrariam virtutem lectionis *virilis* et *cum ſuauitate grauis* opponit. Iam vero, ſi *plaſma* illud nihil niſi liquidam vocem efficiebat, quaeritur, cur ad vitioſam vocis confor-

conformationem retulerit: ſin in illo plaſmate vitioſa et muliebris vocis attenuatio ponebatur, cur addit *effeminatam?* Dicam ea, quae mihi in mentem venerunt, non quod probem, vel vnice vera putem, ſed vt commendem, vel ſaltem ne non ſint dicta. Quintilianus Cap. 11, 7. inter vitia vocis poſuerat hoc: *ſimplicem vocis naturam pleniore quodam ſono circumlinire.* Cuius locutionis formam expreſſit e Graeco κατωπεπλασμένον, quo verbo appellabatur cantus tibiarum, quae praecluſis foraminibus, quibus clareſcunt, recto modo exitu, grauiorem ſpiritum reddunt: nam καταπλάζειν eſt *illinere, circumlinire*, cera, vel creta figulari, vel alia quacunque maſſa. Hoc igitur καταπλάζειν in tibiis hanc vim omnino habebat, vt ſonus imbecillior et fuſcus exiret. Quidni igitur illud ipſum tibicinum artificium, et methodus omnis, πλάσμα dictum fuerit? quidni etiam Quintilianus *plaſmate effeminatam* lectionem hoc ſenſu et conſilio dixerit, vt artificii, ſtudii, et affectationis notionem cum cogitatione imbecillitatis et effeminatae exilitatis eo verbo exprimeret; in quo vtrumque cogitari poterat. Nam et illud, *ſimplicem naturae vocem circumlinire,* ſi a metaphora, dura profecto, receſſeris, nihil aliud eſſe poteſt, niſi *natiuam vocem* ita conſulto et ambitioſe immutare, vt ex clara et pura fiat exilior, imbecillior, et obſcura. Itaque vocibus πλάσμα et πεπλασμένον, *immutandi* notionem praecipue exprimere voluit, quoniam illae voces artificio ſonorum immutandorum apud tibicines exprimendo ſeruiebant. Quamobrem, cum *oblinendis foraminibus* illis maxime imbecillus ſonus redderetur, qui tamen vel plenior vel exilior eſſe poterat, in vtroque loco hoc diſcrimen ita notauit, vt vel *effeminatam plaſmate* lectionem diceret, mollem et muliebrem vocem ſignificans, vel *pleniore ſono circumlitam*, grauiorem obſcuritatem, quam naturalis vocis indoles ferret, deſignans. Ad vim huius vocis, *circumlinire*, quam quodammodo adamaſſe videtur Quintilianus, rectius intelligendam, fortaſſe etiam locus valeat Libri 12, 9. 8. vbi reprehendit nonnullos, qui, cum agere cauſas minores nolint, tanquam infra eos ſint, aut opinioni detracturae, admiſceant iis res extra cauſam poſitas fictasque, quibus opinioni ſuae et famae conſulant. Quidam, inquit, etiamſi forte ſuſceperunt negotia paulo ad

ad dicendum tenuiora, extrinſecus adductis ea rebus *circumliniunt*, ac, ſi defecerint alia, conuiciis *implent vacua cauſarum*, veris aut fictis, modo ſit materia ingenii, mereaturque clamorem, dum dicitur. Itaque *circumlinire rem* dicuntur ii, qui naturali eius rei ſimplicitate vel mediocritate non contenti, arte adhibita eam veluti explent, maioremque et ſpecioſiorem efficere cupiunt, et ſic plerumque peiorem reddunt et corrumpunt. Cui ſententiae egregie etiam fauet locus Gellii Noct. Att. 7, 14. vbi, cum trium dicendi generum, vberis, gracilis et mediocris, vim et rationem expoſuiſſet, in fine haec addit: „vnumquodque autem genus, vt diximus, cum caſte pudiceque ornatur, fit illuſtrius: cum *fucatur* et *praelinitur*, fit praeſtigioſum.“ Neque alia metaphora vſus Auctor Herenn. 4, 11. *oblitam* orationem dicit, ſi exornationes crebrae collocentur: ſi rarae disponantur, diſtinctam, ſicuti coloribus.

Ceterum in ambiguitatis illius, quam vox *plaſma* apud Quintilianum habere videtur, magnitudine, non contemnenda ſunt, quae Creſollius in Vacatt. Aut. Lib. 3. Cap. 5. Sect. 1. notauit: „Extenuare vocem ad muliebres blanditias Graeci dicunt *πλάττειν φωνὴν*, quod ne in femina quidem tolerandum putat vir graviſſimus Clemens Alex. in Paedagogo, vbi mores mulierum diſſolutos referens, haec inter alia: *καὶ φωναῖς ταῖς πεπλασμέναις κλαδαρὸν περιβλέπουσαι, voce muliebriter effeminata, ſcintillantibus oculis intuentur.* Hinc *Plaſma*, Rhetorum praeceptionibus exterminatum a bene dicendi ſtudio et diſciplina, de quo ita Fabius: *ſit vox non in canticum disſoluta, nec plaſmate effeminata.* Itaque Plutarchus (in vita Demoſthenis) reprehenſum fuiſſe Demoſthenem ait a ſapientibus, quod illius foret *ἀγεννὲς τὸ πλάσμα καὶ μαλακόν.* Et, ni fallor, eam ipſam ob cauſam nominatus fuit *Batalus: βάταλοι* enim ſunt apud Graecos, qui delicato illo plaſmate et muliebriter emollito vtuntur. Quod videor didiciſſe a Clemente Alex. (Lib. 3. Paedag.) cuius haec eſt oratio: *οὐκ ἄνδρας, βατάλους δὲ καὶ γύννιδας καλεῖν τούτους χρή, ὧν αἱ φωναὶ τεθρυμμέναι.*“ Haec Creſollius. Quidni igitur Quintilianus, cum a Graecis vſurpatum *πλάσμα* in ea re animo obuerſaretur, in orationem latinam transferret, vt eandem, quam Graeci, vocis conformationem et figuram ſignificaret? Hinc et

Plutar-

Plutarcho in vita Cicer. *Φωνὴ σκληρὰ καὶ ἄπλαστος, dura vox et incondita* commemoratur, atque omnino Graecis τὸ πλαστὸν et πεπλασμένον dicitur, quicquid praecipua arte et apparatu elatum eſt, vt in Lex. gr. techn. idoneis exemplis confirmauimus.

Plenus.

Plena oratio, metaphora ducta ab iis rebus vel corporibus, quae vel ſucco et carne, vel alius maſſae ambitu abundant, dicitur ea, in qua eſt quaedam ex vbertate rerum vel copia et ornatu elocutionis grata rotunditas, opponiturque dictioni tenui, exili, ieiunae, aridae, quae omnia in vitio genera ſunt, certe oratorem ciuilem et forenſem non decent; item tumori, vt apud Quintil. 12, 10. Sic Cicero de Or. 3, 14. Craſſum laudans: „de horridis rebus nitida, inquit, de *ieiunis plena*, de peruulgatis noua quaedam eſt oratio tua:" *Lobrede auf einen Schriftſteller, oder Redner, der abſchreckende Gegenſtände angenehm, eine trockene Materie intereſſant und unterhaltend, und gemeine Stoffe mit dem Reitze der Neuheit vorzutragen weiß.* Deinde vero etiam Cicero, in distribuendis orationis generibus, quod alibi grande, et graue, et amplum vel copioſum genus appellat, Lib. 3. de Or. Cap. 52. *plenum* vocat. Quae Ciceronis in dicendo et praecipiendo vberrima varietas bene cognoſcenda eſt iis, qui haec tractant et legunt, ne conturbentur, diuerſa exiſtimantes, quae, verbis variata, re ipſa et ſenſu non diſtant. —

In ſingulis verbis *plenum* quiddam eſſe dicitur, cum habent in pronuntiando aliquem ſoni dignitatem, et grauitatem, qua veluti os dicentis impleant. Cic. Or. 3, 37. „In propriis verbis, inquit, illa eſt laus oratoris, vt lectis atque illuſtribus vtatur, in quibus *plenum quiddam et ſonans* ineſſe videatur. Sed in hoc verborum genere delectus eſt quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus." Haec tum etiam *bona verba* dicuntur; *ſchöne Wörter*. Errauit ergo Schellerus, cum dubitaret, an verbis pulcritudinem tribuere liceret, et cum iudicaret, *pulcra verba nulla alia eſſe poſſe, quam quibus pulcrae aptaeque ſententiae, notionesque declarentur*, in Prooem. Praeceptt. ſtil. lat. p. 12. — Quis pulcritudinis vim ita anguſte circumſcribat,

ſcribat, vt eam vel in ſola notionum idearumque honeſtate ponat, vel eius ſenſum ſolis oculis tribuat? Nam vt colorum pulcritudo oculorum ope iudicatur, ita verborum aliqua pulcritudo, hoc eſt, ſuauior et concinnior forma cogitari poteſt, quae aurium iudicio ponderanda ſit. Quae autem aures ſuauiter afficiunt, quidni haec quoque pulcra nominemus? Quid, quaeſo, ſibi voluerunt Cicero, Quintilianus, aliique bene dicendi magiſtri, cum ad ſuauitatem elegantiamque dicendi hoc inprimis requirerent, vt verba priſca, obſoleta, inuſitata vitarentur, proque his lecta, illuſtria, plena, ſonantia commendarent? An in verbis priſcis, et obſoletis non poteſt eſſe notio pulcra? nonne ſententia honeſtiſſima, pulcerrima, ſapientiſſima exprimi poteſt verbis ita hiulcis, aſperis, ſalebroſis, vt in iis et lingua moleſte laboret, et aures iniucundiſſime radantur? Quemadmodum enim in priſcis artis operibus videmus ita comparatum eſſe, vt, quo quaeque propius ab artis veluti incunabulis abſint, eo rudiora et aſperiora minusque ad ſenſum pulcritudinis apte facta et coloribus et formis reperiantur, quae poſtea, cum ratio, et ſtudium et exercitatio ſenſum pulcritudinis acuiſſet et emendaſſet, politiora, venuſtiora, et pulcriora menſurae concinnitate, forma, coloribus etc. extiterunt: ita in omnibus fere linguis eadem haec ratio fuit, vt, qui priſcis et rudibus ſaeculis, vel verba nonnulla, vel eorum ſtructuras et compoſitiones, aſperius, hiulcius, vaſtiusque, quam aurium elegantia ferre poſſet, fictas animaduerterent, eas tum literis mutandis, transponendis, inculcandis, mouendis, tum ordine inſtruendo emendauerint, ac veluti laeuigarint et expoliuerint. In his ergo rebus pulcritudo illa cernitur, quae in ſingulis quoque verbis et formis dicendi, remota rerum notionumque pulcritudine, cuius neceſſitatem nemo negat, locum habere poteſt. Quodſi illa ratio valuerit, quam Schellerus vnice adamaſſe videtur, vt in verba ſingula vel iuncta formalem quandam pulcritudinem cadere negemus, adeoque eam totam negligamus, verendum profecto eſt, ne, quantum id in lingua aliqua fieri poteſt, ad illam artis infantiam et barbariem reuoluamur, quam veteres dicendi ſcribendique artifices paſſim in Catonis, Ennii, Naeuii, Lucilii aliorumque priſcorum ſcriptis notarunt, laudan-

laudantes potius et commendantes ſincerum et elegans iudicium Atticorum, quorum aures ita teretes et religioſae eſſent, vt, qui orator his placere cuperet, nullum verbum inſolens, nullum odioſum ponere auderet. Ipſe Ariſtoteles, cuius omnis diſciplina rhetorica hominis eſt rerum magis veritatem et fidem, quam verborum elocutionisque ornatum curantis, et commendantis, Libr. 3. Rhet. Cap. 2. *κάλλος*, inquit *ὀνόματος τὸ μὲν ἐν τοῖς ψόφοις, ἢ τῷ σημαινομένῳ. καὶ αἶσχος δὲ ὡσαύτως*, et mox *τὰ καλὰ* non modo *τῇ δυνάμει*, ſed etiam *τῇ Φωνῇ* commemorat. Legat Demetrii de Eloc. §. 173. ſqq. qui Graecos dubitat verborum pulcritudinem non ſola ſignificationis dignitate et honeſtate, ſed et forma et ſono iudicaſſe. Neque vero hoc mirandum videtur in Graecis hominibus, qui cum eloquentiae ſtudio et omni doctrina Muſices etiam ſcientiam coniungere ſolebant, vt ne doctus quidem haberetur, qui Muſices plane imperitus eſſet. Huius enim cognitio et vſus, quemadmodum ad ſenſus animi emolliendos, et ad omnem prope humanitatem in animo explicandam ſummam vim habet, ita tantum quoque valere in oratione conformanda et in omni eloquentia exiſtimari debet, vt, ſi quem cognouerimus ab orationis verborumque conformatione vel conſtructione hiulca, vaſta, ſalebroſa, et veluti confragoſa non abhorrentem, eum ab omni Muſices ſcientia alienum eſſe vel iuramento contendere poſſimus. Neque dicentibus modo vel declamantibus aurium noſtrarum iudicium adhiberi poſſe putandum eſt. Nam etiam quae taciti legimus, muto quodam labiorum et linguae veluti conatu declamamus, adeoque non minus, quae pulcra deformisue verborum et orationis forma ſit, tacito quodam aurium ſenſu aſſequimur et iudicamus.

Pleniorem vocem grauioremque coniungit Cic. Brut. 84. intelligitque eloquentiam oratoriam, quae proprie dicitur, contrariam *anguſte* et *exiliter* dicendi rationi, quae hiſtoricum, philoſophicum vel ſimilis generis ſcriptorem decet. „Subſellia, inquit, *grauiorem, plenioremque* vocem deſiderant.“ Itaque etiam in literis ſingulis Quintil. 9, 4. 34. *plenior* eſt, quae ſatis aperto ore et pleniore ſpiritu effertur, vt litera E, cui opponitur I *anguſtior*, quae exilem ſonum ex anguſta oris forma habet. Neque enim neceſſarium puto, vt cum

T 2 Geſnero

Geſnero *planior* legamus. Nam in hoc noſtro loco inter literas E, et I, comparatio inſtituitur. Sic et §. 116. „Optime, inquit, de compoſitione iudicant aures, quae et *plena* ſentiunt, et parum expleta deſiderant." cf. Gellius N. A. 1, 7. vbi verbum *explicauit*, ad aurem *completius* eſſe dicitur, quam *explicuit*, cuius imperfectus et debilis numerus ſit. Et Ciceroni Orat. 29. *implere* aures periodus dicitur numeroſa, et iuſtae magnitudinis.

In doctrina de pronuntiatione et vocis virtutibus vitiisque Quintil. 11, 3. ad qualitatem vocis etiam hoc refert, vt ſit vel *plena* vel exilis. In quo loco *plena* haud dubie dicitur, quae ſonum rotundum, pinguem, et in auribus dignitatis quendam perfectionisque ſenſum relinquentem habeat, *die volle*, *runde*, *füllende Stimme*. Vnde, quae ſit exilis, facile intelligitur; praeſertim cum Graeci, vtrique ſignificandae πλατειασμὸν, et ἰσχνοφωνίαν deſtinauerint. vid. Lex. gr. techn. in πλατύτης, et ſupr. in voc. *exilis*. Scilicet vox grauis eadem etiam eſt plena, acuta autem eadem et tenuis et exilis. Sic diſerte Quintilianus 11, 3. 42. ſonum grauiſſimum, minus clarum, nimiumque *plenum* dicit, et paulo poſt, *vox*, inquit, vt nerui, quo remiſſior, hoc et *grauior* et *plenior:* quo tenſior, hoc tenuis et acuta magis eſt. Quo et illud pertinet, quod Quintil. 9, 4. 83. *pedes temporibus pleniores* appellat, qui longis ſyllabis conſtant, quoniam veluti os implent, ſtabiliores ſunt, et grauiorem orationem efficiunt. Vtrumque hoc, ſonus grauitatem illam, et hanc pedum ſtabilitatem, coniunctim cogitandum eſſe videtur, vt intelligatur, quodnam ſit illud genus vocis *plenum*, quod miſeratio et moeror ſibi ſumat, auctore Cicerone de Or. 3, 58.

Pleonaſmus. vid. *Congeries.*

Politus.

Oratio *polita*, vel ſcriptor *politus* Rhetoribus dicitur, cum forma dicendi venuſtior eſt et elegantior ex apta concinnaque verborum inprimis membrorumque ſtructura, numeroſaque compoſitione. Itaque de antiquioribus maxime, in quibus ob temporum illorum morumque ſimplicitatem omnia horridiora fuerunt, hanc ferre

ferre ſententiam ſolent, vt eos *minus politos* fuiſſe dicant. Legatur omnis locus Cicer. Brut. 17. et 18. qui de Catonis genere dicendi copioſam diſputationem habet. Sed non minus huc pertinet locus Cic. de Orat. 2, 13. vbi, vt *perpolire* dicitur is, qui accurata et eleganti exquiſitaque dicendi ratione vſus ſit, ita *dolare* is, qui orationem vtcunque et mediocri tantum arte inſtruxit. „Ipſe Coelius, inquit, non verborum collocatione, et tractu orationis leni et aequabili *perpoliuit* opus ſuum, ſed vt homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, ſicut potuit, *dolauit.*" Hinc Lyſias idem et venuſtiſſimus et *politiſſimus* dicitur Cic. in Orat. 9. vid. voc. *pingere.*

Pondus.

Quaecunque ſingularem grauitatem, dignitatem, et vim habent ad mentes mouendas percellendasque, *pondera* dicuntur, quae non ſolum rebus et ſententiis, ſed verbis etiam dicendique formis tribui ſolent. vid. Cic. de Or. 2, 17. qui omnis locus vim vocabuli explanabit. cf. Lex. gr. techn. in *βάρος*. Itaque Demoſthenes a Cicerone Orat. 8. *examinans omnium verborum pondera* dicitur, quod ſubtili et accurato iudicio omnes elocutionis ſuae partes ad aures, ingenium, ſenſusque auditorum ſuorum fingeret et accommodaret. Nam in eloquentia, non, vt in philoſophia, res tantum ſed etiam *verba penduntur*, vt diſerte Cicero dicit in Orat. 16. — Quintilianus Lib. 6, 1. vbi de enumeratione, perorationis parte, diſſerit, „quae enumeranda ſunt, inquit, cum *pondere* aliquo dicenda ſunt, et aptis excitanda ſententiis, et figuris vtique varianda; alioqui nihil eſt odioſius *recta illa repetitione*, velut memoriae iudicum diffidentis." In quo loco *pondus* intelligi poſſe videtur de illa orationis grauis virtute, quam *ἐνέργειαν* et *ἔμφασιν* Graeci dixerunt, quae vim addit et vigorem quendam orationi, vt a ſermone ſimplici diſcrepet, et non ſolum doceat, ſed et mouendi vires habeat. cf. Lib. 10, 1. 97. Ad verborum autem et ſententiarum pondera non grauitatem modo illam et vim pertinere, ſed etiam ſuauitatem, patet e Ciceron. Orat. 58. et ex poetarum variis locis, vim aut ſuauitatem eloquentiae deſcribentium, vt Claudian. de Conſ. Mall. 19.

Iam nunc canities animi, iam dulce loquendi
Pondus, et attonitas ſermo qui duceret aures.

Stat. Theb. 1, 213. de oratione Iouis:

— graue et immutabile ſanctis
Pondus adeſt verbis, et vocem fata ſequuntur.

Valer. Flacc. 1, 39.

— fictis dat vultum et pondera verbis.

Saleii Baſſ. Carm. ad Piſonem 56.

Quis regit ipſe ſuam, niſi per tua pondera mentem?

Rebus ipſis, vbi pondera tribuuntur, argumenta inprimis intelliguntur, quae maximum momentum faciant, et potentiſſima ſint. vid. Cic. Partit. Or. Cap. 7. fin. Sic *pondera rerum* et *vires ſententiarum* iungit Quintil. 9, 3. 100. iisque opponit formas dicendi eas, quarum omnis virtus in verborum inani concinnitate et ſuauitate cernatur; quas ſine ſententia ſectari tam ſit ridiculum, quam quaerere habitum geſtumque ſine corpore. cf. Gellius N. A. 17, 20. vbi de Platonis aliquo loco Taurus Philoſophus, „ad ipſa Platonis penetralia, inquit, ipſarumque *rerum pondera* et *dignitates* pergendum eſt, non ad vocularum eius amoenitatem, nec ad verborum venuſtates deuerſitandum." Addo elegantes verſus Ouidii elegos negantis triumpho laudando ob argumenti grauitatem pares eſſe. Epiſt. Pont. Lib. 3. ep. 4, 85.

Ferre etiam molles elegi tam vaſta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.

Ponere.

Cicero in Orat. 59. „*ponendus* eſt, inquit, ambitus verborum, non *abiiciendus.*" Disputatur in eo loco, totone in ambitu verborum numeri tenendi ſint, an in primis tantum partibus et extremis, cum plerique cenſeant cadere tantum numeroſe oportere terminarique ſententiam. Iam cum in verbo *ponendi* notatio ſit actus ſedatioris et moderatioris, in *abiiciendo* autem contraria actionis celerioris et repentinae ſignificatio, Cicero illis verbis docet, vnumquemque ambitum verborum ita in oratione declarandum et vero etiam pronuntiandum eſſe, vt non ſolum extrema ſentiantur, ſed et prima et media recte percipiantur. Qui ergo periodum aliquam tam celeri pronuntiatione effert, vt auditores nec verba nec ſententias nec numerum

merum ſatis perſpicue aſſequi poſſint, is *abiicit* periodum. Qui autem contrario modo enuntiat, ita vt ſingulorum membrorum et partium rationem reddere auditores poſſint, is *ponit* verborum ambitum. Hic ſenſus etiam ex ſequentibus hisce intelligi poteſt: *Quare cum aures extremum ſemper exſpectent, in eoque acquieſcant, id vacare numero non oportet: ſed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet verborum illa comprehenſio, et tota a capite ita fluere, vt ad extremum veniens ipſa conſiſtat.* Sentient, qui harum rerum ſenſum habent; quanto cum acumine Cicero plura verba, quae vim illam verbi *ponere* veluti adiuuent, accumulauerit, vt haec: *ferri*, *fluere*, *veniens*, *conſiſtat.* Nam vnumquodque horum verborum, periodi *poſitae*, hoc eſt, moderata diſtinctaque voce declaratae atque elatae notionem ſignificat. Fieri etiam ſolet, vt in lingua germanica verbis, *dargeſtellt*, vel *hingeworfen*, ſimilem vim et poteſtatem tribuamus. His iam finitima eſt *negligentiae* notio, quam *abiiciendi* vocabulo expreſſerunt. Ita Cicero Orat. 55. Comicorum ſenarios *abiectos* dicit, hoc eſt, negligentius et licentius compoſitos. Et de Orat. 3, 26. *abiicere verſum* de actore verſum negligenter pronuntiante, vt iam in Claue Cic. notatum reperimus.

Popularis.

Dictio *popularis* eſt, apta concionibus Cic. Brut. 44. vt *populare genus dicendi* Cap. 70. vbi id tribuit Metellis, quamuis in cauſis nihil verſati fuiſſent. Quale illud ſit, ex omni loci contexto intelligi poterit. Paulo alio ſenſu *eloquentia popularis* Ciceroni Orat. 3. pro ipſa forenſi dicta, at, quae magis populi admirationem, quam elegantem doctrinam haberet. Huc inprimis pertinet locus Ciceronis in Orat. 19. vbi *ſententias* et *verba popularia* propria tantum oratori eſſe dicit, a quibus ſe philoſophi abstineant. cf. de Orat. I, 52. vbi *popularitatis* quaedam veluti praecepta et artificia tradit; et Brut. 11. vbi Periclem ab Anaxagora phyſico eruditum exercitationem mentis a reconditis abstruſisque rebus ad cauſas *forenſes popularesque* traduxiſſe dicit. Cap. autem 30. Rutilii dicendi genus, quamuis peracutum et artis plenum, tamen exile et *populari* aſſenſioni non ſatis accommodatum appellat,

 propter

propter iſtud ipſum ſcilicet acumen et doctrinam reconditam, quam populus nec deſiderat nec intelligit. vid. quae ad voc. *deuorare* dicta ſunt.

Praeceps. vid. *Periculum.*

Praeceptum.

Exordium *contra praecepta*, in vitioſis refertur a Cicerone de Inuent. 1, 18. quod nihil eorum efficit, quorum cauſa de exordiis praecepta traduntur, h. e. quod eum qui audit, neque beniuolum, neque attentum, neque docilem efficit, aut, vt contra ſit, facit. vid. Quintil. 4, 1. 71.

Praeciſio. Praeciſus.

Figura elocutionis illa, quae *praeciſio* dicitur, apud Auctorem Herenn. 4, 30. hanc vim habet, vt dictis quibusdam, reliquum, quod coeptum eſt dici, relinquatur in audientium iudicio. Eandem et *abſciſſionem* vocat Lib. 4, 54. vid. Lex. gr. techn. in παράλειψις. Quintilianus etiam Lib. 9, 2. 57. *praeciſam orationem* discernit a *reticentia* ſ. ἀποσιωπήσει, quae habeat ſermonem imperfectum: *Abgebrochenheit im Gegenſatz der gänzlichen Verſchweigung.* Sic Georg. Trapezunt. Lib. 4. Rhet. p. 34. *praeciſiones* dicit interruptam ſilentio orationem relinquere. Et alio loco Lib. 5. p. 78. *praeciſio* fit, inquit, cum quod dicere incepimus, quaſi ſubito vel pondere vel turpitudine rei commoti, reticemus, vt in his: *hunc tu modeſtum putas, qui nuper alienae domui —?* Itaque huc pertinebunt haec quoque Senecae Epiſt. 114. „Sunt qui ſenſus *praecidant*, et hinc gratiam ſperent, ſi ſententia *pependerit*, et audienti ſuſpicionem ſui fecerit.“ Et apud Cicer. de Nat. Deor. 2, 29. *praeciſe* loqui is dicitur, qui *mundum prouidentia regi* dicat, et omittat *Deorum*, breuitatis cauſa. Teneatur omnino hoc, in *praecidendo* apud Latinos repentini et violenti actus notionem ſitam eſſe; (cf. Cic. Offic. 1, 33. 8.) Sic in illius *praeciſionis* ſenſu iudicando minus errabimus. Maxime enim in vocabulis eiusmodi technicis Rhetores Latini hoc obſeruarunt, vt eorum verborum, vnde illa fingebant, vim etiam propriam transferrent.

Praeiudicium.

Haec vox, quamuis ad technologiam forenſem proprie pertinet, tamen quoniam a Quintiliano in probationum praeceptis commemoratur et explicatur, ſilentio praetermittenda nobis non videbatur. Nam cum ille Lib. 5, 1. probationes ἀτέχνυς ſ. *inartificiales* praeiudiciis, rumoribus, tormentis, tabulis, iureiurando et teſtibus contineri docuiſſet, *praeiudicia* quidem in tribus partibus verſari tradit, 1) rebus, quae aliquando *ex paribus cauſis* ſint iudicatae, quae *exempla* rectius dicuntur; 2) iudiciis ad ipſam cauſam pertinentibus, vnde etiam nomen praeiudiciorum ductum eſt: 3) auctoritate eorum, qui pronuntiauerunt, et ſimilitudine rerum, de quibus quaeritur. Cicero haec omnia *rebus iudicatis* ſignificaſſe videtur Lib. 2. de Orat. 27. vbi de eadem re ſermo eſt. Graeci Rhetores hanc partem probationum non commemorant. vid. quae ex his docuimus in Lex. gr. techn. ad voc. πίστις. Nam quod Hermogenes Partit. p. 8. ed. Laur. inter τὰ ἀσύστατα commemorat etiam τὸ προειλημμένον τῇ κρίσει h. e. *praeiudicia*, id quidem huc non videtur trahendum eſſe.

Praemunitio.

Praemunitio orationis dicitur, qua ea, quae acerbius et grauius in aliquem dici debeant, mitigantur quodammodo extenuando, laudando, vt ne iudices a te abalienes. Cic. de Orat. 2, 75. et Lib. 3, 53. vbi inter formas dicendi varias etiam refertur, *praemunitio ad id quod aggrediare*, quam Graeci παρασκευὴν, προπαρασκευὴν, vel etiam προδιόρθωσιν, προθεραπείαν, προκατάληψιν appellarunt, de quibus in Lex. gr. technol. disſeruimus. cf. Quintil. 4, 2. 71. vbi *praemuniri* cauſa dicitur, cum ea, quae cauſae noſtrae obſunt, excuſare dicendo et mitigare conamur. Idem Lib. 9, 2. 16. ſeq. προλήψεως, quam *praeſumtionem*, alii *occupationem* appellant, ſpecies quasdam facit, *praemunitionem*, *confeſſionem*, *praedictionem*, *emendationem* et *praeparationem*, cum pluribus verbis vel quare facturi quid ſimus, vel quare fecerimus, dici ſolet. Iul. Rufin. p. 29. προϋπεργασίαν *praemunitionem* interpretatur, qua ante vtamur, vt confirmet id, quod ſubiecturi ſimus, vt, ſi teſtem producturi ſimus, ante eſt, vt ei fidem habendam eſſe doceamus.

Praeparatio.

Praeparationes in Rhetoricis dici ſolent, cum orator in prooemio vel in narratione ea attingit, quae proprie non ſunt huius loci, ſed quorum praeuia commemoratio aliquam tamen vim habere poteſt ad iudicem praeparandum et occupandum, vt, ſi illa ſuis locis vberius exponuntur, facilius moueant, vel credibiliora ſint. Tales *praeparationes* commemorat Quintil. Lib. 4, 2. 55. ſq. quo et pertinet, quod ibidem praecipit, *ſemina probationum ſpargere*, quas Graeci ἔννοιας σπερματικὰς dixerunt, vt in Lex. gr. techn. docuimus, vel *narratione delibare, quae probatione tractaturi ſimus.* Hoc omne artificium Graeci vocibus παρασκευῆς, et παρασκευάζειν iam ante hos Latinos Rhetores expreſſerant. Mox Fabius Cap. 3. l. c. etiam ante quaeſtionem vel ante confirmationem, ſi illa prima ſpecie non ſit admodum fauorabilis, vtilem ſtatuit *praeparationem* eſſe, ad conciliandum probationibus noſtris iudicem. „*His*, inquit, *velut fomentis, ſi quid erit aſperum, praemolliemus, quo facilius aures iudicum, quae poſt dicturi erimus, admittant, ne ius noſtrum oderint.*" Non eſt dubium in his metaphoris Graecos Rhetores Latinis praeiuiſſe, qui in eadem re προθεραπεύειν, προθεραπείαν, θεραπεύειν, ἰατρεύματα adhibere ſolent: id quod in Lex. gr. techn. exemplis firmauimus. vid. *praemunitio.* Iulius Rufin. Schem. ſent. p. 36. προκατασκευὴν, qua rei, de qua acturi ſumus, colorem praeparamus et praetendimus, *praeparationem* interpretatur. cf. Cur. Fortunat. p. 61. a quo προπαρασκευὴ explicatur *praeparatio* ſ. *praeſtructio*, qua nobis iudicem praeparamus, cum aut quaedam nobis obſunt, et illis prius occurrendum eſt, aut cum quaedam proſunt, et ea debemus vtiliter ſpargere, quae nobis per totam actionem prodeſſe poſſint. Idem Rhetor p. 63. narrationem, quam προκατασκευὴν Graeci dixere, hoc eſt, quae quaeſtionum in ſe ſemina habeat, *praeſtructivam* interpretatur, et a praeparatione illa, quae προπαρασκευὴ dicta eſt Graecis, diſtinguit ἀνανέωσιν, ita vt illa rem ipſam tractet, qua iudex concilietur, haec autem ad rem audiendam iudicem praeparet, non ipſa re.

Praeſidia. vid. *Contentio.*

Prae-

Praeſtructio. vid. *Praeparatio.*

Praeſumtio.

Praeter ea, quae ſupra ad voc. *Occupatio* de huius verbi vſu dicta ſunt, notandum hoc in loco videtur apud Quintilianum Lib. 9, 2. 18. *praeſumtionem* etiam appellari formam illam dicendi, *qua vis et proprietas verbi, quo vſi ſumus, confirmatur*, vt in his: *quanquam illa non poena, ſed prohibitio ſceleris fuit.*

Praeteritio.

Gr. παράλειψις, Aquilae Rom. p. 14. dicitur, vbi quaſi praetermittentes quaedam nihilominus dicimus. Vtemur autem hoc adiumento in iis, quae infirma vel inuidioſa nobis futura ſunt, ſi directo dicantur. vid. *Omiſſio* et *Praeciſio.* Nonnullis etiam graeca vox *praetermiſſio* explicatur, vt Georg. Trapez. Lib. 1. Rhet. p. 6. Ald.

Praetextatus.

Verba *praetextata* pro obſcoenis dicta eſſe veteribus, dubium eſſe non poteſt ei, qui Suetonii Veſpaſ. 22. Gellii N. A. 9, 10. et Macrobii Saturn. 2, 1. legit. Sunt etiam, qui *mores praetextatos* a Iuuenali Sat. 2, 170. commemoratos, pro ſordidis et obſcoenis accipiant. Quis autem metaphorae fons eſſet, ne Feſto quidem certum ac definitum fuit. Is enim ita: *Praetextatum ſermonem quidam dici putant, quod praetextatis (pueris) nefas ſit obſcoeno verbo vti. Alii, quod nubentibus depoſitis praetextis a multitudine puerorum obſcoena clamentur*, vel, vt explicat Ferrarius de re Veſt. 2, 1. p. 135. quod, cum nupturae puellae praetextam deponerent, ad demulcendum pudorem nuptiali licentia Feſcennina cantarentur. Hanc quidem rationem Ferrarius amplectitur, priore repudiata. Iac. Gronouio ad Gellii locum laudatum neutra ratio ſatis faciebat; neque is tamen melius quidquam docuit. Quid ego ſentiam, non tacebo. Metaphoram a praetexta toga ſumtam eſſe, dubitari non poteſt. Poterat is, qui metaphoram primus finxit, aliud quoque genus veſtimenti mente concipere; ſed praetextam voluit; ergo in eo iam ſubſiſtamus. Quemadmodum autem praetexta toga, cum totum corpus vsque ad pedes tegeret,

geret, inprimis impediebat, ne qua corporis pars inhoneſte et obſcoene appareret: ita *praetextata verba* aliquis dixerit ea, quae praetexta veluti quadam obtegenda et inuoluenda ſint, ne, ſi nuda ponantur, pudicas aures offendant, quaſi *praetextanda*, vt verba *praefanda* dici ſolent, quibus, ob turpitudinem et obſcoenitatem ſenſus, honos praefandus ſit, apud Quintil. 8, 3. 45. vbi in plerisque libris *praefata* legitur, fortaſſe rectius, quoniam rarior et antiquior ea dicendi ratio videtur. Nam eadem forma vſus Cicero mihi videtur, cum Lib. 2. epiſt. ad Diu. ep. 9. dignitati *praeſenti* opponit *ſperatam*, quae tamen alia eſſe non poteſt, quam *ſperanda* in poſterum. Talium formarum ſenſus ſubtilior, quam illi Latini profecto habebant, nobis deeſt: quo minus hodie illico falcem criticam iſtis locis immittere debemus. Simili plane metaphora, quae et illi priori lucem adferre poteſt, Plinius Lib. 4. epiſt. 14. *nuda* verba pro turpibus et laſciuis dixit. Quintilianus etiam Lib. 8, 3. 38. „ne inornata ſunt quidem, inquit, niſi cum ſunt infra rei, de qua loquendum eſt, dignitatem: excepto, *ſi obſcoena nudis nominibus enuntientur*. vid. voc. *Nudus*. Et Cicero Lib. 9. Ep. 22. de loco, cuius obſcoenitas non tam in verbis quam in re ineſſet, „*ſermo*, inquit, *eſt totus verbis tectus*, re impudentior." Sed magis huc pertinet locus Ael. Lamprid. in Vita Heliog. Cap. 34. „Multa improba reticui, inquit, et quae ne dici quidem ſine maximo pudore poſſunt. Ea vero, quae dixi, *praetextu verborum* adhibito, quantum potui, *texi*."

Preſſus. Premere.

Apud Cicer. de Or. 2, 13. Thucydides dicitur ita aptus et *preſſus*, vt neſcias, *vtrum res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur*. Plane ſic Seneca Ep. 59. de Lucilio ſuo: „non effert te oratio, nec longius, quam deſtinaſti, trahit: *preſſa* ſunt omnia et *rei aptata*. Loqueris quantum vis, et plus ſignificas quam loqueris." Locus claſſicus ad vim verbi declarandam eſt l. c. Cap. 23. vbi de Sulpicio: „multo eius oratio eſſet *preſſior;* in qua nunc interdum in ſumma vbertate ineſt luxuries quaedam, quae ſtilo depaſcenda eſt." Haec preſſae orationis virtus propria eſt eorum oratorum, quibus in antecedentibus *neruos* et *ſuccum* tribuerat.

rat. Similis Graecorum metaphora eſt in *συστροφῇ*, de qua vid. Lex. gr. Hinc ſimili ſenſu Cicero *compreſſione rerum breues* in Bruto Cap. 7. dixit Alcibiadem, Critiam, Theramenem, et ipſum Thucydidem, vt ſignificaret quod nos vocare ſolemus *die Gedrängtheit, gedrängte Kürze.* Vnde et ortam illorum obſcuritatem mox notat. Eandem *contractionem orationis* vocat Partit. Cap. 6. et Brut. 13. Aſiaticos oratores, *parum preſſos*, et *nimis redundantes* fuiſſe iudicat. Quare et Quintil. 8, 3. 40. *abundanter* et *preſſe* dicere, vt oppoſita commemorat. Simili metaphora ab eodem Rhetore Lib. 10, 1. 73. Thucydides *denſus* et *breuis* dicitur. cf. Schulz. ad Dial. de corr. Eloq. p. 7. et Cic. de Finn. 2, 6. — Illi preſſo generi dicendi contrarium vitium eſt *ieiunae* dictionis. Ita Cic. Brut. 55. *cauenda eſt*, inquit, *preſſo illi oratori inopia et ieiunitas: Trockenheit, Unfruchtbarkeit.* Hinc *preſſis* opponuntur *exiles* apud Quintil. 10, 2. 16. Is porro eadem metaphora Lib. 4, 2. 117. *preſſum et veluti applicitum rei cultum* opponit *copiae orationis circumiectae*, plane vt Graeci *συνεστραμμένην* et *πεπυκνωμένην λέξιν* contrariam *τῇ περιβεβλημένῃ* facere ſolent; (vid. Lex. gr. techn. in *περιβάλλειν*) *gedrängter, der Sache genau angepaßter Vortrag, im Gegenſatz des ausführlichern, und ausſchweifenden.* Sequenti autem capite in eandem rem deueniens Rhetor *preſſam narrationis gracilitatem* appellat. Similem ſenſum cogitare debemus, cum Quintilianus Lib. 8, 3. 13. poſtulat, vt *ornatus* elocutionis in orationibus veris et forenſibus ſit *preſſior* et *ſeuerior*, hoc eſt, non ita luxurians et comtus, qui demonſtratiuo magis dicendi generi conuenit: *ſolider, edler, männlicher Schmuck, im Gegenſatz eines üppigen Flitterglanzes.*

Non plane quidem ſimilis, at affinis tamen illi ſignificatio eſt, qua apud Quintilianum Lib. 11, 1. 31. pleno et erecto opponitur *preſſum* et *mite* dicendi genus, h. e. remiſſum, temperatum, et veluti virium ſeneſcentium, ſpiritusque refrigerati veſtigia indicans, quale inprimis ſenibus conueniat, ſi apte dicere velint. Quo ſenſu Cicero in Bruto 2. orationem ſuam *caneſcere* coepiſſe dixit, et Cap. 43. Craſſi orationem *ſeniorem*, quam eius aetas ferret, ob ſeueritatem et grauitatem, quae ſenum potius quam adoleſcentis eſſe ſolet. cf. Cap.

Cap. 76. vbi *literatae ſenectutis*, cuius plena fuerit Triarii iuuenis oratio, haec documenta ponit: *Quanta ſeueritas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non conſideratum exibat ex ore!* vid. quae ad voc. *laetus* notauimus. Graeci hoc proprio vocabulo *πρεσβυτικὸν* appellant, quod in Lex. gr. techn. explicauimus. Eadem prope metaphora Plinius Lib. 7. ep. 12. ſonantibus et elatis, *preſſa* et *exilia* opponit.

Preſſe loqui dicitur is, qui tam preſſo ore loquitur, vt exinde lenitas et ſuauis quaedam ſubtilitas ſoni et vocis conſequatur, quae vaſtitati et ruſticitati loquendi contraria eſt, in qua nimirum os non *premitur*, ſed dilatatur, et extra modum aperitur. Sic Cic. Orat. 3, 12. vbi *lenitas* et *preſſus* oris commemoratur, et his qui vaſte, ruſtice, hiulce loquantur, opponuntur illi, qui *preſſe*, et aequabiliter et leniter. cf. Offic. 1, 37. — Cicero Lib. 3. de Orat. 58. vbi genus illud vocis deſcribit, quod moleſtiae ſignificandae aptum ſit, haec etiam ponit: *ſine commiſeratione graue quiddam, et vno preſſu ac ſono obductum.* His verbis ſine dubio haec duo coniunctim praecipiuntur, vt partim vnam conformationem, et quidem compreſſionem labiorum os habeat, partim vno ſono vox prodeat: *das Uniſono des verbiſſenen Schmerzes.* Neque enim illorum rationem probare poſſum, qui *preſſum* de ſpiritu et anima accipiunt. Eſt potius in illis *vno preſſu ac ſono*, quoddam hendiadys, ſed ita verbis poſitis, vt vnum ſua ſignificatione alterum adiuuet. Deſcribitur oratio hominis ex intimo ſollicitudinis et moleſtiae ſenſu grauiter et vno ſono vocem exprimentis. Alio ſenſu *preſſa* et *temulenta* vox iungitur in Orat. ad Senat. poſt. red. Cap. 6.

Reſtat duplex vocabuli *premere* vſus, inprimis acuta metaphorarum ad virtutes oratorias accommodatarum notatione inſignis. Primum enim, qui *premit* rem, in ea immoratur, inhaeret, et ſic lentius agit. Itaque Quintil. 11, 3. 111. *preſſam pronuntiationem* appellat, qua inſtamus, inculcamus aliquid, inſigimus, eique opponit *citatam*, qua transcurrimus, congerimus, abundamus, feſtinamus: *der mit Nachdruck und einſchärfender Haltung verweilende Vortrag, im Gegenſatz der eilenden, raſchen Declamation.* Nam, vt Plinius ait Lib. 1. ep. 20. „plerisque *longiore tractatu* vis quaedam

dam et pondus accedit: vtque corpori ferrum, ſic oratio animo, non ictu magis, quam *mora imprimitur.*" — Deinde *premere* alterum dicitur apud Latinos is, qui v. c. fugientem non relinquit, ſed veluti inhians et deprehenſurus ſequitur; adeoque adiuncta ei verbo eſt notio alacritatis cuiusdam et vehementiae, qua aliquid agimus, tenemus, dicimus. Iam Quintilianus, cum declaraſſet, quantae vires ſententiae adderentur ex vſu apoſtrophes in exordio adhibitae, exempli cauſa prooemium orationis pro Ligario laudat, in quo Cicero orationem ad Tuberonem conuertit, eiusque ἀποστροφῆς hoc ſuum iudicium addit: „Erat multo futura languidior oratio, ſi eſſet aliter figurata. Quod facilius agnoſcet, ſi quis illam totam partem vehementiſſimam, cuius haec forma eſt: *Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum* etc. conuertat ad iudicem: tum enim vere auerſa videatur oratio, et langueſcat vis omnis, dicentibus nobis: *Habet igitur Tubero* etc. Illo enim modo *preſſit* atque inſtitit, hoc tantum *indicaſſet: Mittelſt der Apoſtrophe ſpielte Cicero den lebhaften affectvollen Gegner: ohne ſie hätte er blos einen kalten Referenten gemacht.* Similia prorſus ſunt, quae Quintilianus 4, 2. 106. ſq. de apoſtrophe in narratione adhibenda ſine metaphora notat: „Sermo auerſus a iudice et breuius indicat interim, et *coarguit magis.*" — Alio ſenſu, de quo nunc pauca notabimus, *premere argumentum*, vel res tractanda, dicitur, quae, quoniam vel difficilis, vel moleſta et noxia nobis eſt, nec recte commemorari poteſt, neque vero etiam bene ſilentio praetermitti, quia tale ſilentium malae cauſae ſuſpicionem adferre ſolet. Hac metaphora Cicero in loco per ſe elegantiſſimo et prudentiae pleniſſimo vſus eſt de Orat. Lib. 2, 72. vbi ſuam dicendi conſuetudinem Antonius ita deſcribit: „Confiteor, inquit, me, *ſi quae premat res vehementius*, ita cedere ſolere, vt non modo non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto fugere videar: ſed adhibere quandam in dicendo ſpeciem atque pompam, et pugnae ſimilem fugam: conſiſtere vero in meo praeſidio ſic, vt non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci cauſa ceſſiſſe videar."

P r i m o r d i a.

Primordia dicendi, ſunt rudimenta quaedam et praeexercitationes, quibus aetates nondum Rhetorem capien-

capientes inſtitui ſolebant, vt ait Quintilian. 1, 9. Graeci *προγυμνάσματα* vocant, de quibus vid. Lexicon gr. technol. In his tradebantur fabellae Aeſopi, ſcribebantur ſententiae, Chriae, Ethologiae, Proſopopoeiae, Suaſoriae declamationes, loci communes; quas materias inter *rudimenta dicendi* recenſet idem Quintil. 2, 1. 8. et mox *prima Rhetorum praecepta* appellat. Nam nihil eſt eorum, quod non in aliquod genus dicendi incidat. Ergo, *arma ſunt haec*, inquit, *quodammodo praeparanda ſemper, vt his, cum res poſcet, vtaris.* Easdem Lib. 5, 13. 44. *exercitationes* vocat, *quae foro praeparantur:* Suetonius de Ill. Gramm. Cap. 4. quaedam genera *inſtitutionum*, ad eloquentiam praeparandam, vt problemata, paraphraſes, elocutiones, ethologias, atque alia hoc genus, ne ſcilicet ſicci omnino et aridi pueri Rhetoricis traderentur. Qui cum ab incunabulis prope orandis cauſis et declamando exerceri ſaepe ſolerent, hinc factum, vt nonnulli in ea re *ludendi* vocabulo vterentur. Ita Calpurnius Eclog. 1. Numeriani ſtudium eloquentiae praecox et praematurum laudaturus:

maternis cauſam qui luſit in vlnis.

ad quem locum vid. Wernsdorf. Excurſ. I. Et Saleius Baſſus in Carm. ad Piſon. 75. de Piſone declamante:

Tunc etenim leuibus veluti proludit in armis
Compoſitisque ſuas exercet litibus artes.

Principium.

Graecorum *προοίμιον*, ſpecies exordii, qua ſtatim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita ſumitur, vt attentos, dociles, et beniuolos auditores habere poſſimus. Haec ſunt verba Auctoris Herenn. 1, 4. ſq. De eodem genere Cic. Inuent. 1, 15. Partit. Or. 8. et de Orat. 2, 78. e quo loco hoc breuiter at egregie praeceptum transferre licebit: „Omne principium, inquit, aut rei totius, quae agitur, ſignificationem habere debebit, aut aditum ad cauſam, et munitionem, aut quoddam ornamentum et dignitatem.“ Deinde hoc ex Cap. 80. init. „Connexum ita ſit *principium* conſequenti orationi, vt non tanquam citharoedi prooemium affictum aliquod, ſed cohaerens cum omni corpore membrum eſſe videatur. Nam nonnulli

nulli, cum illud meditati ediderunt, ſic ad reliqua transeunt, vt audientiam ſibi fieri nolle videantur. Atque eiusmodi illa *proluſio* debet eſſe, non vt Samnitum, qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtantur, ſed vt ipſis ſententiis, quibus proluſerunt, etiam pugnare poſſint." — Scilicet haec talia maxime ſunt, quae nobis quoque hodie, in noſtro dicendi vel vſu vel neceſſitate, prodeſſe poſſint: cum multa alia, quae in his Ciceronis libris praeclare traduntur, a noſtris temporibus, moribus, et prope dicam ingeniis, aliena ſint. — Habet etiam exordii ſeu prooemii vim, quod Cicero in Orat. 14. *veſtibulum*, et *aditum* ad cauſam, et *primam aggreſſionem* vocat. cf. Lib. 2. de Orat. Cap. 79. quo in loco ſimul metaphorae huius fons oſtenditur.

Quintilianus Lib. 4, 1. Graecos maiore aliqua ratione ductos προοίμιον dixiſſe putat: quoniam in Latinorum *exordio* ſ. *principio* initium modo qualecunque ſignificetur, ſed in graeco vocabulo, ſiue ab οἴμη ſiue ab οἴμω deriuatum ſit, notetur id, quod ante ingreſſum rei, de qua dicendum ſit, ponatur. Et quia hoc genus principii vel exordii κατ᾽ ἐξοχὴν ad cauſas iudiciales, maxime illas graues et varias, pertinet, Quintilianus definit ita: „prooemium eſt, quod apud iudicem, priusquam cauſam cognouerit, profit." Cicero etiam de Orat. 2, 76. ita circumſcribit: *vt aliquid ante rem dicamus.* Vnde Plinius Lib. 2. ep. 3. ex Graeco verbo *prooemiari* dixit. Cum autem cauſae ſint, in quibus prooemio iuſto non opus eſt, vt in deliberatiuis, omnis tamen oratio aliquo modo incipere debeat, id Quintilianus *prooemii ſpeciem*, et *initium*, et *caput* appellavit. Nam Lib. 3, 8. 6. „prooemio, inquit, quale eſt in iudicialibus cauſis, non vbique eget (ſc. cauſa deliberatiua) quia conciliatus eſt ei quisque, quem conſulit. *Initium* tamen quodcunque debet habere aliquam prooemii ſpeciem; nec enim abrupte, nec vnde libuit, incipiendum; quoniam eſt aliquid in omni materia naturaliter primum." Et mox §. 9. „in Suaſoria etiam cum prooemio vtemur, breuiore tamen, et veluti quodam *capite* tantum et *initio* debebimus eſſe contenti." — Praeterea vero etiam *ingreſſum* pro prooemio Quintilianus paſſim dicit, vt Lib. 4, 1. 28.

Probabilis.

Probabile genus orationis eſt, vt Cicero ait Partit. Orat. Cap. 6. ſi non nimis eſt comtum et expolitum, ſi eſt auctoritas et pondus in verbis, ſi ſententiae vel graues ſunt, vel aptae opinionibus hominum et moribus. cf. Quintilianus Lib. 8, 3. 42. vbi haec ipſa Ciceronis verba laudat. Itaque et *ſententias probabiles* Cicero in Orat. 19. appellat, quae ad rem demonſtrandam, vel ad refutandum aduerſarium, et ad cauſam oratoris iuuandam magis quam ad concinnitatem et ornatum comparatae ſunt, ideoque propriae oratoris. In illo toto loco, quid inter Sophiſtarum et oratorum elocutionem interſit, explicaturus, *Sophiſtae,* inquit, *concinnas magis ſententias exquirunt, quam probabiles.*

Probabilis narratio Cic. Inuent. 1, 21. eſt, ſi in ea videbuntur ineſſe ea, quae ſolent apparere in veritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſae factorum extabunt, ſi fuiſſe facultates faciundi videbuntur, ſi tempus idoneum, ſpatii ſatis, locus opportunus ad eandem rem fuiſſe oſtenditur etc. cf. Partit. Or. Cap. 9.

In argumentatione *probabile* dicitur Ciceroni Invent. 1, 29. id, quod fere fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad haec quandam ſimilitudinem, ſiue id falſum eſt, ſiue verum. Itaque hoc probabile diuiditur ab eodem in ſignum, credibile, iudicatum, et comparabile. — Sed Auctor ad Herenn. 2, 2. in ſex modis tractandae cauſae coniecturalis, primum *probabile* appellat, cum probatur, expediſſe reo peccare, et a ſimili turpitudine hominem nunquam abfuiſſe. Id diuiditur in *cauſam* et *vitam,* hoc eſt, primum variae cauſae, quae ad maleficium inducere potuerint, adferuntur et examinantur; deinde et vita hominis ex ante factis ſpectabitur.

Probabilem autem oratorem a Cicerone inprimis dictum eſſe eum, qui placeat, et probetur, ex Orat. 2, 36. patet. cf. Lib. 1, 28.

Probationes.

Ita Rhetoribus appellantur res illae omnes, vnde aliquid probatur, πίστεις, vel etiam ἀποδείξεις dictae Ariſtoteli, quem ſequitur Quintilian. 5, 1. vbi illas ita partitur,

partitur, vt dicat alias eſſe, quas extra dicendi rationem accipiat orator, alias, quas ex cauſa trahat ipſa, et quaſi gignat, illasque *ἀτέχνους*, *inartificiales*, has *ἐντέχνους*, *artificiales* dici. vid. Lex. gr. techn. in *πίστις*. Ad prius genus Quintilianus refert *praeiudicia*, *rumores*, *tormenta*, *tabulas*, *iusiurandum*, *teſtes*, in quibus pars maxima contentionum forenſium exſiſtat. cf. Cur. Fortunat. p. 65. De poſteriori genere, quod totum in arte poſitum eſt, agit Quintil. l. c. Cap. 8. Sedes horum argumentorum neceſſe eſt, vel ſint in rebus, vel perſonis, vel iis quae vtrisque accidunt. Omnis autem *probatio artificialis* conſtat aut *ſignis* aut *argumentis*, aut *exemplis*. De his, quae Latinorum diſciplina ſit, aliis in locis ſeparatim exponimus. cf. Cap. 10. vbi cum vim *ἐνθυμημάτων*, *ἐπιχειρημάτων* et *ἀποδείξεων*, quae ſint tres argumentorum ſpecies, expoſuiſſet, „haec omnia, inquit, generaliter *πίστεις* appellant: quod etſi propria interpretatione dicere *fidem* poſſumus, apertius tamen *probationem* interpretabimur.“ vid. Cic. Partit. Cap. 3. et paſſim alibi, vbi ſemper *orationis fidem* commemorat. Ceterum explanatior Ciceronis de probationum generibus ſententia eſt Lib. 2. de Orat. 27. „Ad probandum duplex eſt oratori ſubiecta materies: vna rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, ſed in re poſitae, ratione tractantur: vt tabulae, teſtimonia, pacta, conuenta, quaeſtiones, leges, ſenatusconſulta, res iudicatae, decreta, reſponſa, et reliqua, ſi quae ſunt, quae non pariuntur ab oratore, ſed ad oratorem a cauſa atque a re deferuntur: altera, quae tota in diſputatione, et argumentatione oratoris collocata eſt.“ cf. Voſſ. Inſtitt. Rhet. Lib. 3. Cap. 5. p. 369. ſq.,

P r o c u r ſ u s.

Georg. Trapez. Lib. 1. Rhet. p. 7. hoc nomine appellat orationem eam, ad quam nos impetus affectuum, quos in dicendo commouimus, vehementius impellat. Itaque praecipit, vt, cum narratio nobis talis ſit, vt mirifice commouiſſe affectus videamur, *procurſu* quodam, qui ampliorem inuidiam incitet, poſt eam vtamur. Videtur eadem eſſe, quam *procurſionem* Quintilianus 4, 3. 9. hoc eſt, *παρέκβασιν* appellat.

Profiteri.

Aetate Quintiliani et Plinii *profiteri* ſimpliciter dici coeperunt, qui artem Rhetoricam docerent, vnde et *profeſſores* κατ' ἐξοχὴν appellati ſunt. Locus claſſicus eſt Plinii Lib. 4. epiſt. 11. cf. Lib. 2, 18. Simile eſt Graecorum ἐπαγγέλλεσθαι, quod Sophiſtarum proprium erat, vt et τὸ σοφιστεύειν. vid. Cic. ad Att. 2, 9. et omnino Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 3. Cap. 1. p. 150.

Profluens.

Cicero de Orat. 3, 7. de Carbone: „*profluens* quiddam habuit, et *canorum.*" Non dubito Graecos Carbonem dicturos fuiſſe ῥέοντα τῷ λόγῳ, καὶ ὡς ἐξ αὐτοσχεδίου ὁμαλῶς καὶ λείως καὶ ἠρέμα φερόμενον, vt Photius Cod. 119. Pierium deſcripſit. Illud autem *canorum*, quidni ſit, quod Graeci λόγον ἐναρμόνιον, εὐμελῆ, aut ἔναυλον ἁρμονίαν dixerunt; vid. quae a nobis vberius disputata ſunt in Lex. gr. techn. ad voc. ῥέειν et ἐναρμόνιον. Auctor Dial. de corr. Eloq. Cap. 2. *profluentem ſermonem* cum Secundo tribuit, notauit id, quod antea *promtum* ſermonem dixerat, h. e. facundiam expeditam, non ſollicite et anxie verba quaerentem. cf. Quintil. 10, 3. vbi tamen de hoc Secundo ea narrantur, quae huic promtae facundiae contraria eſſent. vid. *promtus*. Vnde et Ciceroni de Or. 2, 38. *profluens* genus orationis dicitur, copioſum et vere oratorium, idemque fuſum et liquidum, cui opponitur exile, aridum, et conciſum, quali Dialectici vti ſoleant. cf. Tuſculan. 5, 18.

Progreſſio.

Figura ſentent. a Cicerone de Orat. 3, 54. commemorata. Strebaeus σύγκρισιν Graecorum confert, hoc Ciceronis exemplo addito: *Te Gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitant: tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit.* Capperonerius autem rectius refert ad *incrementum* illud, quod amplificationis partem facit Quintil. 8, 4. *quo creſcit oratio et veluti progreditur.*

Promiſſio.

Fig. eloc. apud Cic. de Orat. 3, 53. haud dubie illa, quam Graeci ὑπόσχεσιν dixerunt. vid. Lex. gr. techn.

techn. in *προέκθεσις*, et *προκατασκευή*. Eius exemplum hoc eſto: *Sin a vobis deſerar, tamen animo non deficiam, et id, quod ſuſcepi, quoad potero perferam.*

Promtus.

Promtum os, in pronuntiando, mediam inter volubilitatem nimiam praecipitemque et inter tarditatem virtutem habet, definiente quidem Quintiliano 11, 3. 52. „*Promtum* ſit os, inquit, non praeceps, moderatum, non lentum.“

Pronuntiatio.

Graecorum *ὑποφορὰ*, ſ. *ὑπόκρισις*, oratoria pronuntiatio, eſt vocis, vultus, geſtus, moderatio cum venuſtate. Sic Auctor Herenn. 1, 2. qui vberius atque ex inſtituto hoc argumentum Lib. 3, 11. et ſqq. tractat. Ciceroni de Inuent. 1, 7. *pronuntiatio* eſt ex rerum et verborum dignitate, vocis et corporis moderatio. vid. Quintil. 11, 3. et quae nos ſupra ad voc. *agere* diximus; et Cic. de Offic. 1, 1. vbi *pronuntiandi* vocabulo ita vtitur, vt abſolute et proprie ad dicendi exercitationem forenſem, et oratoriam retuliſſe videatur. Iulius Rufinian. p. 37. inter figuras adeo ſententiarum refert *ὑπόκρισιν*, ſ. pronuntiationem, qua aduerſarium geſtu et voce extollimus, vel abiicimus et ſpernimus. cf. omnino Cur. Fortunat. Rhet. p. 75. vbi, quicquid a veteribus Rhetoribus de pronuntiatione notatum fuit, praeceptorum quadam ſylua et compendio docetur: et Gregor. Trapez. Lib. 4. Rhet. p. 58. qui ipſe profitetur ſe exponere, quae a Cicerone de pronuntiatione acceperit: *cecidit enim iam*, inquit, *ex conſuetudine declamationis vſus.*

Proportio.

E Graecorum *ἀναλογία* proxime translata vox, cuius, auctore Quintil. 1, 6. haec vis eſt, vt id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quaeritur, referat, vt incerta certis probet. Id efficitur vel *comparatione*, vel *diminutione*. Illa aut genus deprehendit, aut declinationem, haec genus modo detegit. De hac analogia porro notat: „inuenta eſt, poſtquam homines loquebantur, et notatum in ſermone, quid quo modo caderet. Itaque non ratione nititur, ſed exemplo,

plo, nec lex eſt loquendi, ſed obſeruatio, vt ipſam analogiam nulla res alia fecerit, quam conſuetudo." cf. Gellius N. A. 2, 25.

Propoſitio.

Propoſitio eorum, quae ſis dicturus, a Cicerone de Or. 3, 53. inter lumina et figuras orationis numeratur, quoniam in proponendis rebus illis peculiari quadam forma dicendi vti poſſumus. Graeci appellant varie, προέκθεσιν, πρόθεσιν, ὑπόσχεσιν, πρόφασιν. Speciatim *propoſitio* dicitur, qua proponit auctor, quae ſit probaturus. Sic Quintil. 3, 8. 2. Ibi et notat *propoſitionem* genus eſſe, *narrationem* ſpeciem: vnde factum eſſe, vt Ariſtoteles prooemio *propoſitionem* ſubiungat, non autem narrationem. Locum Ariſtotelis attulimus in Lex. gr. techn. ad voc. πρόθεσις. In eundem de *propoſitione* locum Quintilianus iterum deuenit Lib. 4, 4. vbi, „*propoſitio*, inquit, mihi videtur omnis confirmationis initium; quod non ſolum in oſtendenda quaeſtione principali, ſed nonnunquam etiam in ſingulis argumentis poni ſolet, maximeque in his, quae ἐπιχειρήματα vocantur." Sed Cap. 2. eiusdem libri *propoſitione* manifeſte ſic vtitur Fabius, vt intelligat breuem rei controuerſae expoſitionem, quae ſi longior ſit, et cauſis, rebus, temporibus, perſonis etc. diſtincta, proprie *narratio* dici ſolet. cf. eiusd. Cap. §. 36.

Propoſitum. vid. *Quaeſtio.*

Proprietas.

Hoc vocabulo Latini Rhetores ſubinde vtuntur, vt ſignificent ſtatum illum, qui *definitiuus* dicitur, quia in eo ſtatu de indole et veluti proprietate facti et rei quaeritur, quam Graeci τὴν ἰδιότητα dixerunt. vid. Lex. gr. techn. in ἰδιότης. Itaque Quintil. 8, 6. p. 138. tradit Hermogenem quatuor genera ſtatuum accepiſſe, coniecturam, *proprietatem*, translationem, qualitatem. Et Lib. 5, 13. 19. „aut coniectura, inquit, excutiuntur, an vera ſint, aut *finitione*, an *propria*, aut qualitate, an inhoneſta, iniqua, inhumana, crudelia, et cetera, quae ei generi accidunt." — De illa *proprietate*, quae eſt in verbis, et ad perſpicuitatem elocutionis pertinet, ad voc. *proprius* diximus.

Pro-

Proprius.

Proprium verbum, quod eius rei, de qua loquimur, verbum eſt, vel eſſe poteſt. Sic non ſatis luculenter definit Auct. Herenn. 4, 12. Ciceroni de Or. 3, 37. *propria verba* ſunt, *certa quaſi vocabula rerum, paene vna nata cum rebus ipſis.* Ab his differunt 1) ea, quae transferuntur, et quaſi in alieno loco collocantur; 2) ea quae nouamus. — Quintiliano 1, 5. 70. *propria* ſunt verba, cum id ſignificant, in quod primum denominata ſunt. Libro autem 8, 2. *proprietatis* verborum varios ſignificatus ita tradit: 1) ſuam cuiusque rei appellationem notat: ſed in eo genere non ſemper virtus eſt, quoniam non ſemper improprii vitio laborat, quod proprium non eſt, quia multa ſunt et graece et latine non denominata, et ipſa translatio improprium ſermonem efficit; 2) *proprium* dicitur inter plura, quae ſunt eiusdem nominis, id, vnde cetera dicta ſunt; 3) cum res communis pluribus in vno aliquo habet nomen eximium; item, quod commune eſt et aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, vt Vrbs, de Roma; 4) etiam quae bene translata ſunt, *propria* dici ſolent; 5) interim etiam, quae ſunt in quoque genere praecipua, *proprii* locum accipiunt, vt cum Fabius *Cunctator* eſt appellatus. — Geſnerus ad Horat. Art. Poet. 234. vbi *dominantia verba* poeta commemorat, docte contulit Graec. *κύρια*, hoc eſt, *propria,* quibus oppoſita ſint *ἄκυρα*: vnde et *domicilium* habere dicatur verbum in ea re, de qua *proprie, κυρίως,* adhibeatur, Ciceroni Epiſt. ad Diu. 16, 17.

Proſopopoeia.

Proſopopoeiae dici ſolebant orationes, ſ. declamationes, in quibus aliquam certam perſonam deliberantem inducimus. Sic Quintil. 3, 8. 52. qui ideo *ſuaſoriis* illud genus ſubiecit. Illius formae ſpecies quaedam ſunt *Ethologia,* Eidolopoeia, de quibus vid. Lex. gr. technol. Sed illa ſunt maxime Declamatorum et Rhetorum. Ergo Quintilianus ea a *veris conſiliis*, h. e. orationibus ex genere deliberatiuo in ſenatu et ad populum dictis, l. c. ſeparat §. 62. et Lib. 2, 1. materias dicit eſſe inter rudimenta dicendi. cf. Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 4, 7. p. 409.

Figurae autem, vel *σχήματι διανοίας*, quam Graeci *προσωποποιίαν* dixerunt, Latini hanc vim tribuerunt, vt

muta quaedam loquentia inducat. Sic Cic. Or. 39. Quintilianus autem 9, 2. 31. more recepto ſe facere dicit, vt προσωποποιΐαν appellet non tum ſolum, cum corpora et verba fingantur, et vrbes vocem accipiant, ſed etiam ſermones hominum aſſimulatos eo referat: quanquam ſint, qui vtramque rationem diſtinguentes, hos διαλόγυς malint, vt Latini *ſermocinationem.* Cap. 3, 89. commemorat nonnullorum ſententiam, qui hanc *fictionem perſonae* (προσωπ.) in verbis etiam eſſe putarint, vt in his: *crudelitatis eſt mater auaritia;* quae verba excerpta videntur ex Rutil. Lup. 2, 6. p. 90. ed. Ruhnk. — Etiam *perſonae confictionem* Aquila Rom. interpretatur. *Haec figura*, inquit, *plurimum dignitatis in ſe continet, cum rempublicam ipſam loquentem inducimus, aut defunctos aliquos quaſi excitamus ab inferis, et in conſpectu iudicis collocantes oratione hos circumdamus.* Iulius Rufinian. p. 38. *deformationem* vel *effigurationem* appellat, eique hanc vim tribuit, vt oratio ad alicuius perſonae orationem imitandam retorqueatur. Quod ad illam *deformationem* attinet, iam Rutil. Lupus 2, 6. proſopopoeiam ita explicauerat: Schema hoc fit, cum perſonas in rebus conſtituimus, quae ſine perſonis ſunt, aut eorum hominum, qui fuerunt, tanquam viuorum et praeſentium actionem ſermonemque *deformamus*, h. e. fingimus, formamus, vt docte ad h. l. explicuit Ruhnkenius. *Confirmationem* (pro quo *conformationem* legendum puto) vertit Priſcianus in Praeexercitt. Rhet. p. 329. Pith. Ceterum Aquila Romanus proſopopoeiam ſ. perſonae confictionem ab Ethopoeïa, quam *moralem confictionem* appellat, eo differre docet, quod ibi et perſonas fingamus, quae nusquam ſunt, hic certis quibusdam vel perſonis verba accommodate affingamus, vel ad improbitatem earum demonſtrandam, vel ad dignitatem, exemplo vſus Ciceronis pro Quintio Cap. 17. *Quid ad haec Naeuius?* etc.

Puerilis.

Pueri quoniam luſus amant et lepores, abſuntque maxime, in iis quae agunt, a dignitate quadam, quam viri plerumque ſectantur, hinc factum eſt, vt et Rhetores *puerile* in elocutione dicerent, quidquid magis luſus et leporis et feſtiuitatis et laſciuiae cuiusdam, quam grauitatis et ſolidae pulcritudinis documenta haberet.

beret. Sic Auctor Herenn. 4, 23. *puerilem elocutionem* reprehendit eorum, qui crebris ſiguris illis vtantur, quae inſint in verbis ſimiliter cadentibus, vel deſinentibus, vel annominationibus. Nam fides, inquit, et grauitas et ſeueritas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis, et non modo tollitur auctoritas dicendi, ſed offenditur quoque in eiusmodi oratione auditor, propterea, quod eſt in his lepos et feſtiuitas, non dignitas et pulcritudo. Haec paene ſurrepta Theophraſto videntur, cuius ſimile praeceptum extabat apud Dionyſ. Halic. Iud. Lyſ. Cap. 14. *τὸ μὲν ἴσον καὶ ὅμοιον παιδιῶδες καθαπερεὶ ποίημα. διὸ καὶ ἧττον ἁρμόττει τῇ σπουδῇ. φαίνεται γὰρ ἀπρεπὲς σπουδάζοντα τοῖς πράγμασι, τοῖς ὀνόμασι παίζειν, καὶ τὸ πάθος τῇ λέξει περιαιρεῖν. ἐκλύει γὰρ τὸν ἀκροατήν.* Et Gellii N. A. Libri 18. caput 8. ita incipit: „*ὁμοιοτέλευτα, καὶ ἰσοκατάληκτα, καὶ πάρισα, καὶ ὁμοιόπτωτα*, ceteraque huiusmodi ſcitamenta, quae iſti *ἀπειρόκαλοι*, qui ſe Iſocratios videri volunt, in collocandis verbis immodice faciunt, et rancide quam ſint inſubida, et inertia, et *puerilia*, facetiſſime hercle ſignificat in quinto Saturarum Lucilius. Nam vbi eſt cum amico conqueſtus, quod ad ſe aegrotum non viſeret, haec ibidem addit feſtiuiter:

Quo me habeam pacto, tametſi non quaeris, docebo:
Quando in eo numero manſti, quo in maxima nunc eſt
Pars hominum, vt periiſſe velis, quem nolueris, quum
Viſere debueris. Hoc, *nolueris*. et *debueris*, te
Si minus delectat, quod *ἄτεχνον* Iſocratium eſt: *ὀ-
χληρῶδες*que ſimul totum ac *συμμειρακιῶδες*:
Non operam perdo. —

In quo quidem vſu vocis *puerilis*, quomodo Graeci Latinis praeiuerint, explicatum a nobis eſt in Lex. gr. techn. ad voc. *μειρακιῶδες* et *νεαρός*. — Cicero Brut. 83. de Hegeſia oratore: „Quid eſt tam fractum, tam minutum, tam in ipſa concinnitate *puerile?*" Huc et inprimis pertinet locus Cap. 91. vbi de Molonis diſciplina: „is dedit operam, inquit, vt nimis redundantes nos et ſuperfluentes *iuuenili quadam dicendi impunitate et licentia*, reprimeret, et quaſi extra ripas diffluentes coerceret." Legatur Cap. 95. vbi ſimilia orationis genera, magis adoleſcentes, quam ſenes decen-

tia, commemorantur; et in Orat. 30. vbi *iuuenilem redundantiam,* in oratione pro Roſcio Amer. declaratam, ſibi ipſe exprobrat; non aliter, ac Ouidius, qui Triſt. Lib. 2, 117. ſe ſuo ingenio *nimium iuueniliter vſum* fatetur: quamuis non redundantiam modo, ſed et petulantiam in carminibus amatoriis declaratam, notare videatur. cf. Triſt. Lib. 5, 1. 7.

Punctum.

Puncta argumentorum Cicero Orat. 2, 41. appellat ipſas argumentationes, verbis expreſſas, ita vt a ceteris ſententiarum generibus facile diſtingui poſſint et veluti ad digitos numerari. Hinc illud praeceptum: *puncta argumentorum plerumque vt occulas, ne quis ea numerare poſſit, vt re diſtinguantur, verbis confuſa eſſe videantur: Die Beweiſe müſſen in die Rede verwebt und ſo ausgedrückt ſeyn, daß man mehr ihre Kraft und ihren Einfluß auf unſre Ueberzeugung, als die Stelle wo ſie ſtehn, und ihre Formeln gewahr wird.* Dubito enim an Strebaeus ad h. l. recte interpretatus ſit *puncta illa,* fines et exitus argumentorum, qui veluti puncto terminentur. Nam *puncta* nunc dicit nudas illas argumentorum formulas, omni tractatione et circumſcriptione deſtitutas, vel quia ſic acrius pungunt, vel quia, vt puncta, luculentius apparent oculis.

Purgatio.

Genus eſt defenſionis, qua reus negat conſulto ſe aliquid feciſſe, differtque a *deprecatione,* cum et peccaſſe ſe, et conſulto feciſſe reus fatetur, et tamen poſtulat vt ſui miſereantur. v. Auctor Herenn. 1, 14. Inter figuras elocutionis *purgationem* Cic. Orat. 3, 53. nominat. Pſeudo-Turnebus ad Quintil. 9, 1. apologiam innui poſſe dicit, cum purgamus aliquid, quod iniquum videatur auditori, et adfert Aſconii ſententiam ad Verrinam ſecundam, a quo ἐπιθεράπευσις dicatur. Nempe natura ita fieri ſolet, vt, qui ſe purgant vel excuſant, eorum non ſolum vox et vultus, ſed et omnis oratio peculiarem aliquam formam et veluti habitum induat, huic animi affectioni, quam purgandi ſe neceſſitas efficit, conſentaneum. Ergo talis forma orationis obſeruata a Rhetoribus, qui etiam multo minutiora obſeruabant, *purgatio* dicta eſt: *eine Entſchuldigungs- oder Rechtfertigungswendung.*

Purus.

P u r u s.

Pura oratio Latinis Rhetoribus dicitur, ita *latina*, vt nihil peregrini vel barbari admixtum habeat. Cic. de Or. 3, 8. „Oratio Catuli, ait, ſic *pura* eſt, vt latine loqui paene ſolus videatur.“ vid. *Latinitas*. Sic et τὸ καθαρῶς γράφειν, et τὸ ἑλληνίζειν Graecis ſynonyma fuerunt. vid. Lex. gr. techn. in καθαρός. Deinde idem Cicero l. c. Cap. 10. „Quinam igitur, inquit, dicendi modus eſt melior, quam vt *Latine*, vt *plane*, vt ornate, vt ad id, quodcunque agetur, apte congruenterque dicamus. Atque eorum quidem, quae duo prima dixi, rationem non arbitror exſpectari a me, *puri dilucidique* ſermonis. Neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui neſciat; nec ſperare, qui Latine non poſſit, hunc ornate eſſe dicturum; neque vero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc poſſe, quod admiremur, dicere.“ — Contrarium, ſimili metaphora, eſt *inquinate* dicere, de quo ad voc. *emendatus* diximus. Itaque et *pura et candida* oratio iungitur a Cic. Orat. 16. et apud Gellium N. A. 19, 8. C. Caeſar vir *ſermonis* praeter alios ſuae aetatis *caſtiſſimi* dicitur. In Bruto quoque Cap. 79. *pura et liquida* oratio ita iunctim ponitur, vt ſynonymicas dictiones eſſe appareat.

Sed praeter hanc puritatis notionem, quae mixturae cuiusdam vel admixtionis vitium excludit, altera etiam a Rhetoribus obſeruata et adhibita eſt, quae natiuae cuidam elegantiae, munditiae, verecundoque ornatui ſignificando ſeruit. Itaque Ciceroni Brut. 75. *pura breuitas* dicitur, natiua, quae non ornatus aut acuminis gratia, ſed cum ratione et apte adhibetur, vt in hiſtoria, in qua *pura et illuſtri breuitate* nihil dulcius eſſe Cicero ibi iudicat. Sic et Quintiliano 8, 3. 87. *purus ornatus* elocutionis eſt, qui ſe ſimplicitate quadam, et inaffectata natiuaque elegantia commendat, eandemque fere vim habet ad delectationem, quam munditiae cultus muliebris, quae etiam ſine fuco et ſplendore ornant et placent. Confert Quintilianus l. c. Graecorum ἀφέλειαν, quam de illo ſimplici et candido ornatus genere dixerunt, vt in Lex. gr. techn. docuimus. Hinc Horat. Sat. 1, 4. 54. „non ſatis eſt *puris* verſum conſcribere verbis,“ hoc eſt, inornatis, vulgaribus. cf. Georg. Trapez. Lib. 5. Rhet. p. 66. ſqq. vbi

vbi de *puritate* elocutionis, ex mente quidem et diſciplina Hermogenis (*καθαρότης*) copioſe diſputat.

Ex his facile informare animo notionem *purae vocis* poterimus, quam in ornata pronuntiatione requirit Quintil. 11, 3. 40. Niſi forte eum exiſtimemus *puram* dixiſſe, quae Polluci 2, 26. *ἐκκεκαθαρμένη* appellatur, veluti ſordibus defaecata; *die reine, glatte, ſaubere Stimme, aus welcher man auf geſunde, reine, und gut gehaltene Sprachwerkzeuge ſchlieſst.*

Puſillus.

Puſilla vox, apud Quintilianum 11, 3. 32. ad vocis genera vitioſe imbecilla refertur, videturque exilitatem eiusmodi ſignificare, qua is, qui loquitur, magis pipiat, quam loquatur; vt conferri poſſit, quam Pollux 2, 26. *σμικρὰν* appellauit.

Q.

Quaeſtio.

Triplici fere modo *quaeſtionem* in libris Latinorum Rhetoricis commemoratam reperimus. Primum, vt *ζήτημα* Graecis, ita Ciceroni Inuent. 1, 13. *quaeſtio* dicitur controuerſia, quae ex conflictione cauſarum gignitur. In qua quidem *quaeſtionis* ſignificatione Cicero ſecutus eſt Hermagoram, ex quo eadem tradit Quintil. 3, 11. init. Vnde *res de qua quaeritur*, vocatur ea, ad quam comprobandam vel refellendam proinde argumentis opus eſt et probationibus, vt recte Geſnerus explicat ad Quintil. 3, 53. vid. Lex. gr. techn. in *ζήτημα*. Huc et pertinere videtur illud, quod *quaeſtio* paſſim pro argumento ſeu materia qualicunque dicitur, de qua in vtramque partem diſputari poteſt, vt apud Cic. de Offic. 1, 2. et alibi.

Deinde Cic. Inuent. 1, 6. *quaeſtio* appellatur, quam Hermagoras *θέσιν* dixerat, *quae habeat in ſe controuerſiam in dicendo poſitam, ſine certarum perſonarum interpoſitione*, h. e. quaeſtio infinita et diſputatio vniuerſalis, de rebus bonis et malis, de iuſto et iniuſto, de gloria, triumpho etc. Priſcianus *poſitionem*, e Graeco vertens, appellat in Praeexercitt. Rhet. p. 330. Pith. Sic Cic. de Or. 1, 31. omnem orationem eſſe, ait, aut de *infinitae rei quaeſtione*, ſine deſignatione perſonarum

narum et temporum, aut de re certis in perſonis ac temporibus locata. Et Lib. 2, 10. vniuerſe dicuntur *quaeſtionum* duo genera eſſe, in quibus eloquentia verſetur, vnum infinitum, alterum certum. cf. Cap. 15. et Lib. 3, 28. vbi a *cauſa* et *controuerſia*, diſtinguitur *quaeſtio*, quam et *conſultationem* vocat, cum infinite de vniuerſo aliquo genere quaeritur. Hoc genus quaeſtionum ideo etiam *liberum*, *vagum* et *late patens* appellat Lib. 2, 16. quoniam certis perſonis adſtrictum non eſt. Luculenter inprimis in Bruto Cap. 93. „Nemo erat, inquit, qui dilatare poſſet, atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis, ad *communem quaeſtionem vniuerſi generis* orationem traducere.“ In Topicis Cicero Cap. 21. θέσιν illam *propoſitum* interpretatur: quamuis Quintilianus 7, 1. Ciceronem ait *propoſita* etiam appellare, quae θέματα dicuntur, et in ſcholis Rhetorum ante declamationem exponuntur. Idem Quintil. 3, 5. *quaeſtiones infinitas* etiam *generales*, *finitas* autem *ſpeciales* dici notat. — Sulpic. Victor apud Pithoeum p. 240. cum Rhetoricam definiiſſet, bene dicendi ſcientiam in *quaeſtione ciuili*, huius quaeſtionis duas partes eſſe tradit, θέσιν, *propoſitum*, et ὑπόθεσιν, *cauſam* ſ. *controuerſiam*. θέσις ipſi eſt, res rationalem disputationem recipiens, cuius finis eſt *inſpectio* (h. e. σκέψις, θεωρία, id quod Cicero Orat. 2, 27. ſic enuntiauit: *ſeparatim dicere* de genere vniuerſo, h. e. *abstracte*, vt vulgo dicunt) ὑπόθεσις, res rationalem disputationem recipiens, cuius finis eſt actio et iudicatio. (apud Cic. l. c. *definite dicere* de ſingulis hominibus, temporibus, cauſis.) Haec omnia copioſe expoſuit ſimili modo Aurel. Auguſtin. in Princip. Rhetor. p. 291. Pith. — Georgius Trapez. Lib. I. Rhet. *quaeſtionem*, quam inquirendae rei dubiam propoſitionem appellat, in *infinitionem*, et in *cauſam* diſtinguit, paulisper a veterum technologia recedens.

Tertius *quaeſtionis* commemorandae modus eſt is, quo Cicero in Topicis Cap. 21. vtitur, cum omnium quaeſtionum duo genera facit, *cognitionis* et *actionis*. Prioris generis quaeſtio hanc vim habet, vt *cognoſcamus* naturam et notionem eius rei, quam quaerimus: poſterioris hoc conſilium eſt, vt in agendo adiuuemur. cf. Cic. Or. 3, 29. Hinc aliorum in *legales* et *rationales* quaeſtionum nata eſt distributio, cui Graeci Rhetores,

res, et inprimis Hermagoras praeiuerat, ὑποθέσεις νομικὰς et λογικὰς diſtinguens. Vtrumque quaeſtionis genus commemorat Quintil. 3, 5. ex ipſo Hermagora, et Aurel. Auguſt. l. c. p. 293. Nempe quaeſtiones *rationales*, quae, vt Quintilianus notat, de re quaerunt, quatuor conſtitutionum, coniecturae, finitionis, generis, actionis, ſemina continent, quoniam in his quaeritur, quid ſit, an ſit, quale ſit, an induci in iudicium debeat. *Legales* autem, ſtatus de ſcripto et voluntate, legum contrariarum, ambiguitatis, et collectionis conſtituunt. cf. quae dicta ſunt ad voc. *legitimus*, et Quintil. 3, 6. 86.

Quadrare.

Proprie *quadrare* Latinis dictum eſt in rationibus, cum acceptorum et expenſorum aequalis ſumma efficiebatur. Itaque quoniam in eo verbo praecipua notio eſſet proportionis et aequabilitatis, Cicero hac metaphora ita vſus eſt, vt *quadrare orationem* pro, concinnam et numeroſam reddere, diceret Lib. 3. de Or. 44. et Orat. 58. In priori loco, *verſus*, inquit, *in oratione ſi efficitur coniunctione, vitium eſt; et tamen eam coniunctionem, ſicuti verſum, numeroſe cadere, et quadrare, et perfici volumus.* In poſteriori autem haec praecipit: *in varia et perpetua oratione paeon et dactylus inter ſe miſcendi ſunt et temperandi: ſic minime animaduertetur delectationis aucupium, et quadrandae orationis induſtria.* — Quintilianus 2, 5. 9. *lenem* et *quadratam* compoſitionem iungit, itidemque concinnam, numeroſam, aequabiliterque fluentem; addit tamen hoc, vt ſit et *virilis*, hoc eſt, vt ne ſit ex illa concinnitate et lenitate mollis et languida. Vnde et apud Cic. Or. 61. *in quadrum et numerum redigere* ſententias dicitur, qui non niſi per periodos loquitur: *Poſteaquam,* inquit, *eſt nata haec vel circumſcriptio, vel comprehenſio, vel continuatio, vel ambitus, ſi ita licet dicere: nemo, qui aliquo eſſet in numero, ſcripſit orationem generis eius, quod eſſet ad delectationem comparatum, remotumque a iudiciis forenſique certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque ſententias.* cf. Cap. 70. vbi ſententiam *in quadrum redactam*, in quendam orbem apte incluſam, et numeroſe ſtructam, opponit ſententiae *disſipatae, diffluenti,* et *ſolutae*. vid. Creſoll. Theat. Rhet.

Rhet. 3, 26. p. 350. vbi etiam *Chiaſmum* confert, de quo in Lex. gr. technol. diximus.

Quaeſitum.

Sic Aquila Rom. p. 15. Pith. interpretatur Graecum πῦσμα, atque ita ab ἐρωτήματι ſ. interrogatione, diſtinguit, quod ad *interrogatum* vna tantum voce reſponderi poſſit vel a negante vel confitente: *quaeſito* autem occurri non niſi pluribus poſſit.

Qualitas.

Gr. ποιότης, genus aliquod ſtatuum, ſ. conſtitutionum, quam et *generis* et *generalem* dicere ſolent, quia de *genere* negotii quaeritur, aut *quale* ſit id, quod agitur. vid. quae diximus ad voc. *conſtitutio*, et *generalis*. — Quintilianus 3, 6. 55. tradit ab Hermagora hanc *qualitatem* dictam eſſe κατὰ συμβεβηκότα, *per accidentia*, hac addita interpretatione: *an illi accidat viro bono eſſe, vel malo?* Ex hoc vel ſimili verbo Graeco expreſſa videtur, quam Cicero *conſecutionem* dixit de Orat. 3, 29. vbi cognitionis tres modos nominat, *coniecturam*, *definitionem* et *conſecutionem*, quae ita tractetur, vt, quid quamque rem ſequatur, inquiratur. cf. Aquila Rom. de Fig. p. 155. ed. Ruhnk. — Porro Lib. 5, 13. 19. Quintilianus, „*qualitate*, inquit, excutiuntur, an inhoneſta, iniqua, improba, inhumana, crudelia ſint, et cetera, quae ei generi accidunt.“ cf. Lib. 7, 4. et quae ad voc. *iuridicialis* diximus. Notatu vero etiam digna ſententia eſt, quam idem Rhetor de illo ſtatus genere l. c. §. 23. tulit: „*Qualitas*, ait, maxima oratoris recipit opera: quia in vtramque partem plurimum eſt ingenio loci, nec vsquam tantum affectus valent. Nam coniectura extrinſecus quoque adductas frequenter probationes habet, et argumenta ex materia ſumit: *quale quidque videatur*, eloquentiae opus eſt: hic regnat, hic imperat, hic ſola vincit.“

Quantitas.

Status *quantitatis*, ex Graecorum πηλικότητι expreſſa formula, genus eſt defenſionis in quaeſtione generali ſ. iuridiciali, qua *minuere* culpam ſtudemus. Ea, cum ſit aut *poenae*, aut *honoris*, ex qualitate facti conſtituitur, inquit Quintilianus 7, 4. 16. eaque nobis ſub hoc

hoc eſſe ſtatu videtur, ſicuti eius quoque, quae ad *numerum* refertur a Graecis; nam *πηλικότητα* et *ποσότητα* dicunt, nos vtrumque eadem appellatione (ſcil. *quantitatis*). Hermogenes tamen *τῆς πηλικότητος* mentionem facit in ſtatu definitiuo, et in capitibus, quae in hoc ſtatu tractantur. Ab hac itaque methodo diſcrepare ſe dicit Quintilianus, quod *πηλικότητα* ad ſtatum qualitatis referat. cf. Lib. 3, 6. 47. ſqq. vid. Lex. gr. techn. in *ὅρος* et *πηλικότης*. Voſſ. Inſtitt. Orat. Lib. 1. p. 175.

R.

Raſus. vid. *Frangere.*

Ratio.

Ratio dicendi, omnium earum rerum, quae ad artem dicendi vel eloquentiam tradendam pertinent, accuratam doctamque inſtitutionem complectitur. Sic Auct. Herenn. 1, 1. „Tua nos voluntas commouit, inquit, vt de *ratione dicendi* conſcriberemus, h. e. vt hanc eloquentiae artisque oratoriae inſtitutionem traderemus. Hinc a Cicerone in Partitt. Or. *ratio* et *doctrina dicendi* promiſcue dicuntur pro omni ſyſtemate eloquentiae, quod omnes inſtitutionis oratoriae partes contineat. Itaque illud tres partes habere dicitur, vim oratoris, orationem, et quaeſtionem. Prima pars de officiis oratoris exponit, ſecunda de partibus orationis iuſtae, tertia de generibus cauſarum et conſtitutionibus variis. Hisce enim rebus omnis diſciplina rhetorica abſoluitur. cf. Quintil. 1. prooem. vbi *rationem dicendi*, et *artem orandi* coniunctim commemorat; et ſic paſſim multis in locis. vid. omnino Lib. 2, 11. 12. et praecipue Lib. 11, 2. 9. vbi de memoria haec notat: „Quod et ipſum argumentum eſt, ſubeſſe *artem* aliquam, iuvarique *ratione* naturam: cum idem *docti* facere illud, indocti et inexercitati non poſſimus.“ Cicero inprimis etiam in Libris de Oratore *rationem* et *viam dicendi* iungere ſolet, vt Lib. 1, 25. haud dubie ſecutus Graecam loquendi conſuetudinem, quae *ὁδὸν* et *ὁδοποιεῖν* non aliter adhibet. Libro autem 2, 35. *rationem* ipſe de arte explicat, et ab acumine, quod ingenii ſit, ſeparat. — Ad haec proxime accedit, quod, quam vulgo methodum vocant (*die Methode, die jedem Lehrer beym Unterrichte eigen iſt*) a Quintiliano *ratio* appellata videatur

deatur Lib. 2, 3. 5. *plurimum in praecipiendo* ratio *valet, quae doctiſſimo cuique planiſſima eſt.*

Exquiſita inprimis illius vocis ſignificatio eſt, quam Quintiliani, rerum tractandarum copiam ſaepe vel vnius verbi feliciſſima breuitate complectentis, acumini debemus. Is Lib. 10, 3. 15. cum de ſtilo vel exercitatione ſcribendi expoſuiſſet, huic primo vtiliſſimo ſcribendi auxilio, ſecundum etiam, *rationem,* hoc modo adiungit: „Vt poſſimus autem ſcribere etiam plura, et celerius, non *exercitatio* modo praeſtabit, in qua ſine dubio multum eſt, ſed etiam *ratio*, ſi non reſupini, ſpectantesque tectum, et cogitationem murmure agitantes, exſpectauerimus, quid obueniat, ſed quid res poſcat? quid perſonam deceat? quod ſit tempus? qui iudicis animus? intuiti, humano quodam modo ad ſcribendum acceſſerimus:" *Der Schriftſteller muſs nicht darauf warten, ob ihm, während er an ſeine Stubendecke ſieht, oder an der Feder kaut, der Zufall eine ihm jetzt brauchbare Idee zuführen werde, ſondern er muſs mit bedachtſamen Blicke auf ſeinen Gegenſtand, und mit verſtändigem Eindringen in denſelben, ſelbſt der Schöpfer jener Ideen und ganzen Behandlung werden.*

Ratio dicitur etiam κατ' ἐξοχὴν cauſa facti, qua continetur defenſio, ſine qua ne parua quidem dubitatio remorari damnationem poteſt. Sic Auct. Herenn. 1, 16. „Conſtitutione reperta, inquit, ſtatim quaerenda eſt *ratio.*" Cicero Inuent. 1, 13. de eadem ita: „*ratio* eſt, quae continet cauſam, quae ſi ſublata ſit, nihil in cauſa controuerſiae relinquetur: vt Oreſtes, ſi accuſetur matricidii, niſi hoc dicat, *iure feci, nam illa meum patrem occiderat*, non habet defenſionem; qua ſublata omnis quoque controuerſia ſublata erit." De eadem Quintil. 3, 11. „*ratio* eſt, qua id, quod factum eſſe conſtat, defenditur: hoc αἴτιον dicitur." Quamuis notat nonnullos diſtinxiſſe αἴτιον et αἰτίαν, vt eſſet altera, propter quam conſtitutum *iudicium* eſt, altera, qua *factum* defenditur: Latinorum quosdam haec *initium* et *rationem* vocaſſe; alios vtrumque eodem nomine appellaſſe.

Ratio ita quoque dicitur, vt omnis controuerſia distribuatur in *rationem* et *ſcriptum. Ratio* eſt, inquit Cicero de Inuent. 1, 13. cum omnis quaeſtio non in ſcriptione, ſed in aliqua argumentatione conſiſtit. Ergo

go ad eam ſtatus generalis, qui vocatur, pertinet, eaque Graecis *στάσις λογικὴ* appellatur. vid. voc. *Quaeſtio.* De *ſcripto* ſ. *στάσει νομικῇ*, expoſitum eſt in voc. *legitimus.*

In Partit. Or. 10. Cicero controuerſiae illud genus, in quo, quale ſit id, de quo controuerſia eſt, quaeritur, *rationem* appellat, cum alibi vulgo *ſtatus qualitatis*, vel *conſtitutio generalis*, vel *genus* dicatur.

Ad propoſitum ſubiecta ratio, eſt eius figurae, quam Graeci *αἰτιολογίαν* dixerunt. vid. Cic. Orat. 3, 34. — Alia eſt, quam ibidem Cicero commemorat, *in distributis ſuppoſita ratio*, qua ſententiis duabus aut pluribus propoſitis, ſua cuique ratio vel poſterius redditur, vel ſtatim ſub vnaquaque ſententia ſubiungitur. Graeci *προσαπόδοσιν* dicunt: Aquila Rom. p. 175. *redditionem.* vid. Lex. gr. techn. in *προσαπόδοσις*, vbi Aquilae et Rutilii loca attulimus. De his Quintiliani 9, 3. 93. hoc iudicium eſt: „Quod vero ſchema eſt, *ad propoſitum ſubiecta ratio?* Vtrum, quod Rutilius *αἰτιολογίαν* vocat? nam de illo dubitari poſſit, an *ſchema* ſit *distributis ſubiecta ratio.* Quod apud eundem primo loco poſitum eſt, *προσαπόδοσις* dicitur, quae vt maxime ſeruetur, ſane eſt in pluribus propoſitis: quia aut ſingulis ſtatim ratio ſubiicitur, aut poſitis duobus vel tribus, eodem ordine ſingulis continuo redditur.“ —

Ratiocinatio.

Hoc nomine primum appellatur pars aliqua conſtitutionis legitimae, ex qua controuerſia naſcitur, *cum res ſine propria lege venit in iudicium, quae tamen ab aliis legibus ſimilitudinem aliquam aucupatur.* Sic definit Auct. Herenn. 1, 13. cf. Cic. de Inuent. 2, 50. et nott. ad voc. *legitimus.* Hinc et apud eundem Auct. Herenn. 2, 12. *cauſa rationalis* (fortaſſe rectius legatur *ratiocinalis*) dicitur, cuius vis ita explicatur: „in cauſa rationali primum quaeretur, ecquid in rebus maioribus aut minoribus aut ſimilibus ſimiliter ſcriptum aut iudicatum ſit: deinde vtrum ea res ſimilis ſit ei rei, qua de agitur, an disſimilis: deinde vtrum conſulto de ea re ſcriptum non ſit, quod noluerit cauere, quod ſatis cautum putarit propter ceterorum ſcriptorum ſimilitudinem.“ Haec ille. Quintilianus 7, 1. 60. iisdem de cauſis *ratiocinatiuam* et *collectiuam* quaeſtionem appel-

appellat; et Cap. 8. ſimpliciter *ſyllogiſmum*, qui ex eo, quod ſcriptum eſt, id ducit, quod incertum eſt; quod quoniam ratiocinatione colligitur, ſtatus hic etiam *ratiocinatiuus* vocatur. cf. Lib. 12, 2. 15. vbi *colligi* dicit, quae ex illa ratiocinatione pendent. Eadem pars diſerte etiam ab aliis Rhetoribus *collectio*, ex Graeco συλλογὴ translato verbo nominatur. Sic ex Hermagora tradit Aurel. Auguſtin. Princ. Rhet. p. 294. vid. voc. *collectio*. Hic eſt *ſyllogiſmus*, quem Quintilianus 7, 3. 11. cum *finitione* confert: „συλλογισμὸς, inquit, eſt veluti infirmior finitio, quia in hac quaeritur, an idem ſit huius rei nomen, quod alterius, illo, an perinde habenda ſit haec, atque illa." Idem repetit Cap. 8. init. vbi has ſyllogiſmi ſpecies enumerat: an, quod ſemel ius eſt, idem et ſaepius? an, quod in vno, et in pluribus? an, quod ante, et poſtea? an, quod in toto, idem in parte? an, quod in parte, idem in toto?

Porro Cicero, cum de Inuent. 1, 31. praecepiſſet, omnem argumentationem fieri vel *inductione* vel *ratiocinatione*, hanc quidem Cap. 34. ita definit: *ratiocinatio* eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum et per ſe cognitum, ſua ſe vi et ratione confirmet. cf. Cur. Fortunat. p. 67. vbi ἐνθύμημα Graece dictum notat. Hoc genus argumentandi, eiusque in quinque partes distributam tractationem ab Ariſtotele inprimis et Theophraſto frequentatam, contra eos Cicero commendat, qui eius tres tantum partes, *propoſitionem*, *aſſumtionem*, et *complexionem*, ſtatuebant, cum veteres illi philoſophi propoſitioni et aſſumtioni, approbationem adiungentes, quinquepartitam argumentationem feciſſent eam, quae per ratiocinationem fieret. Haec omnis ratio argumentationis in ſequentibus vlterius defenditur, explicatur, et exemplis illuſtratur. vid. de eodem genere Trapezuntius Lib. 3. Rhet. p. 30. vbi perfectiſſimam argumentationem appellat.

Alia *ratiocinatio* eſt, quae impulſioni contraria dicitur, hoc eſt, diligens et conſiderata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio: ex ea enim coniectura, in quaeſtione coniecturali, capi poteſt, vbi quaeritur, aliquis aliquid ex impulſione, h. e. affectu motus, an cum *ratiocinatione*, hoc eſt, certo cum conſilio mentis fecerit. vid. Cic. de Inuent. 2, 5.

 Apud

Apud Quintil. 8, 4. 15. amplificatio per *ratiocinationem* fieri dicitur, cum ad id, quod extolli volumus, ratione ducitur; quod fit, ſi ex alio aliud colligitur. Sic ex *inſequentibus* haec amplificatio ducitur, cum ex ratione euentus magnitudinem praecedentium colligimus: item ex *antecedentibus* magnitudinem inſequentium ratiocinamur: neque alia ratio eſt, cum ex alterius commendatione laus maior in aliam perſonam redundat. Huc et pertinet amplificationis genus *ex relatione* ad aliquid, quod non eius rei gratia dictum videtur. Denique ex *inſtrumento* quoque heroum poetae inprimis illorum magnitudinem aeſtimandam nobis praebent, qualis eſt clypeus Aiacis apud Homerum Il. η, 219. et haſta Achillis ibid. π, 140. quo et pertinet locus Ciceronis Philipp. 2, 27. vbi Antonii luxuriam eo plus exaggerat, quod in cellis ſeruorum conchyliata periſtromata nobis oſtendit.

Denique *ratiocinationem* Auct. Herenn. 4, 16. figuram quoque verborum, ſeu exornationem, appellat, per quam ipſi a nobis rationem poſcimus, quare quidque dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus vniuscuiusque propoſitionis explanationem. Haec, inquit, ad ſermonem vehementer accommodata eſt, et animum auditoris retinet attentum, tum venuſtate ſermonis, tum rationum expectatione. Hanc formam *ſummiſſionem* vocat Georg. Trapez. Lib. 3. Rhet. p. 28.

Rationalis. vid. *Quaeſtio.*

Reciprocus.

Gellius N. A. 5. 10. tradit vitioſa argumenta illa, quae Graeci ἀντιστρέφοντα dixerint, Rhetores quosdam Latinos non abſurde *reciproca* appellare: vitium autem illud in eo cerni, quod argumentum propoſitum referri contra, conuertique in eum poſſit, a quo dictum ſit, et vtrumque pariter valeat. Tali argumento Protagoram aduerſum Euathlum diſcipulum ſuum vſum eſſe narrat. Eadem narratio eſt apud Apulei. Florid. Lib. 4. p. m. 292. vbi hoc argumentum *anceps*, et *biceps* appellatur. Iam vero Auctor Prolegom. in Schol. Hermogenis (vid. Reisk. Oratt. Graec. Vol. VIII. p. 197.) eodem exemplo vtitur, vt διλημμάτα vim explicet, idemque argumentum a Tiſia contra Coracem adhibitum

tum dicit. Vnde et Gellius Lib. 9, 16. vbi ſimilem ſententiam, vitio illo, quod τὸ ἀντιστρέφον vocetur, laborantem explicat, „*eſt vitium inſidioſum*, inquit, *et ſub falſa lemmatis ſpecie latens: nihilo enim minus conuerti ex contrario id ipſum aduerſus eundem poteſt.* Controuerſia haec erat: *Vir fortis praemio, quod optauerit, donetur. Qui fortiter fecerat, petit alterius vxorem in matrimonium et accepit. Is deinde, cui vxor fuerat, fortiter fecit. Repetit eandem. Contradicitur.* Iam ex parte poſterioris viri fortis, vxorem ſibi reddi poſtulantis, hoc dictum eſt: *Si placet lex, redde: ſi non placet, redde.* Enimuero a priore etiam illo viro forte dici poterat ſic: *Si placet lex, non reddo: ſi non placet, non reddo.* vid. Lex. gr. techn. ad voc. ἀδιλήμματον.

Rectus.

Quicquid in oratione aliqua ſine varietate et ornatu e figuris, ſimplici et puro ſermone enuntiaretur, Latini Rhetores, Graecos imitati (vid. Lex. gr. techn. in ὀρθὸς et ὀρθῶν) *rectum* dixerunt. Fontem metaphorae ad voc. *Figura* monſtrauimus, vbi vocabulum *flexus* expoſuimus, quod illi rectae et ſimplici rationi opponi ſolet; quemadmodum omnibus locutionibus, quae aliquam a vulgari, ſimplici et recta forma mutationem ſignificant, quales ſunt *flectere, inclinare, inflectere, flexus*, vel artis vel ornatus notionem adiunxerunt. Luculenter Cicero in Bruto 75. de Commentariis Caeſaris: nudi ſunt, *recti*, et venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte, detracto. vid. voc. *ſanus*, quae vox ſaepe eodem ſenſu cum *recto* iungitur, et cf. quae Erneſtius notauit ad Sueton. Caeſ. 47. p. 45. Itaque Quintil. 6, 1. in peroratione *rectam* rerum appellationem appellat, eam formam ἀνακεφαλαιώσεως, ſ. enumerationis, quae tantum repetit capita ſuperiora, veluti ſolam iudicis memoriam adiuuans, eique opponit illam, quae pondus addit verbis et ſententiis, figurisque variata ſit: *nackte, gerade, blos erzählende Wiederholung des Geſagten, im Gegenſatze einer lebhaften, affectvollen, und nachdrücklichen Darſtellung.* cf. inprimis Lib. 9, 2. vbi paſſim *rectam* orationem figuratae et obliquae opponit; it. Lib. 10, 5. 8. vbi orationi *rectae*, figura declinata opponitur. Inſignis autem locus

 eſt

eſt Lib. 2, 5. 11. „Sermo *rectus*, inquit, et ſecundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quae vtcunque *deflexa* ſunt, tanquam exquiſitiora miramur.“ Denique Lib. 11, 3. 64. in quo loco, quomodo rebus et affectibus variis vox etiam pronuntiantis accommodanda ſit, docet, in expoſitionibus ac ſermonibus *rectam* vocem poſtulat, quae ſit inter acutum ſonum et grauem media, neque, vt in affectibus, variis flexibus ſe attollat vel deſcendat. Et mox §. 83. *ceruicem rectam* definit, quae nec ſit rigida, nec ſupina. Similis metaphora eſt, qua Quintil. 8. prooem. *τῷ recte dicere* opponit *τὸ circuire*, h. e. per circuitionem enuntiare. Reprehendit in eo loco nimiam verborum, ornatusque elocutionis curam, quae ſaepe veritatem corrumpat et fidem tollat: *quod recte dici poteſt*, h. e. ſimpliciter et ad veritatem accommodate, *circuimus amore verborum*. vid. voc. *inclinare*.

Redditio.

Gr. *ἀνταπόδοσις*, altera pars eſt abſolutae comparationis, quae particulis *ita*, *ſic* ſignificatur, et vtramque rem, quam comparat, veluti ſubiicit oculis, et pariter oſtendit. Nam interim ſimilitudo aliqua nude et ſola ponitur, nec additur illud, quod ſimilitudinem cum re comparat; quam *liberam* et *ſeparatam* Quintilianus appellat, Graeci *ἀνανταπόδοτον* dicunt, veluti ſolam *πρότασιν* habentem, *ἀποδόσει* carentem. Sed in illa pleniori comparatione, ſimilitudo, cum re, cuius eſt imago, connectitur, idque fit *redditione contraria*. vid. Quintil. 8, 3. 77. vbi huius redditionis exemplum ex Ciceron. pro Muraena Cap. 13. adfert: *Vt aiunt in Graecis artificibus eos auloedos eſſe, qui citharoedi fieri non potuerunt: ſic nos videmus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire;* et aliud ex Cap. 17. — Aquila Rom. p. 20. Graecorum *προσαπόδοσιν* interpretatur *redditionem*, eique figurae hanc vim tribuit, vt idem nomen in poſtrema parte membri, aut eadem quaecunque pars orationis reddatur, vnde id membrum aut is ambitus coepit, vt in hoc exemplo: *Tibi*, ſceleratiſſime omnium, imputare omnes calamitates ſuas debet reſpublica, *tibi*.

Reditus.

Reditus.

Reditus ad propoſitum, gr. ἐπάνοδος, inter lumina orationis refertur a Cic. Or. 3, 53. Eo vel concinna quaedam ab iis quae adſcita ſunt in cauſam, ad inſtitutum praecipuum regreſſio ſignificatur, vel forma illa, qua *ſe orator ipſe reuocat*, cuius mentionem facit in Orat. 40. vt: *longius quam inſtitueram ſum prouectus, ad reliqua pergamus;* vel: *Sed finis ſit; neque enim prae lacrymis loqui poſſum.* Capperonerius ad Quintil. 9, 1. ἄφοδον Graecorum confert. Quintilianus 9, 3. 87. commemorat διέξοδον, et ἄφοδον, hoc exemplo addito: *Longius euectus ſum, ſed redeo ad propoſitum.*

Refutatio.

Confirmationi oppoſita, defenſoris eſt in oratione ciuili, Quintiliano ſic dicta Lib. 5, 13. cum alii et *confutationem* dixerint, Cicero etiam *reprehenſionem*, de quibus alibi expoſuimus. Illa eſt in *negando*, *redarguendo*, *defendendo*, *eleuando*, vt ait idem Quintil. Lib. 6, 3. 71.

Regnare. Regnum.

Vtrumque nota metaphora dicitur, vbi de hominibus in eloquentia excellentibus ſermo eſt. vid. Quintil. 10, 1. 112. Cic. Epiſt. ad Diu. 7, 24. et 9, 18. et quae in Lex. gr. techn. ad voc. βασιλεὺς dicta ſunt. Quintiliano 12, 11. 28. eodem modo *arcem tenens* eloquentiae Cicero dicitur. Plura ex eo genere congeſſit Creſoll. Vacat. Autumn. Lib. 1, 10. p. 78.

Regreſſio.

Figura elocutionis, gr. ἐπάνοδος, quae ſemel propoſita iterat et diuidit. Sic Quintilianus 9, 3. 36. hoc vſus exemplo:

Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus aeuo
Iam grauior; Pelias et vulnere tardus Vlixi.

vid. Iul. Rufinian. p. 32. et Lex. gr. techn. in ἐπάνοδος. *Regreſſione* etiam Iul. Rufin. p. 30. ἐπαναφορὰν interpretatur, cuius haec vis eſt, vt ab eodem verbo plures inchoatae ſententiae incipiant: ἐπάνοδον autem *euerſionem*, ſ. *egreſſionem* explicat, cum duobus breuius pluribusue propoſitis, ad ſingularem narrationem recurritur.

R e l a t i o.

Relatio criminis (gr. ἀντέγκλημα) in diſciplina de ſtatibus, dicitur modus defendendi, ſeu pars conſtitutionis iuridicialis aſſumtiuae, cum ideo iure factum contenditur, quod aliquis ante iniuria laceſſierit. Cic. de Inuent. 1, 11. et 2, 26. cf. Sulpic. Vict. Inſtitt. Rh. p. 269. et quae nos ad voc. *iuridicialis* notauimus.

Inter figuras verborum, *relationem* commemorat Cic. Orat. 3, 54. De quo loco Quintilianus 9, 3. 97. ita: „*relationem, quid accipi velit, mihi non liquet.* Nam ſi ὑπαλλαγὴν aut ἐπάνοδον aut ἀντιμεταβολὴν dicit, de omnibus locuti ſumus. Sed quicquid id eſt, neque hoc, neque ſuperiora in Oratore repetit.“ Aquila tamen Rom. p. 176. Ruhnk. ἐπαναφορὰν *relatum* interpretatur, dicitque conſtare eo, quod eadem pars orationis ſaepius per ſingulos ambitus et ſingula membra, interdum etiam per inciſa repetatur. Itaque Bergerus de nat. pulcr. Or. p. 161. cum locum Caeſaris attuliſſet, in quo talis repetitio eſſet, „vna potiſſimum *relatione*, inquit, quam ἀναφορὰν vocant Graeci, plus efficit Caeſar, quam longo circuitu verborum. Hoc enim dicendi lumen, ab ipſo Longino laudatum in Demoſthene, magnam vtique vim orationi addit, et concitationi ſeruit animorum, quos, ictu veluti repetito, percutit, vt id, quod per ſe vehemens eſt et graue, altius imprimatur, ac penitus in ſenſu memoriaque ſedeat infixum. Nam Caeſar, quaſi iam feriat hoſtem, ſemel atque iterum, *Factum, Factum*, inquit.“ Locus Caeſaris eſt de Bell. Gall. 1, 40. — Capperonerius ad Quintil. 9, 1. 36. putat intelligi ζεῦγμα Graecorum, in quo multae dictiones ad vnum verbum referuntur. Similique modo Strebaeus ad Cic. Orat. 3, 54. vt, illud *relatum ad ſingula*, quale eſſet, demonſtraret, hoc exemplo vſus eſt: *quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipſa natura accepimus, hauſimus, expreſſimus.*

Relationem cauſarum, quam αἰτιολογίαν Graeci dixere, commemorat hoc ſenſu Quintil. 6, 3. 77. Hanc Cicero l. c. *ad propoſitum ſubiectam rationem* appellavit. vid. *Ratio.*

R e l i g i o.

Ciceroni religio quaedam eſt iudicii ſenſusque ſubtilitas, qua quis nihil niſi rectum, incorruptum, elegans,

gans, venuſtum et pulcrum in eloquentia ceteriſque artibus ferre vel probare poteſt, et illa omnia, vbicunque ſint, facile videt animoque percipit: *feines, richtiges, zartes Gefühl des Schönen und Wahren, verbunden mit dem feinſten Geſchmacke an demſelben.* vid. Cic. Orat. 8. vbi hanc Atticorum *religionem* commemorat, et mox eorundem *aures teretes et religioſas* laudat.

Remedia.

Quintiliano, Graecorum loquendi conſuetudinem ſecuto, qui in eadem re θεραπείαν, μειλίγματα dixerunt (vid. Lex. gr. techn.) *remedia* vocantur illae formulae dicendi, quibus, ſi quid audacius et periculoſius diximus, velut emolliendi gratia, vtimur, v. c. *vt ita dicam, ſi dicere licet* etc. vid. quae diximus ad voc. προεπιπλήττειν. Hoc Cur. Fortunat. Rhet. p. 72. dicit, *verbum praeceps aliquo verecundiori adminiculo fulcire.* vid. *Periculum.* Itaque ſimilem figuram elocutionis, quae illam ipſam emolliendi vim habeat, Cicero Or. 53. vno verbo, *medeatur,* ſignificaſſe videtur: quam formam nonnulli ἐπιθεράπευσιν vocarunt. Quamuis huc etiam referri poſſunt, quas προθεραπείαν Graeci, Latini *apologiam,* vel *purgationem* appellauere. cf. quae ad voc. *Color* diximus.

Remotio.

Remotio criminis in cauſa iuridiciali modus eſt defendendi, quo non crimen a nobis, ſed culpam ipſam amouemus, et vel in hominem transferimus, vel in rem quampiam conferimus. Sic definit Auct. Herenn. 1, 15. cf. Lex. gr. techn. in μετάθεσις. Cicero Inuent. 1, 11. „*remotio* criminis eſt, inquit, cum id crimen, quod infertur, ab ſe et a culpa ſua, vi et poteſtate, in alium reus remouere conatur. cf. Lib. 2, 29. et ſeqq. vbi ex inſtituto de ea re disſeritur. Quintilianus Lib. 7, 4. „interdum ait, culpa deriuatur in rem: hoc μετάστασιν dicunt.“ Sulpic. Vict. Inſt. Rhet. p. 267. „*remotio* eſt, cum reus remouet a ſe culpam in aliquam neceſſitatem, vel in alicuius imperium.“

Aliam vim habet, quod Quintil. 5, 10. 66. commemorat argumentorum genus *ex remotione,* qua modo efficitur totum falſum, modo id, quod relinquitur, verum. Totum falſum eſt hoc modo: *Pecuniam credi-*

diſſe te dicis: aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti, aut ſurripuiſti. Si neque domi habuiſti, neque ab aliquo accepiſti, nec cetera, non credidiſti. Reliquum fit verum ſic: *Hic ſeruus, quem tibi vindicas, aut verna tuus eſt, aut emtus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus:* deinde remotis prioribus, ſupererit *alienus.* Totum hoc argumentandi et refellendi artificium *diuiſione* nititur, de qua in antecedentibus Quintilianus diſputat.

Remotus.

Genus argumentationis *remotum,* ideoque vitioſum, Ciceroni Inuent. 1, 49. dicitur, *quod vltra, quam ſatis eſt, et res poſtulat, petitur.* cf. Auct. Herenn. 2, 22. vbi idem genus luculentius expoſitum, exemplisque illuſtratum reperitur.

Repercutere.

Quintilianus 6, 3. 23. de riſu et ioco verba faciens: „aliena, inquit, aut reprehendimus, aut refutamus, aut eleuamus, aut *repercutimus,* aut eludimus," hoc eſt, retorquemus dicteria in eos ipſos, qui ea in nos iecerant. cf. §. 45. et 78. vbi *repercutiendi* multa genera eſſe notat, venuſtiſſimum autem, quod etiam ſimilitudine aliqua verbi adiuuetur; vt Trachalus dicenti Suellio, *Si hoc ita eſt, is in exilium: Si non eſt ita, redis,* inquit.

Repetitio.

Gr. *ἐπαναφορὰ,* ſ. *ἐπανάληψις,* figura verborum, cum continenter ab vno eodemque verbo in rebus ſimilibus et diuerſis principia ſumuntur. Sic Auct. Herenn. 4, 13. vbi huius *repetitionis* tanquam generis ſpecies nominat *conuerſionem, complexionem, traductionem.* Et Cic. Or. 3, 54. in figuris *eiusdem verbi crebram a principio repetitionem,* gr. *ἐπιβολὴν,* commemorat, cuius exemplum eſt in Cic. Catilin. 1, 1. „*Nihil* te nocturnum praeſidium, *nihil* vrbis vigiliae, *nihil* conſenſus bonorum omnium, *nihil* hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, *nihil* horum ora vultusque mouerunt." Eandem figuram in Orat. 39. ita deſignat: *cum ab eodem verbo* ducitur *ſaepius oratio.* Ei contraria forma eſt, *cum in idem verbum oratio conijcitur,* h. e. finitur

ſ. ter-

ſ. terminatur, gr. ἀντιστροφὴ vel ἐπιφορά. vid. Rutil. Lup. 1, 7. p. 24. Ruhnk. et p. 30, 31. vbi vtriusque, ἐπιβολῆς et ἐπιφορᾶς coniunctionem κοινότητα appellat. cf. Quintil. 9, 3. 30. et Aquila Rom. p. 18. vbi ἐπαναφορὰν, et p. 20. vbi ἐπανάληψιν *repetitionem* interpretatur, quam ita a παλιλογίᾳ, *iteratione*, diſtinguit, vt illa vnum verbum exaggerandi cauſa repetat, haec ex plurium verborum repetitione idem quaerat. — Iulius etiam Rufinian. p. 29. 30. duo ἐπαναλήψεως ſ. *repetitionis* genera commemorat, quorum alterum ad figuras ſententiarum refert, appellatque *repetitionem propter aliquam neceſſariam cauſam;* alterum elocutionis figuram (σχῆμα λέξεως) facit, *eorundem verborum ſimul poſitorum, eiusdemque ſententiae poſt multa interiecta cum aliqua periodi concluſione repetitionem* vocans. Eandem et latine *reſumtionem* dici notat. Et Rutil. Lup. 1, 11. de ἐπαναλήψει: *Hoc ſchema fieri ſolet, cum id, quod dictum ſemel eſt, quo grauius ſit, iteratur.*

Replicatio.

Hoc nomine Marcianus Capella vocat figuram orationis, qua prioris ſententiae verbum vltimum, ac ſequentis primum idem eſt. Eandem formam commemorat Quintil. 9, 3. 44. ſine appellatione technica. Veteres Grammatici, Chariſius, Diomedes, Donatus ἀναδίπλωσιν, Hermogenes περὶ ἰδ. Lib. 1. ἐπαναστροφὴν, Iul. Rufinian. p. 31. *palilogiam* et *iterationem* dicunt. vid. *Iteratio.*

Reprehenſio.

Cicero de Inuent. 1, 14. has ſex partes orationis ponit: exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, *reprehenſionem*, concluſionem. Deinde Cap. 42. *reprehenſio*, inquit, eſt, *per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur.* Et mox, „omnis argumentatio, ait, *reprehenditur*, ſi aut ex iis, quae ſumta ſunt, non conceditur aliquod vnum pluraue, aut, his conceſſis, complexio confici ex his negatur; aut ſi genus ipſum argumentationis vitioſum oſtenditur; aut ſi contra firmam argumentationem alia aeque firma aut firmior ponitur.“ Harum rerum vberior explicatio apud ipſum Rhetorem perlegenda eſt. cf. Cur. Fortunat. Rhet. p. 66. Pith. vbi illi tres reprehendendi modi

ſic

ſic enuntiantur: „*reprehendimus* argumenta, vel redarguendo, vel repugnando, vel compenſando.“ Eadem aliis *confutatio* dici ſolet, vt Georg. Trapez. Rhet. Lib. 3. p. 32. vbi copioſe eius locos pertractat. Omnis argumentatio, inquit, *reprehenditur*, cum aut ex his conceſſis complexio ſequi negatur, aut ſi contra firmam argumentationem aeque firmam, aut firmiorem opponimus.

Aurel. Auguſtin. in Princ. Rhet. p. 294. notat conſtitutionem illam, quae a Graecis μετάληψις, a Latinis vulgo *translatio* dici ſoleat, a paucis appellatam fuiſſe *reprehenſionem*, propterea, quod cum maxime inducatur in iudicium cauſa, *reprehenditur*, et quaſi retrahitur.

Quae a Cicerone de Or. 3, 54. in figuris elocutionis commemoratur *reprehenſio*, hanc vim habere videtur, vt quis verbum inepte ab altero vſurpatum reprehendat, ſicut in hoc exemplo, quod Strebaeus attulit: *puerum appellat, quem non modo virum, ſed etiam fortiſſimum virum ſentit, et ſentiet.* vid. *Correctio.* Quintilianus 9, 2. 18. *reprehenſione* dicit confirmari vim et proprietatem verbi alicuius, quo vſi ſumus, vt in his: *Ciues, ciues inquam, ſi hoc eos nomine appellari fas eſt.* Hoc ipſo exemplo vtitur Iulius Rufinian. p. 27. vt declaret vim τῦ ἀφορισμῦ vel διορισμῦ, h. e. deſcriptionis rerum per reprehenſionem, quae exprimat et corrigat vim ſententiae et poteſtatem.

Denique exquiſitiori ſignificatione *reprehenſio* Ciceroni dicitur in oratore, qui ornatum, concinnitatem, vel feſtiuitatem ſuam ſubinde coercet, ne perpetuitas ornamentorum faſtidium et ſatietatem adferat audientibus: vnde *intermiſſioni*, et *varietati* iſta, veluti tertia quaedam virtus, adiungitur. Locus inſignis eſt Lib. 3, de Orat. Cap. 25. „Omnibus in rebus, inquit, voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt, quo hoc minus in oratione miremur. in qua vel ex poetis, vel oratoribus poſſumus iudicare, concinnam, diſtinctam, ornatam, feſtiuam, ſine intermiſſione, *ſine reprehenſione*, ſine varietate, quamuis claris ſit coloribus picta, vel poeſin vel orationem, non poſſe in delectatione eſſe diuturna.“ Strebaeus ad h. l. haec habet: *reprehenſionem* dicit cultum negligentem, qui videtur eſſe vitioſus, et non eſt, ſi loco ponitur, et ſi eſt in eo negligentia

gligentia quaedam diligens. Licet interdum ad ſermonem cotidianum vſque demittere orationem, relaxare numeros, admittere vocalium duram concurſionem etc.

R e ſ o r b e r e.

Luculenta metaphora, *reſorbere ſpiritum*, in quo quidem reſpirationis vitium eſt, dicuntur ii, qui ita illum recipiunt, vt iniucundum per dentes ſtridorem edant. Quintil. 11, 3. 55. *Das mit einem Ziſchen oder Schlürfen verbundene Odemholen.*

R e ſ p o n ſ i o.

Hanc in figuris elocutionis ſ. λέξεως refert Cic. Or. 3, 54. quam *ἀπόφασιν* et *αἰτιολογίαν* vocat Ruſinianus p. 25. Strebaeus ad illum locum hoc exemplo vſus eſt: *Ibone ad eum? Non: etiamſi vltro me vocet.* In Oratore autem Cap. 39. eandem figuris ſententiarum ſ. *διανοίας* adnúmerat, et ſic definit: *quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpondeat.*

R e t i c e n t i a.

Gr. *ἀποσιώπησις*, apud Cic. Orat. 3, 53. Quintilianus 9, 2. 54. *reticentiam, obticentiam*, nonnullis etiam *interruptionem* dici tradit. Accuratius autem *ἀποσιώπησιν* ita definit, vt dicat in ea, quid taceatur, incertum eſſe, aut certe longiore ſermone explicandum, neque eam adeo cum ellipſi, vel ſynecdoche, in quibus vniuerſe aliquid deſit, et intelligendum relinquatur, confundendam. Aquila Rom. de Fig. Sent. p. 14. Pith. „*Reticentia* eſt, inquit, cum intra nos ſupprimimus ea, quae dicturi videmur, quod aut turpia aut invidioſa, aut alioquin nobis grauia dictu ſunt. Interdum etiam vtimur hac figura, quaſi ad alia properemus: quale eſt Virgilianum illud: *Quos ego — ſed motos praeſtat componere fluctus.*" In hoc Virgilii loco Macrobius Saturn. 6, 6. *intermiſſionem* eſſe ait, haud dubie eandem *ἀποσιώπησιν* in mente habens. Quintilianus tamen l. c. illa verba cum affectu et ira elata putat. Et ſic alio in loco Macrobius Sat. 4, 6. *ἀποσιώπησιν taciturnitatem* vertit, contrariamque facit *τῇ ἐκφωνήσει, exclamationi.* Nam vt illic, inquit, aliqua exclamando dicimus: ita hic aliqua tacendo ſubducimus, quae tamen intelligere poſſit auditor: hoc autem

praecipue

praecipue iraſcentibus conuenit. Itaque illam ad formas dicendi eas refert, quae πάϑος ſignificent.

Retractatio.

Sic et *implicationem* Iul. Rufinian. Fig. eloc. pag. 31. Pith. 236. Ruhnk. interpretatur gr. πλοκὴν, quae figura hanc vim habeat, vt idem verbum vel ſententia ad conſummationem ſuperioris retorqueatur, vt:

— — Vos o, quibus integer aeui
Sanguis, ait, ſolidaeque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam. —

ex Virgil. Aen. 2, 638.

Reuerſio.

Vid. voc. *transgreſſio.* Iul. Rufin. p. 32. ἐπιστροφὴν, Graecorum figuram, qua in eadem verba plures ſententiae deſinunt, *reuerſionem* interpretatur. vid. *Conuerſio.*

Reuocatio.

Reuocatio verbi, in figuris elocutionis commemoratur a Cic. Orat. 3, 54. ad quem locum Strebaeus in Commentariis hoc exemplum poſuit ex Virgil. Ecl. 10, 72.

— — vos haec facietis maxima Gallo:
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum vere nouo viridis ſe ſubiicit alnus.

Aliud eſt, ſi orator *ſe ipſum reuocat*, quam formam Cicero inter lumina ſententiarum ponit Orat. 40. vid. quae ad voc. *reditus* diximus.

Rhetores.

Hoc nomine dictos eſſe conſtat, quicunque praecepta dicendi traderent, *rhetoricos doctores* quos appellat Cic. de Orat. 2, 18. 19. Marius Victorin. in Rhet. Cic. p. 80. Pith. quid inter Rhetorem, Sophiſtam, et Oratorem interſit, ita enuntiat: „*Rhetor* eſt, qui docet literas, atque artis traditor eſt eloquentiae. *Sophiſta* eſt, apud quem dicendi artificium diſcitur. *Orator* eſt, qui in cauſis priuatis ac publicis plena et perfecta vtitur eloquentia.“ Iidem fuerunt, qui fictas ad imitationem fori et conſiliorum materias dicerent; quod apud Graecos aetate Demetrii Phalerei inſtitutum,

tum, apud Latinos autem dicendi praeceptores L. Craſſi temporibus coepiſſe, Quintilianus tradit Lib. 2, 4. vbi primum Rhetorem Plotium nominat, vt et Seneca Controu. II. praef. et Sueton. de Clar. Rhet. Cap. 2. cf. Cic. de Orat. 3, 24. et omnino Creſoll. Theatr. Rhet. 1, 2. et paſſim aliis in locis.

Rhetorica.

Haec a Cicerone de Inuent. 1, 5. *artificioſa eloquentia* dicitur. vid. voc. *Eloquentia.* Graecam vocem in Latinum transferentes nonnullos *oratoriam*, vel *oratricem* nominaſſe, tradit Quintil. 2, 14. vbi eorum rationem probat, qui, graeca forma ſeruata, *Rhetoricen* potius dicant, ſubiicitque ei tres veluti partes, *artem, artificem, opus.* Sequenti Capite, quid Rhetorica, et quis eius ſit finis, inquirens, repudiat eos, qui finem Rhetorices in *perſuadendo* poſuerint, vt Iſocrates, Plato, Cicero nonnullis in locis librorum Rhetoricorum. Alii exiſtimarunt eam eſſe *vim dicendo perſuadendi*, vt Gorgias a Socrate inductus apud Platonem: et Ariſtoteles, cuius certe ſimilis definitio eſt· *ducere homines dicendo in id, quod actor velit.* Eodem fere redibat Apollodori et Hermagorae ſententia, aliorumque, quamuis quibusdam diſcriminibus diſtincta. Ipſe Quintilianus probat Rhetoricen dici *bene dicendi ſcientiam,* eiusque materiem, *omnes res, quaecunque ei ad dicendum ſubiectae erunt.* Cuius ſimilis eſt Ciceronis ſententia de Orat. 1, 15. et 46. — Primum Empedoclem aliqua circa Rhetoricen mouiſſe, notat Quintil. 3, 1. et Ariſtoteles Elench. Soph. ſub finem: πρῶτος εὗρε τὴν ῥητορικήν. — Sulpic. Victor in Inſtitt. Rhet. pag. 240. Pith. eos, qui Rhetoricen *bene dicendi ſcientiam* definierint, parum recte feciſſe contendit, quia parum plena illa definitio ſit, et v. c. medicus etiam, quae ad medicinam pertineant, bene dicere poſſit. Itaque ipſe hoc modo definit: „*Rhetorica eſt bene dicendi ſcientia in quaeſtione ciuili.*" Sic enim fiet, inquit, vt proprium finem dediſſe videamur. Sed cf. Aurel. Auguſtin. Princ. Rhet. p. 290. Pith. vbi varios modos recenſuit, quibus Rhetorices finem veteres Rhetores conſtituerint. Georgius Trapez. Rhet. Lib. 1. hanc definitionem operi ſuo praefixit: *Rhetorica eſt ſcientia ciuilis, qua cum aſſenſione auditorum, quoad eius fieri poteſt,*

poteſt, in ciuilibus quaeſtionibus dicimus. cf. Ammian. Marcell. Lib. 30, 4.

Riſus.

In Rhetoricis veterum libris *riſus* ſemper de ioco facetiisque dici ſolet, vt *ridiculus*, qui ex his rebus riſum mouet. Vnde et *ridere* pro iocari ſimpliciter paſſim adhibetur, etiam ſi id non vultu vel cachinnatione, ſed ſolis verbis et oratione factum ſit; vt apud Cic. Lib. 2. Epiſt. ad diu. 16. vbi, cum ſententiam iocularem dixiſſet, *hoc adſperſi*, inquit, *vt ſcires, me tamen in ſtomacho ſolere ridere.* Itaque qui de illa virtute oratoris disputant, qua triſtes iudicum affectus ſoluat, animum ab intentione auertat, aliquando etiam reficiat, et a ſatietate et fatigatione remoueat, hi *riſum* appellant, cui omnes iocorum, hilaritatis, vrbanitatis, ſalis, facetiarumque formae ſubſint. Ita Quintil. Lib. 6, 3. ſeqq. vbi paſſim omnes illae formae occurrunt: neque aliter Graeci, cum περὶ γελοίȣ disputant, vt in illo ipſo loco Fabius adnotauit. Cicero quibus in locis de riſu et ioco expoſuerit, ad voc. *Iocus* declarauimus. cf. etiam quae ad vocc. *Facetus*, *Hilaritas*, et *Vrbanitas* dicta ſunt.

Rogatio.

Figura elocutionis, gr. ἐρώτησις vel ἐρώτημα, apud Cic. Orat. 3, 53. vbi eam a *percontatione* diſtinguit, vt Graeci ἐρώτησιν a πεύσει diuerſam faciunt. vid. quae ad has voces in Lex. gr. techn. dicta ſunt. Priorem figuram in Orat. 39. ita deſcribit: *interrogando vrgeat.* Etiam Quintilianus 9, 2. 6. interrogationem et percontationem ita discernit, vt hanc *noſcendi*, illam *arguendi* cauſa adhiberi dicat. vid. voc. *interrogatio.*

Rotundus.

Hac metaphora Graeci et Latini Rhetores vtuntur, vt verborum aptam ſuauemque ſtructuram et collocationem ſignificent, qua fiat, vt nihil in iis ſit aſperum, nihil hiulcum, ſed omnia expedita. Cicero in Bruto 78. de C. Piſone: *erat verborum et delectus elegans, et apta et quaſi* rotunda *conſtructio.* In Orat. autem Cap. 13. Theodorus dicitur *praefractior*, nec ſatis *rotundus*, quoniam conciſa et numeris minutis veluti fracta eius oratio

oratio eſſet, quae omnia rotunditati periodicae, ſententias potius vincienti et nectenti, contraria ſunt. Talem ſententiam apte et numeroſe ſtructam et cadentem, cum Gellius N. A. 11, 13. ex oratione C. Gracchi attuliſſet, *curſus hic*, inquit, *et ſonus rotundae volubilisque ſententiae eximie nos et vnice delectabat.* cf. Clau. Cic. in h. v. et Lex. gr. techn. in στρογγύλον, vbi etiam, quo ſenſu Quintilianus 11, 3. 101. Graecos dicat enthymemata geſtu veluti *corrotundare*, explicauimus. cf. Cur. Fortunat. Rhet. Schol. p. 73. ſqq. Pith. et Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 26. p. 348. ſqq. — Hinc et *tornus*, quoniam dicitur inſtrumentum, illud, quo circumacto ligna aliaeque materiae *rotundantur*, ad ſignificandam ſententiarum rotundam breuitatem, inprimis a poetis latinis, translatus eſt. Sic Saleius Baſſus Carm. in Piſon. 84.

Qualis io Superi, qualis nitor oris amoenis
Vocibus? hinc ſolido fulgore micantia verba
Impleuere locos: hinc exornata figuris
Aduolat, excuſſo velox ſententia torno.

Et Propertius Lib. 2, 25. 43. de Elegis, in quorum ſingulis diſtichis incluſae ſunt ſententiae:

Incipe iam anguſto verſus includere torno.

Locum Gellii, qui huc pertinet, iam attulimus ad voc. *teres*, vbi ſimilis metaphora explicanda erat. Loco Horatii Art. poet. 441. nunc non vtor. Ego enim in *male tornatis verſibus* nil niſi *male formatos* vel *factos* videre poſſum. *Tornus* format et fingit: et poeta ſimplici metaphora, non ſine ſolenni lepore, vſus eſt. Qui aliquid amplius ſubtiliusue intelligi velint, hos, cum Baxtero aut Bentleio, doctrina ſua abuti arbitror.

Rudis.

Rudem vocem, quo ſenſu Quintilianus 11, 3. 32. commemorauerit, difficilius dictu videatur. Cauſſinus de Eloq. ſacr. et hum. 9, 6. ἀνάγωγον Pollucis confert, et interpretatur *vocem intractabilem: die rohe, ungebildete, unbiegſame Stimme.*

Ruſticus.

Ruſtica vox, quae et *agreſtis* dicitur, veteribus appellabatur, qua quis priſcam grauitatem et ſimplicitatem imitaturus, aures elegantiores, ſonisque vrbanio-

 ribus

ribus adſuetas offenderet. Vnde *ruſtica aſperitas* commemoratur Cic. Or. 3, 11. 12. vbi et *vaſta* et *lata* dicuntur, quae ad exemplum ruſticorum hominum pleniore ore pronuntiantur. *Eſt autem vitium*, inquit, *quod nonnulli de induſtria conſectantur. Ruſtica vox et agreſtis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, ſi ita ſonet, eorum ſermo retinere videatur: vt tuus, Catule, ſodalis, L. Cotta, gaudere mihi videtur grauitate linguae, ſonoque vocis agreſti, et illud quod loquitur, priſcum viſum iri putat, ſi plane fuerit ruſticanum. Me autem tuus ſonus et ſuauitas iſta delectat; omitto verborum, quanquam eſt caput; ſed hanc dico ſuauitatem, quae exit ex ore* etc. Et mox de eodem Cotta: *Cotta noſter*, ait, *cuius tu illa lata nonnunquam imitaris, vt iota literam tollas, et E pleniſſimam dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores videtur imitari.* cf. Brut. 36. — Eſt etiam *ruſticitas* contraria *vrbanitati*, de qua vid. Quintil. 6, 3. 17. et quae diximus ad voc. *Vrbanitas.* — Iam quoniam homines ruſtici et agreſtes omnino carent vitae elegantia et ſuauitate morum, etiam in eloquentia et literis *agreſtia* dixerunt veteres, quae eſſent inelegantia, inſuauia, importuna, et a docta quadam humanitate aliena. Huc pertinet *agreſtis* motus corporis apud Cic. de Or. 1, 25. *agreſtes libri*, de rhetoricis libris exilibus et aridis, ibid. Lib. 2, 3. et *Muſae* adeo *agreſtes*, hoc eſt, artes et diſciplinae illae, quae minus habent elegantiae, nec ad illas literas, quas humaniores vocant, recte referri poſſunt. vid. Cic. Orat. Cap. 3.

S.

S a l.

Nota metaphora eſt, qua *ſal* et *ſales* de facetiis et ioco oratorio dici ſolent. De eo genere locus Ciceronis claſſicus eſt in Orat. 26. „Huic generi orationis, inquit, adſpergentur etiam *ſales*, qui in dicendo nimium quantum valent: quorum duo genera ſunt, vnum *facetiarum* (*launige, ſcherzhafte Darſtellung, in ſo fern ſie den Ton und Charakter einer ganzen Rede beſtimmt*) alterum *dicacitatis* (*ſchnell und oft durch ein einziges Wort überraſchender Witz*). Vtetur vtroque; ſed altero in narrando aliquid venuſte, altero in iaciendo

ciendo mittendoque ridiculo.“ cf. inprimis Lib. 2. de Orat. 54. et Quintil. 6, 3. 42. vbi et *iaculationem* commemorat, quae ad dicacitatem pertinet. Alio loco §. 89. omnem *ſalſe* dicendi rationem in eo conſiſtere docet, vt aliter, quam ſit rectum, verumque, dicatur; quod fiat totum aut fingendis noſtris, aut alienis perſuaſionibus, aut dicendo, quod fieri non poteſt. Libro autem 6, 3. 18. „*Salſum*, inquit, in conſuetudine pro ridiculo tantum accipimus, natura non vtique hoc eſt, quanquam et ridicula oportet eſſe ſalſa. *Salſum igitur erit, quod non erit inſulſum, velut quoddam ſimplex orationis condimentum, quod ſentitur latente iudicio, et velut palatum excitat, quod et a taedio defendit orationem.*“

Saltare.

Cicero in Orat. 67. „numeroſam, inquit, comprehenſionem peruerſe fugiens Hegeſias, *ſaltat*, incidens particulas;“ hoc eſt, ſemper inciſe et membratim dicens, nunquam longiori et numeroſa periodo vtens, quo quaſi mollius ſalientem orationem efficit. Ita locum explicauit Erneſtius in Clau. Cic. In qua tamen explicatione arbitrarium illud eſſe videtur, quod ad *mollitiem* quandam vim omnem *ſaltandi* retulit. Atqui nunc non tam de mollitie ſermo eſt, quam de crebris percuſſionibus, ſeu interuallis, quae in dictione inciſim et membratim elata neceſſaria ſint: vnde vel ipſa dictio, vel is, qui ea vtitur, *ſaltans* dici poteſt, oppoſitus ei, qui oratione magis in orbem ducta, veluti ſtabili gradu incedit: *der tanzende, hüpfende, immer abſetzende Vortrag, im Gegenſatze des in engerer Verbindung einhertretenden periodiſchen Ausdrucks.* Quod autem Cicero Cap. 69. de infringendis concidendisque numeris ita loquitur, vt et Hegeſiae mentionem faciat, et illud genus Siculorum ſimillimum dicat, quorum mollities quaedam in dicendo a veteribus reprehenditur; id non ad Hegeſiam ipſum, ſed ad eius potius imitatores pertinet. Itaque, quod in Hegeſia ineptum erat, in ſequentibus, qui ea re abutebantur, etiam molle et disſolutum fiebat. Locus ipſe ita habet: „Sunt etiam, qui illo vitio, *quod ab Hegeſia maxime fluxit*, infringendis concidendisque numeris, in quoddam genus abiectum incidant, Siculorum ſimillimum. Hi ergo,

go, quoniam minutos illos numeros ſequebantur, *conciderunt* et *delumbarunt* ſententias.“ Hoc ſenſu coniungi in voce *ſaltare* hae duae notiones poſſunt, vt primo cogitentur inciſae et membratim conciſae ſententiae, deinde mollities quaedam, quae coniuncta cum illis eſſe ſolet, vt in oratione numeroſe cadente et apte concluſa vis et impetus et dignitas ineſſe exiſtimatur. (vid. Lex. gr. techn. in ὑπορχηματικός). Nam Cap. 70. Cicero diſerte de Demoſthene: „*eius non tam vibrarent fulmina illa*, inquit, *niſi numeris contorta ferrentur.*“ Confirmatus etiam ſum in ſententia illa, quam de ſenſu voc. *ſaltare* dixi, cum apud Quintilianum Lib. 9, 4. 42. haec legiſſem: „monoſyllaba, ſi plura ſunt, male continuabuntur: quia neceſſe eſt compoſitio multis clauſulis conciſa *ſubſultet.*“ Ecce eandem rem, verbo paene eodem, expreſſam. Huc et illud pertinet, quod *compoſito* dicendi generi, hoc eſt, numeroſo et concinno, Quintilianus 10, 2. 16. vitium contrarium opponit *exultans*, quod fiat rhythmis nimis apertis, vt ii ad quos ſaltatur, recte ad hunc locum interpretante Geſnero. Vnde Lib. 9, 2. 142. *quotidie*, inquit, *magis laſciuimus ſyntonorum modis ſaltitantes.* Et Lib. 11, 1. 56. ſimpliciter *laſciuire* dicit eos, qui iſto genere concinnitatis vtantur; quoniam illud verbum proprie in animalibus tripudiandi et exultandi vim habet. vid. quae ad voc. *Laſciuire* notauimus. Deinde Lib. 9, 4. 91. „plurimum, inquit, auctoritatis, et, vt dixi, ponderis habent longae ſyllabae, celeritatis breues, quae, ſi miſcentur quibusdam longis, *currunt*, ſi continuantur, *exultant.*“

Qui autem in geſtu et motu corporis, quem actio oratoria poſtulat, modum excedebant, ſoluti et molles in geſtu. his *ſaltatio* tribuebatur, quod ſimiles fierent mimis et ſaltatoribus ſcenicis. Ita de Titio Cic. in Bruto Cap. 62. „Titius homo loquax ſane, et ſatis acutus, ſed *tam ſolutus et mollis in geſtu, vt ſaltatio quaedam naſceretur*, cui ſaltationi Titius nomen eſſet.“ cf. Auct. Dial. de corr. Eloq. 26. et quae ibi notauit Schulzius p. 106. Nempe *ſaltare* in Theatro ad geſtus manuum et corporis flexus magis, quam ad pedeſtres motus pertinebat. cf. Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 433. 828. ſqq. Neque ab hoc loco alienum eſt, quod Gellius N. A. 1, 5. tradit Hortenſium, cuius

ius paulo antea manus *argutas* et *geſtuoſas* commemorauerat, a L. Torquato contumelioſe *geſticulariam*, Dionyſiamque, notiſſimae ſaltatriculae nomine, appellatum. cf. Creſoll. Vacatt. Autumn. Lib. 2. Sect. 7. p. 279.

Sanus. Sanitas.

Luculentiſſimus Ciceronis locus, ex quo, *ſano* dicendi generi quam vim tribuerit, intelligi poſſit, eſt in Bruto Cap. 79. Nam cum in Calidio oratore ea laudaſſet, quae ad naturalem maxime nitorem, elegantiam, venuſtam ſubtilitatem, lenitatem, formamque orationis liberalem, et a fuco, luxurie, artisue affectatione remotam pertineant, has laudes in fine ita complectitur, vt totum eius dicendi genus *placidum* et *ſanum* eſſe dicat: *anſpruchloſe, unverkünſtelte Schönheit des Vortrags mit innerer Solidität verbunden.* Nihil, opinor, iſto metaphorae delectu aptius cogitari aut ſignificantius poteſt. Nonne enim, quae vel corporis vel mentis ſanitas dici proprie ſolet, in eo potiſſimum cernitur, vt ſanguinis et ſuccorum et virium omnium is modus, eaque copia et ratio ſit, qua libera natura inſtruere corpora et mentes ſolet? Nonne, ſi illae res vel intra modum a natura conſtitutum extenuantur, vel vltra eundem exaggerantur, in corpore morbus, in mente autem inſania quaedam conſequitur? Itaque Cicero hac eadem metaphora in illo quoque loco ſapienter vſus eſt, in quo, quid inter genus dicendi ſublime vel vehemens, et inter duo reliqua, tenue, et medium, interſit, docet. „Qui in illo *ſubtili* et *acuto* elaborauit, inquit in Orat. Cap. 28. vt callide arguteque diceret, nec quicquam altius cogitaret: hoc vno perfecto, magnus orator eſt, ſi non maximus: minimeque in lubrico verſabitur, et, ſi ſemel conſtiterit, nunquam cadet. *Medius* ille autem, quem modicum et temperatum voco, ſi modo ſuum illud ſatis inſtruxerit, non extimeſcit ancipites dicendi, incertosque caſus: etiam, ſi quando minus ſuccedet, vt ſaepe fit, magnum tamen periculum non adibit; alte enim cadere non poteſt. At vero hic noſter, quem principem ponimus, *grauis, acer, ardens,* ſi ad hoc vnum eſt natus, aut in hoc ſolo ſe exercuit, aut huic generi ſtudet vni, nec ſuam copiam cum illis duobus generibus temperauit: maxime

xime eſt contemnendus. Ille enim ſummiſſus, quod acute et veteratorie dicit, ſapiens iam: medius ſuavis: *hic autem copioſiſſimus, ſi nihil eſt aliud, vix ſatis ſanus videri ſolet. Qui enim nihil poteſt tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, diſtincte, facete dicere: ſi is non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud ſanos, et quaſi inter ſobrios bacchari vinolentus videtur.*" Ex quo loco ſimul intelligi poteſt, in *ſanitate* veteres inprimis medium illud genus dicendi cogitaſſe, quod copiam et ſublimitatem cum tenuitate et ſubtilitate recte temperatam haberet. Nam ſola tenuitas in exilitatis et ieiunitatis vitium, ſola autem ſublimitas et vehementia in furoris cuiusdam aut tumoris periculum incurrere poteſt. Quare et illi *ſanitati* valde affinis videtur, quem Cicero Orat. 82. *verum ſanguinem* appellat. Nam ibi Curionem, nimia accuratione, religione et ſubtilitate, *verum ſanguinem* perdidiſſe iudicat. Atque ex eodem fonte manauit illud, quod Atticae eloquentiae, quam omni tempore principem et vnice expetendam laudandamque veteres exiſtimarunt, proprium veluti characterem in *ſanitate*, et *integra valetudine* poſuerunt. Cicero quidem in Or. 23. Atticum oratorem, quem informaturus erat, his notis inſignem facit: „etſi non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum aliquem oportet, vt etiamſi illis maximis viribus careat, *ſit*, (vt ita dicam) *integra valitudine.*" — In Bruto Cap. 13. „Vt ſemel, inquit, e Piraeeo eloquentia euecta eſt, omnes peragrauit inſulas, atque ita peregrinata tota Aſia eſt, vt ſe externis oblineret moribus, omnemque illam *ſalubritatem Atticae dictionis et quaſi ſanitatem perderet*, ac loqui paene dediſceret. Hinc Aſiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, ſed parum preſſi et nimis redundantes. Rhodii *ſaniores* et *Atticorum ſimiliores.*" Porro de Opt. gen. dic. Cap. 3. „imitemur, ait, illos potius, qui *incorrupta ſanitate* ſunt, (quod eſt proprium Atticorum) quam eos, quorum vitioſa abundantia eſt, quales Aſia multos tulit." Iam his veterum iudiciis, quomodo Ruhnkenius in Hiſtor. crit. Or. Gr. p. XXXVII. ad emendandum Vellei. Paterc. 1, 18. locum vſus ſit, operae pretium eſt, vt commemoremus. Nam cum Burmannus, Lipſii coniecturam ſecutus, ita edidiſſet: *Vna vrbs Attica pluribus*

bus annis eloquentia, quam vniuerſa Graecia, vberiusque floruit, ille, adiutus inprimis libro Murbacenſi, in quo *eloquentiae*, et *operibusque floruit*, expreſſum erat, omnem locum ita reſtituendum cenſuit: *Vna vrbs Attica pluribus ſanae eloquentiae, quam vniuerſa Graecia, operibus effloruit.*

Sed vt ſaepe multis in rebus non omnibus ſatisfaciunt ea, quae recta et ſimplicia, certaque naturae menſura atque ordine definita ſunt (vidimus enim, mulierculas inprimis, quae integram valitudinem, perpetuamque ſanitatem ſuam, ita plebeiam et vulgarem exiſtimarent, vt, quo nobiliores viderentur, ſe languidas et aegras eſſe certe ſimularent); ita fuerunt etiam, qui illam orationis *ſanitatem*, de qua diximus, ad veram eloquentiae laudem, virtutemque dicendi ſufficere negarent, horridam quandam ſanitatem, quae ſeiuncta a robore et nitore eſſet, ſibi informantes. Sic Auctor Dial. de Oratt. 23. „Vobis vtique verſantur ante oculos, inquit, qui Lucilium pro Horatio. et Lucretium pro Virgilio legunt; qui rhetorum noſtrorum commentarios faſtidiunt, Calui mirantur: quos, more priſco apud iudicem fabulantes, non auditores ſequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur. *Adeo moeſti et inculti, illam ipſam, quam iactant, ſanitatem non firmitate ſed ieiunio conſequuntur.* Porro ne in corpore quidem valitudinem medici probant, quae nimia anxietate contingat. *Parum eſt, aegrum non eſſe; fortem et laetum et alacrem volo. Prope abeſt ab infirmitate, in quo ſola ſanitas laudatur.*" Hoc eodem ſenſu Plinius Lib. 9. epiſt. 26. de oratore, quem *ſanum et rectum* appellat, *nihil peccat*, inquit, *niſi quod nihil peccat.* Et Cicero de Opt. gen. dic. 3. de Atticis oratoribus quibusdam: „qui quamuis careant omni vitio, *non ſunt contenti quaſi bona valitudine. ſed vires, lacertos, ſanguinem quaerunt, quandam etiam ſuauitatem coloris.* Eos imitemur, ſi poſſumus: ſin minus, illos potius, qui incorrupta ſanitate ſunt (quod eſt Atticorum proprium) quam eos, quorum vitioſa abundantia eſt, quales Aſia multos tulit."

Satur.

Cicero in Orat. 36. vbi praecipit, vt orator, quid deceat, ſciat, „nec *ſatura* ieiune, inquit, nec grandia

 minute,

minute, nec item contra dicet, ſed erit rebus ipſis par et aequalis oratio." In quo loco *ſatura* ſunt res, in quibus eſt copia larga ad ornatum et amplificandum, explicante quidem Erneſtio in Claue Cic. — Perſius Sat. 1. in eo loco, qui habet σκῶμμα in rhetores, qui pueros a ludo egreſſos ſtilum in deſcriptionibus ac narrationibus hiſtoricis exercere iuberent, *rus ſaturum* commemorat, hoc eſt, explicante quidem Caſaubono ad h. l. p. 113. rus ſiue praedium bonis refertiſſimum, et quod deſcribere vel laudare cupientibus futurum ſit benigna materia. Simili modo Manilius *ſaturum* geſtum appellabat, argutum et incitatum illum, qui Pantomimis et de ſcena hominibus proprius eſſe ſolet. Locum poetae laudauit Creſollius Vacatt. Autumn. Lib. 2. Sect. 18. p. 338. cf. quae ad voc. *Ieiunus* adnotavimus.

Scena.

Haec vox cum *pompa* ita iungi ſolet a Rhetoribus Latinis, vt apparatum et ſplendorem quendam orationis ſignificet, qui ſimplicitati et tenuitati dicendi quotidianae contrarius ſit. Luculentus eſt locus Cic. Or. 3, 45. „non ſunt alia, inquit, ſermonis, alia contentionis verba: neque ex alio genere ad vſum quotidianum, alio ad *ſcenam pompamque* ſumuntur."

Sciſſus. vid. *Frangere.*

Scurrilis.

In ioco et facetiis, quid ſit *ſcurrile*, locus omnis Ciceronis de Orat. 2, 60. et haec inprimis verba declarant: *temporis ratio et ipſius dicacitatis moderatio et temperantia, et raritas dictorum, diſtinguet oratorem a ſcurra, et quod nos* (oratores) *cum cauſa dicimus, non vt ridiculi videamur, ſed vt proficiamus aliquid, illi* (ſcurrae) *totum diem, et ſine cauſa.* Itaque in Bruto 38. iunctum cum grauitate facetiarum et vrbanitatis oratorium leporem, a *ſcurrili*, diſtinguit. Et Suetonius de Veſpaſiano Cap. 22. erat, inquit, dicacitatis plurimae, ſed ſic *ſcurrilis* et *ſordidae*, vt ne praetextatis quidem verbis abſtineret.

Secare.

Quintilianus 11, 3. 40. inter vocis genera ea, quae ornatam pronuntiationem faciant, commemorat etiam vocem

vocem *ſecantem aëra*, et *auribus ſedentem*. Quid in vtroque vocabulo nunc cogitauerit Quintilianus, duplici ratiocinatione aſſequi poſſe nobis videmur. Primum momentum illud facit, quod *ornatae* potiſſimum pronuntiationi iſta tribuit. Nam cum pronuntiationis virtutes easdem, quas elocutionis, eſſe ſtatuiſſet, vt eſſet illa vel emendata, vel dilucida, vel ornata, vel apta, omni autem ornatui haec vis tributa ſit a Rhetoribus, quae impediret, ne eſſet oratio aſpera et incondita, aut foeda aut ſenſibus iniucunda, ſed quae nitidam, lenem, elegantem, ſuauemque faceret, neceſſe eſt in *voce aëra ſecante*, quoniam ornatae elocutioni ſeruire debeat, omnem aſperitatis, iniucundae violentiae, et grauitatis aures offendentis cogitationem ſemoueamus. Deinde, *ſecare aëra*, non poteſt hoc loco de qualicunque aëris diſſipatione aut penetratione dictum eſſe. Nam omnis vocis, quaecunque demum ea ſit, haec natura eſt, vt aëra ſecet et penetret. Itaque cum illud potiſſimum ad *ornatam* pronuntiationem referatur, vt in ea ſit vox *ſecans aëra*, cogitur, Quintilianum aëris commotionem cogitaſſe eam, quae iſti ornatui non repugnaret, hoc eſt, lenem, non diſſipantem violenter, et veluti lacerantem aëra, ſed placido quodam acumine diſſecantem, adeoque ſuauiter ad aures accidentem, non irruentem. Iam hunc ipſum vocis ad aures aduentum lenem, placidum, iucundum, expreſſit, cum vocem *auribus ſedentem* dixit. Nam omnino in verbo *ſedere*, lenis quaedam et mitis clemensque loci occupatio ineſt, cui contrarius eſt impetus ille, quo in aliquem locum vehementer et crudeliter irruimus. Ergo vox *ſecans* aëra, et *auribus ſedens* ita, tanquam antecedens et conſequens, cohaeret, vt, ſi ſuauiter ex ore emiſſa fuerit, ſuauem etiam in auribus ſenſum relinquat. Geſnerus quidem, cum illud *ſedere* pro *morari* accepiſſet, vocem *auribus ſedentem* exiſtimabat eſſe eam, quae ſua ſuauitate ſic demulſerit auditorem, vt etiam poſt dicendi finem, audire ſibi illam videatur. Sed quaero, annon idem de iniucundis, aureſque radentibus ſonis dici poſſit? Profecto, inquam; vt ſaepe per multos dies ſonorum, inſtrumentorumque ſtrepitum et clamorem audire nobis videamur. Ergo ſuauitas illa non *morando*, ſed *ſedendo*, hoc eſt, leni et molli aurium quaſi tactu, in quo omnis titillatio ineſt, efficitur.

S e i u n ſt i o.

Partitio *per ſeiunctionem* quae ſit, ad voc. *Partitio* docuimus. Quam autem ſimpliciter *ſeiunctionem* appellat Cicero Orat. 3, 53. et inter figuras ſententiarum commemorat, pertinere videtur ad illam formam orationis, qua ab eo quod dictum eſt, aliquid ſeiungimus, et ad alia transire velle dicimus, vt in his: *expoſui profectionis conſilium, nunc reuerſionis, quae plus admirationis habet, breuiter exponam.*

S e n e x. vid. *P r e ſ ſ u s.*

S e n ſ u s.

Exquiſitiorem huius metaphorae vim et vſum declarare conabimur. — Cum *ſenſu* tractare locum aliquem orationis, orator dicitur, ſi ita dicit, vt ex animo, et veritate hauſta oratio videatur, eiusque omnis affectus cum rerum ratione conueniat. Ita Cicero de Or. 2, 43. „Hoc (ſcil. exprimere oratione mores et affectus) vel in principiis vel in re narranda, vel in perorando tantam habet vim, ſi eſt ſuauiter et *cum ſenſu* tractatum, vt ſaepe plus, quam cauſa, valeat. Tantum enim efficitur ſenſu quodam et ratione dicendi, vt quaſi mores oratoris effingat oratio." Hunc ἐνδιάθετον, ἔμψυχον, et ἀληθῆ λόγον Graeci dixere, qui ad ἠθοποιΐαν pertinet. vid. Lex. gr. techn. in illis vocc. *Behandlung eines Stoffes, oder Vortrag einer Stelle mit Theilnahme, mit Wärme, mit Intereſſe für die Sache.* Cicero illa, quae ad *ſenſum* pertinere dixerat Cap. 45. et ſeqq. vberius exponit. Libro autem 3, 25. ad colorem et ſuccum orationis refertur, vt *ſenſus* et *dolores* habeat oratio, hoc eſt, vt in ea inſint morum affectuumque notationes et tractationes. Non dubito, Ciceronem eleganter expreſſiſſe, quae a Graecis τὰ ἤθη καὶ τὰ πάθη dicta ſunt. Ita plane Plinius H. N. 35, 10. de Ariſtide Thebano pictore celebri: „Is primum animum pinxit, et *ſenſus* omnes expreſſit, quae vocant Graeci ἤθη, item perturbationes." Quo minus iam mirum videri debet, quod Cicero in Bruto 24. ipſi oratori *dolores* tribuerit. Ibi de Galba: „quem fortaſſe vis non ingenii ſolum, ſed et animi, et *naturalis* quidam *dolor* dicentem incendebat, efficiebatque, vt et incitata, et grauis et vehemens eſſet oratio." In hoc loco

loco *dolorem* ego quidem cenſeo exquiſite dictum de ea animi indole naturali, qua ſenſus παθητικὰς, ipſosque affectus facillime concipit: *eine gewiſſe natürliche Empfindlichkeit, eine zarte Reizbarkeit, wodurch die Seele leicht zum Affecte geſtimmt, und zu deſſen Aeuſserungen geneigt wird.* Maxime autem nunc ſenſus et affectus eos intelligi, qui cum quodam dolore coniuncti ſunt, totus locus antecedens, in quo de Galba disſeritur, declarat. Nam et *multis querelis, multaque miſeratione adhibita* ſocios quaeſtione liberaſſe, et populi Romani ſidem *implorans*, et ſuos pueros *flens* commendaſſe, *miſericordiamque populi commouiſſe* dicitur. Haec igitur vt poſſet Galba, *naturali cuidam dolori* tribuendum Cicero putabat, cuius ſententia nunc obſcura eſſe non poteſt. Itaque mirabar, Wezelium, recentiſſimum Bruti interpretem, ita iudicium praecipitaſſe, vt Schneideri coniecturam, *naturalis quidam calor*, quam in notis commemoraſſe ſatis fuiſſet, in textum adeo reciperet, nulla ne varietate quidem Codicum adiutus, nec grauioribus cauſis illam mutandi audaciam defendens. Nam quod illam coniecturam re et contextu confirmari dicit, vtrumque eam potius disſuadet, et *dolorem* commendat, vt docuimus. Etenim querelis, lacrymis, fletibus, miſerationi, quae Galbae orationi Cicero nunc ſola tribuit, non *calor*, ſed *dolor* ille, quem explicauimus, aptus eſt. De Galba cf. Orat. 1, 53. ſqq. De *dolore* autem, ſententiam noſtram plane confirmabit inſignis locus in Orat. 37. vbi luculentiſſime ſe ipſe Cicero explicat. Nam cum ſe in dicendo pluribus miſerationibus vſum eſſe dixiſſet, quod alii oratores perorationem ſibi plerumque reliquiſſent, hoc addit: *in quo vt viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar.* Hanc autem ipſam ſententiam capite ſequenti his verbis repetit: *Sed, vt ſupra dixi, nulla me ingenii, ſed magna vis animi inflammat, vt me ipſe non teneam. Nec vnquam is, qui audiret, incenderetur, niſi ardens ad eum perueniret oratio: Es iſt nicht Sache des Genie's, ſondern Wirkung eines hohen Grades von natürlicher Empfindſamkeit, daß ich unvermeidlich in Feuer gerathe.* Neque ego quidem interpretem reprehendam, qui in *dolore* illo calorem quendam intelligi poſſe doceat, quamuis et haec anguſtior ſignificatio foret: verum qui *dolorem* ex iſtis locis expungendum

dum, et *calorem* reponendum cenſeat, eum audaciſſime facere, et arte critica abuti arbitror. Sed his iam loca aliquot Plinii addamus, e quibus eadem conſuetudo loquendi, et metaphorae vis elucebit. Is Lib. 4. Ep. 11. de Valerio Liciniano: „Ipſe in praefatione dixit *grauiter* et *dolenter, quos tibi fortuna ludos facis? Facis enim ex Profeſſoribus Senatores, ex Senatoribus Profeſſores.* Cui ſententiae tantum *bilis*, tantum *amaritudinis* ineſt, vt mihi videatur ideo profeſſus, vt hoc diceret." — Quis non videt, bili et amaritudini nunc tribui, vt *dolenter* et *grauiter* diceretur? — Porro Ep. 20. de libris Maximi ita iudicat: „Eſt opus pulcrum, validum, acre, ſublime, varium, elegans, purum, figuratum, ſpatioſum etiam, et cum magna tua laude diffuſum. In quo tu ingenii ſimul *doloris*que velis latiſſime vectus es, et horum vtrumque inuicem adiumento fuit. Nam *dolori* ſublimitatem et magnificentiam ingenium; ingenio *vim et amaritudinem dolor addidit.*" cf. Cic. Brut. 43. vbi *vehemens et irata, et iuſti doloris oratio plena*, eodem ſenſu dicitur. Neque minus luculenter Macrobius Sat. 1, 5. 13. cum confert Homeri Odyſſ. *ι*, 288. cum Virgil. Aen. 3, 622. ſq. „narrationem facti nudam, inquit, et breuem Maro poſuit; contra Homerus πάθος miſcuit, et *dolore narrandi* inuidiam crudelitatis aequauit."

Non minor Quintiliani, in vocabuli *ſenſus* vſu, ſubtilitas reperitur. Is Lib. 4, 1. 62. „Ridendi ſunt, inquit, qui velut leges prooemiis omnibus dederunt, vt *intra quatuor ſenſus* terminarentur." Dubitari vix poteſt, quin in mente habuerit eos Rhetores inprimis Graecos, qui quatuor exordii partes ſtatuerent, πρότασιν, κατασκευὴν, ἀπόδοσιν, βάσιν, id quod feciſſe Hermogenem, in Lex. gr. techn. ad voc. βάσις docuimus. Itaque, quas illi ſimpliciter partes vocarunt, Quintilianus *ſenſus* appellat, hoc eſt, veluti eminentiores exordii locos, et exſtantiora quaedam momenta, quae in prooemio diſcerni poſſint. Niſi forte ad ſenſus humanos (*die fünf Sinne*) ita alluſit, vt, quemadmodum homini ſenſus quinque tribui ſoleant, ita *quatuor* veluti *ſenſus* exordio aſſignaret. Nam *ſenſus* Latinis, vt Graecis τὰ νοήματα, omnino dicti ſunt de formis dicendi illis, quae aliquid acuminis praecipui, acrimoniae, vimque aliquam vegetam haberent, quae emineret, oratio-

nemque

nemque acriorem, vehementiorem, et veluti viuentem redderet. Quare in hoc ipſo loco, quem tractamus, Quintilianus prooemio dicit aliquem *ſenſum* neceſſarium eſſe, eumque acriorem fieri, ſi per *ἀποστροφὴν* efferatur, qua figura *ſententiae vires dari* ſtatuit; vt alio loco apoſtrophen orationi *acrimoniam* quandam addere iudicat: *die belebende, Geiſt und Empfindung beurkundende Apoſtrophe.* cf. Quintil. 8, 5. 14. et 12, 10. 46. Deinceps etiam ſimpliciter *ſenſus*, pro omni ſententia verbis expreſſa (*Ausdruck, Gedanke*) dictus, vt paſſim a Seneca in controuerſiis; et Quintil. 9, 3. 74. 8, 5. 2. vid. Geſner. ad Lib. 4, 1. 64. — *Verba ſenſu tincta*, quo ſenſu Quintilianus dixerit, copioſius declaratum eſt ad voc. *exprimere.*

Sententia.

Operae pretium eſt accuratius exponere, quomodo Rhetores Latini, quae Graeci pluribus verbis *διανοίας, γνώμης, νοήματος, ἐνθυμήματος* ſignificauerant, ea omnia vno *ſententiae* vocabulo expreſſerint. Primum igitur in diſciplina de conſtitutionibus cauſae *ſententia* κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur id, quod in lege ſcriptum extat, et legislatoris voluntas eſt: vnde pars conſtitutionis legitimae, *ſcriptum et ſententia* (ῥητὸν καὶ διάνοια,) atque ex his controuerſia naſcitur, cum ſcriptoris voluntas cum ſcripto ipſo disſentire videtur. vid. Auct. Herenn. 1, 11. Cic. de Inuent. 2, 42. et quae ad voc. *Legitimus* notata ſunt. *Scripti et voluntatis* hanc quaeſtionem vocat Quintilianus Lib. 7, 6. quae tum accidit, cum in lege aliqua eſt obſcuritas, et in ea aut vterque ſuam interpretationem confirmat et aduerſarii ſubuertit, aut cum de altero intellectu certum eſt, de altero dubium. Sed huic veluti generi alias quoque ſpecies quaeſtionum huc pertinentium ſubiicit, quale eſt, *ex manifeſto*, quod nonnulli *ſtatum plani et voluntatis* appellarunt. In hoc altera pars ſcripto, altera voluntate nititur. Aliud genus eſt, cum in ipſis verbis aliquid reperimus, per quod probemus, aliud legislatorem voluiſſe.

Quam Auctor Herenn. 4, 17. in figuris orationis retulit *ſententiam*, Graecorum eſt γνώμη, hoc eſt, oratio ſumta de vita, quae aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breuiter oſtendit. Eae ſententiae, eodem Rhetore auctore, ſunt vel ſimplices, vel eiusmodi, quae

quae confirmantur ſubiectione rationis. De his γνώμαις diſputat Quintilianus Lib. 8, 5. vbi eas antiquiſſimas *ſententias* eſſe iudicat, et vtrumque nomen eo accepiſſe, quod ſimiles ſint conſiliis aut decretis. Hoc ſenſu Euripides Quintilian. 10, 1. 68. *ſententiis denſus* dicitur.

Cicero de Inuent. 1, 18. „Exordium, inquit, *ſententiarum* et *grauitatis* plurimum debet habere, et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in ſe continere: *ſplendoris* et *feſtiuitatis* et *concinnitudinis minimum*, propterea quod ex his ſuſpicio quaedam apparationis atque artificioſae diligentiae naſcitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem." In hoc loco, qui animaduertunt, *ſententias* cum *grauitate* iungi, et his *ſplendorem*, *feſtiuitatem*, *concinnitudinem* opponi, non dubitabunt, *ſententias* nunc appellari, quae νοήματα Graecis dicta ſint (vid. Lex. gr. technol.) hoc eſt, enuntiationes eiusmodi, in quibus non cura ornandi, vel artis ambitio et affectatio, ſed ingenium, prudentia, grauitas, dignitasque dicentis cernitur: *Das Exordium muſs ſich durch Gedankenfülle und Gründlichkeit, nicht aber durch Künſteleyen der Elocution auszeichnen. Jenes dient dem Redner zur Empfehlung: dieſes würde ihn des Vorſatzes, ſeine Zuhörer zu blenden oder zu beſtechen, verdächtig machen.* — Hinc patet, quae ſint *ſententioſe ridicula* apud Cic. Or. 2, 71. h. e. cum acumine quodam abſcondito, et ingenioſe faceta vel ſalſa. His affines etiam ſunt, quas in Bruto 78. *acutas concinnasque ſententias*, et mox *reconditas exquiſitasque* vocat. cf. Cap. 95. vbi *ſententiae dulces venuſtaeque*, Aſiaticis oratoribus propriae, dicuntur. Dial. de Oratt. 20. vbi *arguta et breuis ſententia* eodem modo commemoratur: *ein feiner witziger Gedanke;* et Cap. 22. vbi Cicero laudatur, quod locos laetiores et quasdam *ſententias* inuenerit; cum quo loco conferendus eſt Quintil. 12, 10. 43. — Seneca Epiſt. 100. *ſenſus coactos in ſententiam* ipſe explicat, dum *latius ductis* opponit, hoc eſt iis, in quibus non acuta breuitas affectatur, ſed grauis perſpicuitas quaeritur.

Aliud genus *ſententiarum* in clauſulis poni ſolebat, de quo Quintilianus 4, 1. 77. „Frigida, inquit, et puerilis eſt in ſcholis affectatio, vt ipſe transitus efficiat aliquam vtique *ſententiam*, et huius veluti praeſtigiae

giae plauſum petat," hoc eſt, vt transitus ab vna parte orationis ad alteram tam obſcure et acute et diſſimulate fiat, vt auditor vix animaduertat transitum fieri. Quare Quintilianus has praeſtigias vocat, et *ſurripere transgreſſionem*, expreſſa ex Graecorum conſuetudine loquendi metaphora, qui κλέπτειν τὸν ἀκροατὴν ſimili ſenſu dicunt. Graeci Rhetores illas *ſententias*, quas Quintilianus in mente habuit, νοήματα προκαταστατικὰ appellant, vt Sopater ad Hermog. περὶ εὑρ. p. 310. Ald. quem locum vniuerſum exſcripſimus in Lex. gr. technol. ad voc. προκατάστασις. Mentem Fabii et illa declarant, quae mox ſequuntur: *quapropter vt non abrupte cadere in narrationem, ita non obſcure transſcendere, eſt optimum.* Cf. Lib. 8, 5. 12. vbi varia talium *ſententiarum*, vel νοημάτων, genera recenſet.

Quod Rhetores Graeci ἐνθύμημα dixere, Cicero in Topicis 13. *ſententiam ex contrariis concluſam* appellat, *non quod non omnis ſententia proprio nomine enthymema dicatur, ſed, vt Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Graecos ſuum, ſic, cum omnis ſententia enthymema dicatur, quia videatur ea, quae ex contrariis conficitur, acutiſſima, ſola proprie nomen commune poſſideat.* Eius generis haec ſunt: *Hunc metuere, alterum in metu non ponere? — Eam quam nihil accuſas, damnas: bene quam meritam eſſe autumas, dicis male mereri? — Id, quod ſcis, prodeſt nihil: id, quod neſcis, obeſt.* Deinde Cicero haec addit: *Haec ex repugnantibus ſententiis communis concluſio, a Dialecticis tertius modus, a Rhetoribus* enthymema *nuncupatur.* cf. Quintil. 8, 4. 9. qui de enthymate eadem fere disputat. Itaque, quoniam in enthymematis forma acuminis quaedam et artis oratoriae ſignificatio eſt, Quintilianus 11, 1. 52. id cum epiphonemate ita componit, vt neget alterutrum miſerationi commouendae aptum eſſe, quae ab omni tali ornatu et artis vel acuminis ambitione abhorreat. *Sententiolisne flendum erit?* inquit, *epiphonemata aut enthymemata exorabunt? Quicquid meris affectibus adiicietur, omnes eorum diluet vires, et miſerationem ſecuritate laxabit.* — Apud Gellium N. A. 6, 6. haec ſunt: *Quaerebantur non grauia, et reuerenda, ſed* ἐνθυμήματα *quaedam lepida et minuta, et florentem vino animum laceſſentia.* Totum hoc Gellii caput eo valere poteſt, vt, quod

quod genus ſententiarum veteres ad ἐνθυμήματα retulerint, intelligatur. cf. Lib. 16, 1. vbi dictum aliquod *verbis breuibus et rotundis vinctum*, ideo ἐνθυμημάτιον appellatum videtur. Ei opponitur *ſententia laxioribus longioribusque verbis comprehenſa*. cf. Lib. 17, 20. Iam certius etiam intelligitur, qua de cauſa, et quo ſenſu Iſocrates in Panathenaico τὰ ἐνθυμήματα cum παρισώσεσι et ἀντιθέτοις, quaſi ſynonyma, vel adfinia ſaltem orationis lumina compoſuerit. cf. Caſaub. ad Perſii Sat. 1. p. 125.

Porro *ſententia* Quintiliano 4, 2. 121. dicitur animaduerſio quaedam vim loci communis habens, quae ſubinde in narratione interſeri ſoleat. Talis eſt in illo loco Ciceronis pro Milone: *Fecerunt ſerui, quod ſuos quisque ſeruos in tali re facere voluiſſet*: *Eine Reflexion, ein Sentiment, eine moraliſche Bemerkung, die in der Erzählung leicht eingewebt und hingeworfen wird.* Hanc Quintiliani mentem eſſe, cum exemplum illud e Cicerone allatum, tum, quae apud illum ſequuntur, declarant: „ne *ſententia* quidem, inquit, velut fatigatum intentione ſtomachum iudicis reficere disſuaſerim, maxime quidem breui interiecta.“ De his manifeſte Seneca Controu. Lib. 1. praef. vbi Latronem Porcium *ſententias* amaſſe commemorat. „Solebat, inquit, aliquo die nihil praeter has tralatitias, quas proprie *ſententias* dicimus, ſcribere, quae nihil habent cum ipſa controuerſia implicitum, ſed ſatis apte et alio transferuntur: tanquam quae de fortuna, de crudelitate, de ſeculo, de diuitiis, dicuntur. Hoc genus ſententiarum *ſuppellectilem* vocabat.“

Denique *ſententiae* a Quintiliano Lib. 3, 8. 65. dictae ſunt, veluti κατ᾽ ἐξοχὴν, orationes ſuaſoriae in ſenatu dictae, quales ſunt Philippicae Ciceronis in Antonium, et prima quartaque Catilinariae. — Ab his diſtinguit *conciones*, vt ad populum vel Quirites habitas, qualis eſt Maniliana, oratio contra Rullum, aliaeque notae.

Separatus. Separatio.

Auctori Herenn. 1, 7. *ſeparatum* exordium dicitur, alienum a cauſa, non ex ipſa cauſa natum, adeoque vitioſum. Contrarium eſt, quod Graeci τὸ ἀγχίστροφον vocant, vel ἐκ τῆ καιρῆ. vid. Lex. gr. techn. in ἀγχίστρο-

ἀγχίστροφον, vbi verba vltima ſic legenda ſunt: „Latini contrarium appellant exordium *non ex ipſa cauſa natum, quod et ſeparatum vocatur*" etc. cf. Cic. Inuent. 1, 18. Quintil. 4, 1. 71.

Separationem latine dici figuram illam, quam Graeci *διακοπὴν* et *διαστολὴν* appellant, cum inter duo eadem verba diuerſum ponitur aliquod medium, refert Iul. Rufinian. p. 31. eademque eſt *geminationis poſt aliquam interiectionem repetitio*, quam inter figuras *λέξεως* memorat Quintilian. 9, 3. 29. ſpeciem quandam *conduplicationis* ſ. *ἐπαναδιπλώσεως*.

Sequi.

Eſt hoc vnum ex illis verbis, quae cum acutiſſimo iudicio ad abditiſſimas rerum in arte dicendi obſeruatarum notiones ſignificandas Cicero inprimis vſurpauit. Cum enim in concinnitate verborum et numero elocutionis notando exprimendoque alii nimiam artem operoſumque ſtudium adhiberent, alii contra natiuo quodam et recto pulcri ſenſu, veluti naturae monitu, eandem concinnitatem orationis adſequerentur, ita vt quaſi ſua ſponte verba numeroſe et ſuauiter exciderent; vtraque res, vt breuiſſime et vno verbo notaretur, a Cicerone in Orat. 49. *numerus quaeſitus*, qui illud ex nimia arte et ſtudio vitium reprehenderet, et *numerus ſecutus*, qui alteram natiuae ſuauitatis virtutem commendaret, appellatus eſt: *geſuchte, gezwungene und erkünſtelte Concinnität, im Gegenſatze der natürlichen, ſich gleichſam von ſelbſt bildenden, und dem Ausdrucke des Redners wie auf dem Fuße folgenden.* cf. Cap. 65. vbi ſimilia de eadem re haec ſunt: „His igitur tot commutationibus tamque variis ſi vtemur; nec deprehenditur manifeſte, quid a nobis de induſtria fiat, et occurretur ſatietati. Et quia non numero ſolum numeroſa oratio, ſed et compoſitione fit, et concinnitate: compoſitione poteſt intelligi, cum ita ſtructa verba ſunt, vt *numerus non quaeſitus, ſed ipſe ſecutus eſſe videatur* etc." Non diſſimilis locus eſt Quintiliani 4, 3. vbi, cum nonnullorum commemoraſſet conſuetudinem, narratione abſoluta in aliquem laetum et plauſibilem locum excurrendi, eam excurſionem vel *παρέκβασιν* tum demum probandam eſſe docet, *ſi cohaeret et ſequitur, non ſi per vim cuneatur, et quae natura iun-*

ſta ſunt, distrahit. Et Lib. 8. prooem. vbi contra eos disputat, qui ſolam curam verborum ſectentur, et inani circa voces ſtudio ſeneſcant: „decus, inquit, in dicendo quidem pulcherrimum eſt, ſed *cum ſequitur,* non cum *affectatur.* cf. Lib. 10, 2. 27.

Sermo.

In diſciplina Rhetorica de pronuntiatione, *ſermo* ſedatum illum proloquendi modum, qualis in vita quotidiana et familiari congreſſu eſſe ſolet, ſignificat, *clamorem*que oppoſitum habet. Ita quidem Auctor Herenn. 3, 12. *continuum clamorem*, inquit, *remittere, et ad ſermonem transire oportet.* Paullo poſt, cum ad mollitudinem vocis inter alia etiam *ſermonem* retuliſſet, ita explicat: *ſermo* eſt oratio remiſſa, et finitima quotidianae locutioni. Ei opponit *contentionem*, ſubiicitque tanquam partes quasdam, dignitatem, demonſtrationem, narrationem, iocationem, quae omnia ſedatam orationem poſtulant. Non alio ſenſu Cicero Or. 3, 45. *non ſunt*, ait, *alia ſermonis, alia contentionis verba.* Itaque Cap. 55. inter varia dicendi genera, quae etiam diuerſam elocutionem et formam orationis verborumque poſtulent, *ſermones* ponit, in quibus familiaris quaedam de rebus vulgaribus et obuiis inter amicos vel priuatos homines disſertatio inſit. Et Lib. 2. de Or. 86. narratio interpuncta *ſermonibus* dicitur, cum dialogiſmi intermiſcentur. Hinc rectius, quam a nonnullis interpretibus factum eſt, explicari poteſt locus Bruti Cap. 68. vbi Piſo *ſtatarius et ſermonis plenus orator* dicitur. Offendebat Erneſtium illud *ſermonis;* ergo *leporis* coniiciebat. Sed ſaluus locus, quamuis prorſus non intellectus, vt ex viri docti adnotatione patet; *Sermonem,* vt ſupra exemplis firmauimus, *contentioni* opponunt Rhetores, vt ille ſit oratio ſedata, familiari congreſſui, et vitae quotidianae apta; haec autem vehementior, grauior, et proprie oratoria. Ergo Piſo, vt ſtatarius et in omni actione lenis et tranquillus, ita et in oratione ſedatior et remiſſior, quam pro oratore, reperiebatur. — Illi *ſermoni* etiam *oratio* κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicta opponitur: *die Rednerſprache, der Rednerausdruck.* Iam patet, quo ſenſu Cic. Brut. 68. Silanum *acuminis et orationis ſatis habuiſſe* iudicauerit. Locus claſſicus, qui *ſermonis* et *orationis* discrimen declarat, eſt

eſt in Orat. Cap. 19. „Mollis eſt oratio philoſophorum et vmbratilis, nec ſententiis nec verbis inſtructa popularibus, nec vincta numeris, ſed ſoluta liberius. Nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum; caſta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Itaque *ſermo potius*, *quem oratio* dicitur.“ Cum quo conferenda ſunt, quae Cicero disputat de Offic. 1, 37. vnde, quoniam ad hunc locum inprimis pertinent, haec pauca transſcribamus: „Et quoniam magna vis eſt orationis, eaque duplex, altera *contentionis*, altera *ſermonis:* contentio disceptationibus tribuatur iudiciorum, concionum, ſenatus: *ſermo in circulis, disputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur, ſequatur etiam conuiuia. Contentionis* praecepta Rhetorum ſunt: nulla *ſermonis*, quamuis haud ſcio an poſſint haec quoque eſſe.“ — Plinius etiam Lib. 5. epiſt. 5. de Fannio: „iam tres libros abſoluerat, inquit, ſubtiles et diligentes et latinos, atque *inter ſermonem hiſtoriamque medios.*“ Nam hiſtoria grauius et concinnius elatiusque genus dicendi poſtulat, quam ſermo familiaris et conſuetudo vulgaris. Vnde et hoc *pedeſtre eloquium* (h. e. humile, *τὸ χαμαιπετὲς καὶ ταπεινὸν*) appellat Trebellius Pollio in Trig. Tyr. Cap. 1. quod ab hiſtorico et diſerto, h. e. oratorio genere diſtinguit. vid. ibi Salmaſ. et Caſaub.

Sermocinatio.

Auctori Herenn. 4. 52. *ſermocinatio* (gr. *διαλογισμὸς*) eſt, cum alicui perſonae ſermo attribuitur, et is exponitur cum ratione dignitatis. vid. Lex. gr. techn. in *ἠθοποιΐα*, quae ad illam ſimul pertinere videtur. Vnde Cicero in Or. 40. oratorem illa forma vtentem *hominum ſermones moresque deſcribere* dicit. cf. Quintil. 9, 2. 31. et quae ad voc. *Proſopopoeia* diximus. Anguſtius *διαλογισμὸν* circumſcripſit Iulius Rufinian. Fig. p. 27. Pith. vbi ita fieri traditur, cum quis ſecum disputat et volutat, quid agat, vel quid agendum putet, vt: *Quid igitur faciam?* vid. Donat. ad Terent. Eunuch. Act. 1. Scen. 1.

Siccus. Siccitas.

Cum *ſiccitas* Latinis dicta ſit de ea corporis ſalubritate, qua id ſuccis vitioſis aut nimiis liberum, pro-

priis viribus et ſolido quodam habitu gaudeat: per translationem in oratione *ſiccum* eſt, quicquid illa ex naturali quadam ſimplicitate et veritate boni vel ſuauitatis habet, remotis iis, quae redundantiae et copiae oratoriae, vel fuci ſpeciem aut periculum adferant: *der nüchterne, ſchlichte, Affect- und Glanzloſe Ausdruck.* Cicero in Bruto Cap. 55. de Cotta: „ad virium imbecillitatem dicendi genus accommodabat. Nihil erat in eius oratione, niſi ſincerum, nihil niſi *ſiccum* atque ſanum." Et Cap. 84. ſolidum, ſincerum et *exſiccatum* genus orationis, grauiori ornatui oratorio opponitur. cf. de Nat. Deor. 2, 1. vbi *flumini* orationis *ſiccitas* ex ſubtilitate opponitur. Tali *ſiccitate* fuiſſe cenſendus eſt Molo Rhodius, quem Cicero audiuerat. Itaque in Bruto 91. „*is operam dedit*, inquit, *vt nimis redundantes nos, et ſuperfluentes iuuenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quaſi extra ripas diffluentes coerceret.*"

Quintilianus etiam Lib. 2, 4. *ſicca* et *ſeuera* coniungens, eam ingenii formam intelligit, quae a laſciua redundantia pariter atque a ſterilitate et infirmitate abhorret: *ſolide gründliche Wiſſenſchaft.* cf. Macrob. Saturn. 5, 1. vbi orator *ſiccus* et *ſobrius*, et tenuis, et quandam dicendi frugalitatem amans, *pingui et florida oratione laſciuienti* opponitur. vid. quae ad voc. *opimus* dicta ſunt.

Sed *ſiccitas* non ſolum iſti ſanitatis generi, de quo disputauimus, verum etiam inprimis aetati ſenili, ſenumque corporibus propria eſſe ſolet. Itaque Quintilianus hanc quoque vocis rationem arripiens, in eo loco, in quo, quod genus orationis iuuenes et ſenes deceat, docet, Libr. 11, 1. 32. „in iuuenibus, ait, vberiora paullo et paene periclitantia feruntur. At in iisdem *ſiccum* et *ſollicitum* et *contractum dicendi propoſitum*, plerumque affectatione ipſa ſeueritatis inuiſum eſt: quando etiam morum ſenilis auctoritas immatura in adoleſcentibus creditur." Tribus rebus, ex ſenectutis moribus et indole traductis, totidem genera dicendi exquiſito cum acumine expreſſit. Nam cum *ſiccitas* ſenibus ex ſuccorum paullatim deficientium et ſanguinis raritate venire debeat: *ſicca* oratio erit eius, qui ſe ab iis omnibus dicendi formis, ornamentisque abstinet, quae vbertatem et copiam et laetiorem cultum deſiderant.

rant. Vnde et tali orationis generi arido et infirmo *oſſa* et *macies* tribuuntur. vid. Dial. de Oratt. Cap. 21. — Porro *ſolliciti* ſenes eſſe ſolent, dum ex imbecillitatis ſenſu viribus ſuis diffidunt, cum metuunt, ne cadant, ne titubent, ne periclitentur: Itaque *ſollicitum* dicendi propoſitum declarabunt, qui nihil audent in oratione, raro ſe attollunt, omnia remiſſe, temperate, et paene meticuloſe dicunt: id quod modo *preſſum* et *mite* et *placidum* appellauerat. Denique ſenes nonne ſe *contrahunt*, cum curui incedunt, non iactantes manus, ſed coercentes, et corpori adplicantes, pedibus non euagantes, ſed breuibus greſſibus trepidantes? Ergo *contractum* dicendi propoſitum hanc vim habebit, vt quis ab omni orationis amplitudine, *περιβολῇ*, circuitu, ceterisque formis dicendi, quae latam et magnificam et amplam orationem efficere poſſint, abhorreat. His igitur dicendi modis, qui ſenum auctoritatem ſeueritatem et imbecillitatem decent, ſi iuuenes vtuntur, contra decorum peccant, inque vitium affectatae ſenilitatis incidunt: *Junge Redner oder Schriftſteller, die in ihrem Vortrage und in der ganzen Manier der Darſtellung eine gewiſſe Altklugheit, und Altbärtigkeit affectiren.* vid. voc. *Preſſus.*

Significatio.

Hanc orationis formam Auctor Herenn. 4, 53. ita definit: *ſignificatio eſt, quae plus in ſuſpicione relinquit, quam poſitum eſt in oratione.* Ea fit 1) per *exuberationem*, cum plus dictum eſt, quam patitur veritas, augendae ſuſpicionis cauſa; 2) per *ambiguum*, quo obſcura oratio redditur; 3) per *conſequentiam*, cum res, quae ſequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in ſuſpicione; 4) per *abſciſſionem*, ſi, cum incipimus aliquid dicere, praecidimus, et ex eo quod iam diximus, ſatis relinquitur ſuſpicionis; 5) per *ſimilitudinem*, cum aliqua re ſimili allata, nihil amplius dicimus, ſed ex ea ſignificamus, quae ſentiamus. vid. Lex. gr. technol. in ἔμφασις. Eadem commemoratur a Cicerone Orat. 3, 53. *plus ad intelligendum, quam dixeris, ſignificatio;* et in Orat. 40. *ſignificatio ſaepe erit maior, quam oratio.* Ipſam autem Graecorum ἔμφασιν Quintilianus 8, 3. 83. interpretatur, quae altiorem praebeat intellectum, quam quem verba per ſe

ipſa declarant; eiusque duas ſpecies adfert, alteram, quae plus ſignificet, quam dicit: alteram, quae etiam id, quod non dicit. Sic et Lib. 9, 2. 64. ἐμφάσεως duo genera conſtituit, alterum, cum ex alio dicto latens aliquid eruitur, alterum, in quo per ſuſpicionem quandam, quod non dicimus, accipi volumus, latens illud et auditori inueniendum. Hoc poſterius genus ait proprie *Schema* a Latinis dici, ex eoque *figuratas controuerſias* (ἐσχηματισμένοι ἀγῶνες) appellatas. vid. Lex. gr. techn. in σχῆμα, σχηματίζειν: et ſupra voc. *Figura.* Adfinis illi *ſignificatio* eſſe videtur, cuius mentionem facit Quintil. Lib. 8. prooem. vbi inter noxas nimiae verborum curae et ornandi libidinis hanc etiam ponit: „pleraque *ſignificare* melius putamus, quam *dicere*,“ hoc eſt, dictioni indirectae, figuratae, argutae, et longius arceſſitae magis ſtudemus, quam ſimplici, natiuae, perſpicuae, et rectae. Tales ſunt, quos mox deſcribit, *quibus omnia ſordent, quae natura dictauit, qui non ornamenta quaerunt, ſed lenocinia.*

Signum.

In cauſa coniecturali peculiaris eſt modus aduerſarii coarguendi, cum oſtenditur, idonea perficiendi facultas eſſe quaeſita. Ergo de loco, tempore, ſpatio, occaſione, ſpe perficiendi, ſpe celandi, inprimis disquiritur, quae omnia ad illud *ſignum* pertinent. Sic tradit Auctor Herenn. 2, 3. Georg. Trapez. Lib. 1. Rhet. p. 15. *comprehenſionem* hunc locum appellat, Graecis etiam ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους dictum. *Semper enim,* ille ait, *locus ab initio ad finem aut ab affectione quadam, aut a dictis, aut a factis, aut a rebus relictis inuenitur.* Ei loco oppoſitam facit *abſolutionem*, cum defenſor licuiſſe ſibi eam rem facere oſtendit, qua pro ſigno maleficii aduerſarius vtitur.

In probabili argumentatione *ſignum* dicitur, quod ſub ſenſum aliquem cadit, et quiddam ſignificat, quod ex ipſo profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum, et tamen indiget teſtimonii, et grauioris confirmationis. vid. Cic. de Inuent. 1, 30. et quae ad voc. *Argumentatio* diximus.

Promiſcue etiam Cicero *ſigna* cum *argumentis* componit, vt in Orat. pro Coel. Cap. 9. „*argumentis* agemus,

agemus, inquit, *ſignis* luce omni clarioribus crimina refellemus." Niſi forte *ſigna* nunc ſpeciatim dixit res illas. vnde, aliquid ſit, nec ne, demonſtratur. Nam in Orat. Cap. 14. diſerte docet, *ſitne aliquid, ſignis demonſtrari*, vt in cauſis coniecturalibus: *Thatſachen, Umſtände.*

Accuratior Quintiliani diſciplina eſt, qui cum Lib. 5. 9. omnem probationem artificialem (πίστιν ἔντεχνον) dixiſſet conſtare *ſignis*, argumentis, et exemplis: *ſigna* illa in duas partes diuidit, vt alia *neceſſaria* ſint (gr. τὰ τεκμήρια), alia *non neceſſaria* (gr. σημεῖα, de quibus vid. Lex. gr. technol.) quae et εἰκότα Graecis dicuntur, quamuis a σημείοις paululum differunt. Quae Graecis τεκμήρια dicebantur, Cicero in Partitt. *proprias rei notas* appellat, a quibus *notas communes* diſtinguit. vid. Voſſ. Inſtitt. Or. Lib. I. p. II.

Silua.

Vt ὕλην Graeci, ita Latini *ſiluam*, facili et luculenta metaphora, de multarum rerum rudi congerie, vel materie dicere conſueuerunt. Sed exquiſita ratio eſt, qua eandem metaphoram Cicero notionibus quibusdam Rhetoricis accommodauit. Nam cum docere vellet, a philoſophis Academicis inprimis locos illos et argumentorum notas, vnde omnis in vtramque partem oratio traheretur (τόποι, τοπική) inuentas et perſcriptas, adeoque copiam vbertatemque oratoriam maxime eſſe ab iis adiutam; hanc omnem ſententiam in Orat. Cap. 3. ita elocutus eſt: *Omnis vbertas et quaſi ſilua dicendi ducta ab illis eſt.* Deinde figurarum et verborum, et ſententiarum (σχημάτων λέξεως καὶ διανοίας) recenſum et farraginem, quam nude, ſine explicatione et ſine exemplis in vnum locum congeſſerat, *ſiluam* eadem de cauſa appellat. Denique Lib. 3. de Orat. Cap. 26. *ſiluam* et *ſilum*, diuerſas metaphoras miſcens, ita coniungit, vt illa rerum materiem, hoc formam et genus orationis, qua illa materia efferatur, ſignificet. „Primum, inquit, *ſilua rerum et ſententiarum* comparanda eſt, de qua parte dixit Antonius: *haec formanda filo ipſo et genere orationis*, illuminanda verbis, varianda ſententiis."

Similitudo.

Auctori Herenn. 4, 45. *ſimilitudo* eſt oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Ea ſumitur aut ornandi cauſa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponendi. Eadem et quatuor modis dicitur, per contrarium, per negationem, per breuitatem, per collationem. Ad vnamquamque ſumendae cauſam ſimilitudinis accommodabimus ſingulos modo pronuntiandi. Haec ille Rhetor. Cicero de Or. 3, 53. *exemplum* et *ſimilitudinem*, vt ſimilia, coniungit, iisque etiam mouendi vim tribuit. vid. Lex. gr. techn. in παράδειγμα et παραβολή. — De locis argumentandi e *ſimilitudine* vid. Topic. Cap. 10. vbi *ſimilitudines* dicuntur, quae ex pluribus collationibus perueniunt, quo volunt. Ergo hoc fit 1) *per inductionem*, ἐπαγωγὴν, eam, qua Socrates ſaepe vſus eſt. 2) *per collationem*, cum vna res vni, par pari comparatur 3) *per exempla*. Quintiliano etiam Lib. 5, 22. *ſimilitudo* proximas *exemplo* vires habet, praecipueque illa, quae ducitur citra vllam translationum mixturam ex rebus paene paribus. Nam παραβολὴ, quam Cicero *collationem* vocat, longius res, quae comparantur, repetere ſolet. cf. Lib. 8, 3. 72. vbi praeter vſum illum, quem ſimilitudines in probationibus habent, alterum quoque commemorat, quo exprimendis rerum imaginibus, vel euidentiae adiuuandae ſeruiunt. *Analogiam* etiam, quam Graeci dicunt, Quintilianus l. c. ſubiectam ſimilitudini, non autem ab ea ſeparandam cenſet.

Iulius Rufinian. p. 28. ὁμοίωσιν eſſe dicit, cum *per ſimilitudinem* res praeſtantur; eiusque ſpecies commemorat paradigma et parabolen: quorum illud vera exempla faciat, hoc ficta oſtendat. Idem parabolae tres partes, εἰκόνα, ὅμοιον et ἐπαγωγὴν, adſignat. In primo genere perfectae formae ſimiles conferuntur; in ſecundo ex partibus aliqua ſimilitudo colligitur; tertium fit ex rerum ſimilium collatione vel argumentorum, ſalua tamen ſimilitudine rerum.

Sincerus. vid. *Siccus.*

Sinuoſus.

Narratio *ſinuoſa*, Quintiliano 2, 4. 3. dicitur nimis dilatata, producta, et *arceſſitis deſcriptionibus laſciua*, vt

vt ipſe explicandi cauſa addit. De metaphora, in qua Graeci Latinis praeiuerunt, in Lex. gr. techn. ad voc. κολπῶδες diximus. Contrarium illi generi vitium, ex inopia ortum, in *narratione arida* et *ieiuna*, eodem Fabio iudice, cernitur. Prius ergo vitium eſt, quod ex copia, poſterius, quod ex inopia venit.

Sollicitus. Sollicitudo.

His verbis vti Rhetores ſolent, vbi maiorem quandam in dicendo vel calliditatem vel artem et ſtudium ſignificare volunt. Itaque Quintilianus Lib. 4, 2. 126. *fictum* et *ſollicitum*, quoniam in vtroque multum curae et ſtudii conſumitur, vt ſynonyma iungit: „*Effugienda igitur*, inquit, *in hac praecipue parte* (ſcil. in expoſitione, vel narratione) *omnis calliditatis ſuſpicio: nihil videatur fictum, nihil ſollicitum. Omnia potius a cauſa, quam ab oratore profecta credantur.* Luculentius vim *ſollicitudinis* ſignificauit Quintilianus, *curam* a *ſollicitudine* acute diſtinguens Lib. 8. prooem. „*Curam* ergo, inquit, verborum, rerum volo eſſe *ſollicitudinem*;" hoc eſt, verborum non debemus negligentes eſſe, ſed maiorem etiam rerum curam poſtulo. cf. Senec. Epiſt. 75. 115. et quae ad voc. *accuratus* et *calumniari* adnotauimus.

Alio ſenſu Plinius Lib. 5. epiſt. 17. Calpurnii verecundiam, quam in voce et pronuntiatione oſtendiſſet, ita laudat, vt *multum ſanguinis, multum ſollicitudinis* in ore habuiſſe eum dicat. In quo quidem loco *ſanguine* pudorem quendam ex genarum rubore conſpicuum, *ſollicitudine* autem eum oris habitum ſignificaſſe videtur, qui dicentis metum, ne forte diſpliceat audientibus, et modeſtam imbecillitatis profeſſionem declarat.

Soloeciſmus.

Vitium orationis puritati vel Latinitati contrarium, *cum in verbis pluribus verbum ſuperiori non accommodatur.* Sic definit Auctor Herenn. 4, 12. — Quintilianus 1, 5. 34. haec addit: „Etiam qui complexu orationis eum accidere confitentur, quia tamen vnius commendatione verbi corrigi poſſit, in verbo eſſe vitium, non in ſermone contendunt. Sed id, inquit, manifeſtae calumniae eſt. Neutrum enim vitioſum ſeparatum eſt, ſed compoſitione peccatur, quae iam ſermonis

 eſt."

eſt.“ Suam igitur ſententiam Quintilianus ſic enuntiat: *ſit aliquando in vno verbo, nunquam in ſolo verbo.* Deinde haec definitio ſequitur: *Soloeciſmus eſt in oratione comprehenſionis vnius ſequentium ac priorum inter ſe inconueniens poſitio.* — Sinnii Capitonis, qui *imparilitatem* appellauerit, definitionem Gellius 5, 20. hanc tradit; *Soloeciſmus eſt, impar et inconueniens compoſitura partium orationis.* Ibidem et *ſtribliginem* veteribus dictam notat.

Solutus.

Numerus *ſolutus*, qui ſit, copioſius a nobis ad voc. *numerus* declaratum eſt.

Soluta oratio, noto ſenſu, pro pedeſtri et proſa, pedibus adſtrictae, poetisque propriae contraria, paſſim dicitur. Commemorandus tamen eſt Apuleii Florid. 2. p. 231. locus, et primum iſtius generis dicendi auctorem demonſtrans, et eandem rem variis metaphoris exprimens: „Pherecydes, inquit, Syro ex inſula oriundus, primus verſuum nexu repudiato, conſcribere auſus eſt *paſſis verbis*, *ſoluto loquutu*, *libera oratione* etc. cf. Cic. Brut. 8.

A Cicerone in Bruto 29. *ſolute* et *ſuauiter dicere* ita coniunctim ponitur, vt intelligas illud prius virtutis oratoriae eſſe. Videtur igitur ad explanationem oratoriam pertinere, qua id, quod inuentum et excogitatum eſt, etiam veluti disſoluere, explanare, et explicare luculenter copioſeque poſſimus: vt *contracta* oratio paſſim copioſae et explicatae opponitur, magis Dialectiorum quam oratorum propria. vid. Brut. 44. Locus ille haec habet: „Neque enim refert videre, quid dicendum ſit, niſi id queas *ſolute et ſuauiter dicere.* Ne id quidem ſatis eſt, niſi id, quod dicitur, ſit voce, vultu, motuque conditius.“ Manifeſte Cicero quatuor illas oratoriae facultatis partes, *inuenire*, *recte disponere et tractare*, *bene eloqui*, *et pronuntiare*, expreſſit. Luculenter inprimis, et copioſius, quid eſſet illud *ſolute dicere*, ab eodem mihi videtur traditum in Bruto Cap. 41. vbi de Seruio oratore: „quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae doceret *rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando* etc. *Hic enim attulit hanc artem omnium*

artium

artium maximam, quaſi lucem, ad ea, quae confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Itaque etiam Cap. 47. Philippum *ſolutum in explicandis ſententiis* dicit. Idem vero etiam ex contrario vitio patet, quod commemorauit Cap. 59. fin. Nam vt illud *ſolute dicere* rectam et dilucidam diſpoſitionem explanatamque tractationem ſignificat, ita Curio ibi dicitur in *inſtruendo disſipatus* fuiſſe, h. e. eo diſponendi tractandique modo vſus, qui confunderet auditorem, et obſcuram difficilemque orationem redderet. Sic, vbi Cap. 48. Magium *ſolutiſſimum* in dicendo et *acutiſſimum* iudicat, illo copiam dicendi et explanationem oratoriam, hoc inueniendi ſollertiam ab ingenio et prudentia profectam deſignat: niſi quis forte vtrumque malit ad dialecticam illam ſcientiam referre, quae in disſoluendo, diſtinguendo, definiendo praecipue verſatur.

Cum vero in Bruto Cap. 62. Titius quidam *ſolutus* et *mollis* in geſtu dicitur, vtriusque vocis ſignificatum non diſtinguo, ſed ſolutum puto dici, eundem qui *mollis* vocatur, h. e. nimis augens corporis motum, et putida accuratione ſingula fere verba geſtibus et motu exprimens, vnde quaedam ſaltatio oritur, quam et ibi Cicero commemorat. Quod ſi quem offendat, *ſolutum* hoc ſenſu accipi, quidni in hoc verbo, vt in multis aliis, Latini expreſſerint Graecos, quibus ἐκλελυμένοι dici ſolent, molles et veluti enerues ex nimio artis argutiarumque vſu, et ſimili ſenſu τὸ ἐκλύειν et ἡ ἔκλυσις vſurpatur; de quibus vberius in Lex. gr. techn. ad voc. ἐκλύειν diximus.

Porro *ſolute agere* orator dicitur, qui in locis iis, quae vim, vehementiam, et contentionem dicendi deſiderant, placida et leni oratione vtitur. Sic Cic. Brut. 80. vbi et ſynonyma, *leniter, oſcitanter agere*, ponuntur. Alia ratio eſt, vbi *facile ſoluteque verbis voluere ſententias* aliquis dicitur. Tum enim *expedita et profluens celeritas* quaedam intelligitur, quam Cap. 61. Ciceroni patri tribuit. Vnde Lib. 1. de Orat. Cap. 25. quam *linguae ſolutionem* dixerat, mox Cap. 28. *mobilitatem* appellat, cui contrarium ſit *haeſitare lingua: geſchmeidige, leichte Ausſprache einer gleichſam gelöſsten Zunge, im Gegenſatze einer ſchwerfälligen, ſtockenden, unbehülflichen.*

De

De *ſoluto*, quo nomine Aquila Rom. Graecorum *ἀσύνδετον* appellat, vid. quae ad voc. *diſſolutio* disputata ſunt.

Sonitus.

Cicero de Or. 3, 7. cum *ſonitum* Aeſchinis oratoris proprium commemorat, exprimère mihi videtur Graecorum *τὸ ψοφῶδες*, *ὀγκῶδες* et *κομπικὸν*, grandiloquum quoddam, et ſonorum, clamoſumque dicendi genus, artem oſtentans, et pigmentis orationem inſtruens. Plura de hoc genere in Lex. gr. techn. ad voc. *ψόφοι* diximus. Vnde et Gellius 17, 10. Virgilium in loco de Aetna monte ex Pindaro expreſſo, quoniam ſingula veluti pingere verbis et ſenſibus ſubiicere non ſine quodam tumore orationis voluerit, *in ſtrepitu et ſonitu verborum* conquirendo laboraſſe iudicat. Cicero autem ad Att. 1, 14. cum ſignificare vellet, ſe in Pompeio laudando omnes orationis vires et ornamenta impendiſſe, *noſti*, inquit, *ſonitus noſtros*. Creſollius Theatr. Rhet. 3, 26. p. 354. Graecorum *κρότον*, et *ἦχος*, ſ. *εὐφωνίαν* confert, quae a Latinis *ſonitu*, *ſonoritate*, *canoro*, *ſtrepitu*, expreſſa eſſe exemplis docet. cf. Lex. gr. techn. in *κρότος* et *ἦχος*.

Sonus.

Sonus, qui quidem eſt in verbis, et a ***numero*** diverſus, hoc efficit, vt illorum pronuntiatio ſuauiter ad aures accidat, quae verba tum ipſa *ſonantia* dicuntur. vid. Cic. Orat. 49. Talibus verbis ibi etiam *bonitas* et *ſplendor* tribuitur. Vnde et verba *ſonora* et *grandia* iunguntur, vt apud Gellium 13, 2. de Pacuuio, cui Quintilianus 10, 1. *verborum pondus* attribuit.

Sed exquiſitior loquendi ratio eſt, qua Quintilianus 12, 10. 11. certum ſcriptoris vel oratoris charaćterem, qui veluti inter cetera emineret, eodem illo verbo expreſſit. Nam vt ibi vim Caeſaris, ſubtilitatem Calidii, aliorumque aliam propriam dicendi formam laudat, ita et *ſonum* Trachalli commemorat. Hunc quidem iam Cap. 5. ita deſcripſerat: „Habuit oratores aetas noſtra copioſiores: ſed cum diceret, eminere inter aequales Trachallus videbatur: ea corporis ſublimitas erat, is ardor oculorum, frontis aućtoritas, geſtus praeſtantia, vox quidem, non vt Cicero deſiderat, paene

tragoe-

tragoedorum, ſed ſuper omnes, quos ego quidem audierim, tragoedos." Et Tacitus Hiſt. 1, 90. Trachali genus orandi crebro vſu celebre, et *ad implendas aures latum et ſonans* dicit. vid. *Stilus.*

Multo autem ſubtiliori metaphora Cicero *ſonum* appellauit rationem dicendi ipſam, et elocutionem, non tam voce, quam arte et vi oratoria aeſtimandam. Huc pertinet Lib. 2. de Or. Cap. 12. vbi, cum de Catonis Piſoniſque ſimplicitate et breuitate dixiſſet, mox, „paululum ſe erexit, inquit, et addidit hiſtoriae maiorem *ſonum* vocis (in quo loco vocabulum *vocis* delendum puto, vt interpretis additamentum aliquod non ſatis aptum, quoniam nunc de pronuntiatione ſermo non eſt) vir optimus, Craſſi familiaris, Antipater." Et Cap. 14. „Xenophon, ait, leniore quodam *ſono* eſt vſus, et qui illum impetum oratoris non habeat." Iam vide, quomodo ipſe Cicero ſe explicet, in Lib. 1. de Legg. Cap. 2. de iisdem ſcriptoribus hiſtoricis ita iudicans: „Poſt Annales pontificum maximorum, ſi aut ad Fabium aut Catonem aut ad Piſonem aut Fannium, aut ad Venonium venias, quanquam ex his alius alio *plus habet virium*, tamen quid tam exile, quam iſti omnes? Fannii autem aetate coniunctus Antipater *paullo inflauit vehementius* (hoc ſupra dixerat *maiorem ſonum hiſtoriae addidit*) *habuitque vires* agreſtes ille quidem et horridas, ſine nitore ac palaeſtra etc." — Planior etiam locus eſt de Op. gen. dic. Cap. 1. „In Tragoedia, inquit, comicum vitioſum eſt, in Comoedia turpe tragicum, et in ceteris (ſcil. poematum generibus, quae antea nominauerat) *ſuus eſt cuiusque certus ſonus, et quaedam intelligentibus nota vox:*" *Jede Gattung hat ihren eigenthümlichen Ton, Manier, Colorit, Anſtrich.* Nam nos in ea re variis metaphoris vtimur. His addo locum Quintiliani 11, 1. 43. vbi de apto vel decoro dicendi genere haec inter alia notat: „Nec tantum, quis, et quomodo, ſed etiam apud quem dicas, intereſt: facit enim et fortuna diſcrimen et poteſtas: nec eadem apud principem, magiſtratum, ſenatorem, priuatum, ratio eſt: nec *eodem ſono* publica iudicia, et arbitrorum diſceptationes aguntur." Mox autem ita pergit: „quis neſciat, quin *aliud dicendi genus* poſcat grauitas ſenatoria, aliud aura popularis?" et paulo

poſt:

poſt: „ſuam quidque *formam*, et proprium quendam *modum eloquentiae* poſcit."

Quae hactenus de *ſono* diximus, ſi fortaſſe nonnullis, qui non facile poſſunt ab antiquitatis iudicio ſuae aetatis cogitationem ſeiungere, vel incerta vel παράδοξα videbuntur: faciundum nobis eſt, vt et his dictorum fidem aliunde comprobemus. Noſtrae enim aetatis omnisque rei publicae ea ratio eſt, vt ſi ab orationibus ſacris receſſerimus, in quibus ſolis hodie vox et lingua aliquid valet, reliqua omnis eloquentia muta reperiatur, adeoque non male iudicent, qui vel ipſa nomina, quibus noſtra lingua hodiernam eloquentiam ſignificat (*Beredtſamkeit*, *Wohlredenheit*) apta eſſe negent, cum ea non dicendo et eloquendo, ſed ſcribendo maxime ſe poſſit exſerere. Veterum Graecorum et Latinorum contraria ratio fuit. Nulla apud iſtos eloquentia erat, quae poſſet voce et lingua et lateribus carere. Conſtat, quantum his rebus, quantum actioni, in qua praecipuae vocis partes erant, veteres et Rhetores et Oratores tribuerint. Atque hinc etiam factum eſt, vt, vbi vniuerſa eloquentiae vis, vel ars et facultas dicendi ſignificanda erat, Graeci quidem εὐστομίαν, εὐφωνίαν, εὐλαλίαν, εὐγλωττίαν, φωνὴν, γλῶτταν, στόμα, Latini autem *linguam*, *os* et *vocem* ſimpliciter nominarent. vid. Lex. gr. techn. in λόγος. Quo minus mirandum erit, cum ſine ſono oratio nulla eſſet, et is ipſe ſonus in eloquentia plurimum valeret, Latinos hoc verbum latiori illo ſenſu, quem ſupra demonſtrauimus, vſurpaſſe.

Spiritus.

Elegans locus eſt Quintiliani 10, 1. 27. poetarum lectionem hoc nomine commendantis: „ab his, inquit, in rebus *ſpiritus*, in vocibus ſublimitas, in affectibus, et in perſonis decor petitur." Iam cum poetarum hoc proprium ſit, vt omnes res, quas tractandas ſumſerunt, ſenſibus ſubiiciant, multas etiam agentes, viventes et veluti ſpirantes inducant; non obſcurum erit, quo ſenſu a poetis *ſpiritus* in rebus tractandis peti dicatur: *die Kunſt einem Gegenſtande, einem Stoffe Geiſt und Leben und Intereſſe zu verleihen.*

Deinde Rhetores Latini *ſpiritu* etiam expreſſere id, quod Graeci τὸ πνεῦμα dixere, vim dicendi, contentio-

tentionemque, qui ex ingenii quodam vigore et ἐνθουσιασμῷ naſcitur. Sic Quintil. 10, 1. 44. vbi elatiorem vim ingenii et magis concitatam et *plenam ſpiritus* commemorat. vid. quae in Lex. gr. techn. ad voc. πνεῦμα notauimus.

Spiſſus.

Cicer. de Orat. 2, 31. *ſpiſſi exitus* hanc vim habent, vt orator, ſiue affectu vehementi concitatus, ſiue ſummiſſa et leni oratione vſus, nec illum affectum, nec hanc lenitatem repente abrumpat et commutet, ſed tardo veluti et haeſitabundo pede ab vtroque genere diſcedat. „In vtroque genere dicendi, Cicero inquit, et illo, in quo vis et contentio quaeritur, et hoc, quod ad vitam et mores accommodatur, et principia tarda ſunt, et *exitus* tamen *ſpiſſi* et *producti* eſſe debent: nam neque aſſiliendum eſt ſtatim ad illud genus orationis; nec, cum in eam rationem ingreſſus es, celeriter diſcedendum eſt.“ — Ad quem orationis Ciceronianae contextum, qui plerumque optimus verborum interpres eſt, ſi animum aduertere voluiſſent Strebaeus et Pearcius, nec ille *crebros*, nec hic *obſcuros* illos exitus explicaſſet. Nam *ſpiſſum* omnino eſt, denſum, tenax, in quo haereas, per quod aegre penetres. Ergo *ſpiſſi exitus* ſunt ampli, pertinaces, qui moram et audiendi et dicendi faciunt, et in quibus multa et varia et copioſa oratione opus eſt, vt mox praecipitur.

Splendor. Splendidus.

Tres ſunt res, quae *ſplendori* proprie ſic dicto attributae cogitari poſſunt, 1) claritas et perſpicuitas, 2) dignitas ex ornatu et magnificentia, 3) mundities elegantia et puritate delectans. Iam quomodo ſingulas illas virtutes in eloquentia et elocutione oratoria obſeruatas Rhetores Latini per translationem *ſplendore* ſignificauerint, accuratius videamus.

Ad iucundam claritatem pertinet *ſplendor* ille, quem voci humanae tribuerunt: *Metallreiche volltönende Klarheit der Stimme.* Auctor Herenn. 3, 12. „acutas, inquit, vocis exclamationes vitare debemus: ictus enim fit, et vulnerantur arteriae acuta atque nimis attenuata acclamatione, et *ſi quis ſplendor eſt vocis, conſumitur*

vno

vno clamore vniuerſus." Sic a Cicerone in Bruto 55. praeter *magnam* et *ſuauem* vocem, *ſplendida* etiam in Sulpicio laudatur, et *fuſcae* opponitur. Graecos eadem metaphora, quam fortaſſe Latini ſecuti ſunt, λαμπρότητα dixiſſe, in Lex. gr. techn. ad voc. λαμπροφωνία oſtendimus.

Frequentior in ornatu orationis ſiue concinno et ambitioſo, ſiue grauiori et digniori, declarando, *ſplendoris* vſus in Rhetoricis reperitur. Cicero de Inuent. 1, 18. „Exordium, inquit, ſententiarum et grauitatis plurimum debet habere, et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in ſe continere: *ſplendoris* et feſtiuitatis et concinnitudinis minimum, propterea, quod ex his ſuſpicio quaedam apparationis et artificioſae diligentiae naſcitur." Haec ergo eſt, quam Graeci πομπὴν, λέξιν πομπικὴν, πομπείαν ῥητορικὴν dixerunt, de quibus vid. Lex. gr. techn. in πομπικός. — Deinde Lib. 2. de Or. Cap. 8. eloquentiam laudans, *quid admirabilius*, inquit, *quam res ſplendore illuſtrata verborum*, h. e. ornatu et apparatu oratorio declarata. — Vberrimus autem ad *ſplendoris* vim explicandam locus eſt Lib. 3, 31. vbi cum admonuiſſet, onerandum complendumque pectus eſſe maximarum rerum et plurimarum ſuauitate, copia, varietate, hoc eſt, varia doctrina et philoſophiae inprimis ſtudio imbuendum: ita fore, vt et verborum elocutionisque ornamenta facilius ſequantur: hanc ſententiam poſtea hoc modo vlterius explicat: „*In hoc tanto*, inquit, *tamque immenſo campo* (quem ſcil. philoſophia aperit) *facile ſuppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. Rerum enim copia verborum copiam gignit; et, ſi eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exiſtit ex rei natura quidam* ſplendor *in verbis. Sit modo is, qui dicet aut ſcribet, inſtitutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret ſtudio, et a natura adiuuetur, et in vniuerſorum generum infinitis disceptationibus exercitatus; nae ille haud ſane, quemadmodum* ſtruat et illuminet, (haec duo ſplendoris ſunt) *a magiſtris iſtis requiret: Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta ſine duce, natura ipſa, ſi modo eſt exercitata, labetur.* — In Bruto Cap. 71. Marcellum ita laudans, vt ei nullam deeſſe oratoris virtutem dicat, *et lectis vtitur verbis*, inquit, *et frequentibus, et ſplendore vocis, et dignitate motus*

fit

ſit ſpecioſum et illuſtre, quod dicitur. Quo in loco *ſplendore vocis* vniuerſas dignitatis. magnitudinis et ſuauitatis virtutes, quibus perfectiſſima pronuntiatio continetur, complexus eſſe videtur. Et Cap. 88. cum Hortenſius *in verborum ſplendore elegans* fuiſſe dicitur, ſtudium illius, quod in verborum grauium, pulcrorum, bene ſonantium delectu adhibuerit, declaratur. Fortunatianus quoque Rhetor. p. 71. verba *ſplendida* eſſe notat, quae natura ſua nitida ſint, et copulata facilius claritatem ſuam oſtendant. Ac Cic. in Bruto 27. „Carbonis et Gracchi orationes habemus, inquit, *nondum ſatis ſplendidas verbis*, ſed *acutas*, prudentiaeque pleniſſimas.“ Vnde patet *ſplendorem* elocutionis elegantiae et ornatui, *acumen* autem rebus et ſententiis tribui. vid. *Acutus*. cf. Orat. 49. qui locus de *ſplendoris* vi hactenus expoſita claſſicus et omnium luculentiſſimus eſt.

Sed quoniam, quae ſplendent, hanc etiam vim habent, vt in oculos facilius incurrant, non abſonum videtur, quemadmodum Graecis τὴν λευκότητα et φαότητα, ita Latinis *ſplendidum* in oratione dictum eſſe, quicquid clarum et perſpicuum eſſet. Adferri ſolet, quo haec *ſplendoris* ſignificatio comprobetur, locus Cic. de Orat. 2, 16. vbi, poſtquam monuerat, omnia quae pertineant ad vſum ciuium, morem hominum, quae verſentur in conſuetudine vitae, in ratione reipublicae, in ſocietate ciuili, in ſenſu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda eſſe oratori, haec addit: „hisce autem ipſis de rebus ita loquatur, vt ii, qui iura, qui leges, qui ciuitates conſtituerunt, locuti ſunt, *ſimpliciter et ſplendide*, ſine vlla ſerie disputationum, et ſine ieiuna concertatione verborum: „*kurz und deutlich*. Sed, niſi me meus quidam ſenſus fallit, neſcio quo modo mihi iſta *perſpicuitas* in hoc loco frigere videtur. Vniuerſa quaedam et omnibus orationis locis neceſſaria virtus eſt, perſpicuitas, quam Cicero non tam laudare, quam flagitare ſolet. Multo aptior illa admonitio videtur, vt, qui res ad philoſophiam ad mores, ad ciuitatem pertinentes in oratione tractare velint, grauiter et ſeuere et σεμνῶς, verbis et ſententiis, id faciant, legum iuriumque ſcribendorum rationem ſequentes, in qua non elocutionis ornatus aut concinnitas aut copia, ſed veritas et grauitas et σεμνό-

τῆς quaeritur. Itaque ſi quis illum locum ita interpretari malit, vt *ſimplicitatem* quidem ad incomtam aliquam orationis tenuitatem breuitatemque, *ſplendorem* vero ad dignitatem grauitatemque rebus aptam (*ſchlichte anſpruchsloſe Würde des Vortrags*) referat, non video, quid recte contra dici poſſit; praeſertim cum ipſe Cicero *ſimplicitati* illi *ſeriem* disputationum, *ſplendori* autem *ieiunam concertationem verborum* oppoſuiſſe videatur.

Ad munditiem denique et elegantiam, quam ſupra dixi ſplendori attributam eſſe, pertinere illud arbitror, quod ex loco Senecae in praefat. Lib. 3. Controu. intelligi poteſt, in *ſplendore* veteres honeſtatis cuiusdam elegantisque nitoris in dicendo conſpicui notionem ſibi informaſſe: *Delikateſſe, Nettigkeit, Eleganz des Ausdrucks, bis zu einer Art von Flitterglanz getrieben.* Rhetor ibi de Albutio: „inaequalitatem, inquit, in illo mirari libebat: *ſplendidiſſimus* erat: idem res dicebat omnium ſordidiſſimas, acetum, puleium, latrinam, paederotam, laternas, ſpongias: nihil putabat eſſe, quod dici in declamatione non poſſet. Erat autem illa cauſa: timebat, ne ſcholaſticus videretur. Dum alterum vitium deuitabat, incidebat in alterum, nec videbat, *nimium orationis ſplendorem* his admixtis ſordibus non defendi, ſed inquinari.“ Haec vltima verba metaphorae illius vim et cauſam illuſtrant. Splendori ſemper puritas et nitor adiuncta ſunt: ſordibus obducta non ſplendent. Iam puritas et ſordes, cogita, quam vim habeant, ſi ad mentem et animum referantur; ſplendoris illius oratorii vim explicatam habebis.

Squalor.

Quintilianus 2, 5. 23. „Suaſerim, inquit, et antiquos legere, ex quibus ſi aſſumatur ſolida et virilis ingenii vis, *deterſo rudis ſeculi ſqualore,* tum noſter hic cultus clarius eniteſcet.“ Expreſſit, quod Graeci τὸ πῖνος dixerunt in antiquioribus, in quibus omnia propter morum ſimplicitatem erant recta et moderata, et rudia, et impolita, ſi cum elegantibus recentiorum ſenſibus, auribus, iudiciis, moribusque comparantur. Simili metaphora in Dial. de Oratt. Cap. 20. poeticus decor Attii aut Pacuuii *veterno inquinatus* dicitur: et apud Sidon. Apoll. Lib. 1. ep. 1. *veternoſum* commemoratur

moratur *dicendi genus.* Idem ille Auctor Dialogi Cap. 21. *ſordes verborum*, inquit, (qui eſt idem ille πῖνος, ſiue forma et ſtructura, ſiue ſenſu conſpicuus) *et hians compoſitio, et inconditi ſenſus redolent antiquitatem.* Hinc et a Gellio N. A. 11, 7. verba inuulgata et *ſordentia* iunguntur, quae antea obſoleta, exculcata, et inſolentia dicebantur.

Statarius.

Facili et apta translatione (nam proprie actores in ſcena, et fabulae ipſae ſtatariae, noto ſenſu, dictae ſunt) *oratorem ſtatarium* Rhetores appellarunt, qui minus vehementer diceret aut ageret, cuiusque, vt ait Cic. Brut. 29. ſimplex quaedam in agendo veritas eſſet. cf. Cap. 67. Creſoll. Vacc. Autumn. Lib. 2. Cap. 13. p. 403. ſq. et quae ad voc. *Sermo* disputauimus. Itaque illi ſtatariorum rationi contraria eſt, quam *concurſationem* Cic. Brut. 69. nominauit. Locus eſt hic: „addamus huc etiam, ne quem vocalem praeteriiſſe videamur, Coſconium Calidianum, qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, quam habebat, praebebat populo, *cum multa concurſatione magnoque clamore.*" Vulgo interpretes h. l. concurſationem et clamorem ad populum referunt, qui concurſaſſet, et clamores feciſſet. Sed ego rectius ad ipſum oratorem *concurſantem* et *clamantem* referri puto. Nam non antea ſolum *vocalem* eum nominauerat, cuius nominis rationem vtroque illo vocabulo reddit, ſed eundem etiam in Or. pro Cluentio 35. *clamoſum* vocat. Omnis etiam orationis conformatio hanc noſtram potius, quam illorum interpretum ſententiam, commendat. Accedit, quod in Orat. Cap. 18. motum oratoris dicentis et geſticulantis, *excurſionem* appellat: vt et Quintil. 1, 11. 3. coll. Lib. 2, 2. 12. vbi *procurſio*, et Plin. Lib. 2. epiſt. 19. vbi *discurſus* dicitur. — Maiorem etiam ambiguitatem habere videtur locus Quintiliani Lib. 7, 1. 44. vbi Rhetores quosdam non niſi oſtentantes eloquentiam reprehendens, „*quaeruntur*, inquit, *ſententiae, ſi fieri poteſt, praecipites, vel obſcurae* (*nam ea nunc virtus eſt*) *et pulcre fuerit cum materia* tumultu et clamore *tranſactum.*" Hic cum alii tumultum et clamorem ad auditores laudantes plaudentesque retuliſſent, Geſnerus ad agentem referri mauult, hanc ſolam

mutatae ſententiae cauſam commemorans, quod Quintilianus, ſi auditorum clamorem intelligi voluiſſet, *inter tumultum et clamorem* ſcripturus fuiſſet. Ego vero primum in illa cauſa non multum momenti eſſe exiſtimo: deinde valde dubito, an Rhetores Latini *tumultum*, qui eſt ex Graec. θόρυβος expreſſus, de alio, quam auditorum plauſu et clamore dixerint. cf. Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 3, 20. p. 273. ſqq. et Lex. gr. technol. in θορυβεῖσθαι.

Status. vid. *Conſtitutio.*

Stilus.

In ſcriptis Ciceronis perpetua vocis illius haec ratio eſt, vt primum ipſum inſtrumentum, quod *ſtilum* dicebant, cogitare, deinde, vbi opus eſt, metaphorae ſenſum ex inſtrumenti vſu eruere debeamus. Quod cum literis in cera fingendis ſeruiret, adeoque frequenter vſurpatum ipſum ſcribendi ſtudium declararet, nata metaphora eſt, qua *ſtilus* pro ipſo ſcribendi actu vel ſtudio vel exercitatione diceretur. Haec vnice certa apud Ciceronem metaphorae poteſtas eſt. Ita de Or. 1, 33. „caput eſt, inquit, quod minime facimus, *quam plurimum ſcribere: ſtilus optimus et praeſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter.* Mox *aſſidua et diligens ſcriptura* dicitur. Et in Bruto Cap. 24. „nulla res, ait, tantum ad dicendum proficit, quam *ſcriptio.*" Hanc metaphorae rationem tenuerunt, quicunque ad Ciceronis potiſſimum eloquentiae imitationem ſtudium ſuum conferrent. Sic, ex antiquioribus quidem, Aquila Rom. de Figg. §. 30. p. 173. vbi de figuris πλοκῇ et παλιλογίᾳ diſputat: „ideoque et Ariſtoteli, inquit, iteratio ipſa verborum et nominum, et repetitio frequentior, et omnis huiusmodi motus, *actioni magis et certamini, quam ſtilo* videtur conuenire," hoc eſt, magis in declamando et agendo, quam in ſcribendo valet. Nam Ariſtoteles Rhet. Lib. 3, 12. quem locum Aquila laudat, illa hoc modo dixerat: τὰ ἀσύνδετα καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν ἐν τῇ γραφικῇ ὀρθῶς ἀποδοκιμάζεται· ἐν δὲ ἀγωνιστικῇ καὶ οἱ ῥήτορες χρῶνται, ἐστὶ γὰρ ὑποκριτικά. cf. Quintil. 10, 3.

Sed multos Ciceronis interpretes recentior loquendi conſuetudo, qua dicimus *den Stil, die Manier*, in eam

eam opinionem induxit, vt et ab illo *ſtilum* ſimpliciter pro orationis genere dictum contenderent. Cui quidem opinioni, quam parum tribuendum ſit, ex ſequentibus intelligetur. Eſt locus in Bruto 26. temere a viris doctis vel ſollicitatus vel explicatus. Cicero ibi contradicit eorum ſententiae, qui orationem quandam Fannii oratoris, non ab eo ſolo conſcriptam, ſed *a pluribus confuſam* crederent. Itaque „*non eiusmodi eſt*, inquit, *vt a pluribus confuſa videatur: vnus enim ſonus eſt totius orationis et idem ſtilus.* Patruus meus, cum a Cicerone *ſtilum* non hoc modo, quo nos hodie dicimus, accipi ſolere perſuaſum ſibi haberet, (nam eam potius *formam figuramque dicendi* appellat, vt de Orat. 2, 23. 3, 9. de Opt. gen. dic. Cap. 5.) *filum* in illo loco legendum coniiciebat; Wezelius autem, recentiſſimus Bruti interpres, *ſtilum* pro orationis genere dici poſſe ex Schellero ſuo defendit. Neutrum rectum eſt. *Sono* orationis (vid. quae ad hoc voc. diximus) internam eius indolem, characterem, et genus, *ſtilo* autem ipſum inſtrumentum, quod literas in cera fingit, Cicero notauit: *die Rede iſt in einerley Manier, und mit einerley Griffel geſchrieben.* Ita demum, iſtam orationem non plurium, ſed vnius eiusdemque auctoris eſſe, recte colligi poterat.

Neque accurate et ſubtiliter faciunt, qui, vt Ciceronem *ſtilum* pro ratione et genere dicendi, elocutionisque charactere quodam, dixiſſe euincant, adferunt locum ex Bruti Cap. 45. Ibi de C. Titio: „huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum vrbanitatis habent, vt *paene Attico ſtilo ſcriptae* eſſe videantur.“ Haec verba, ſi vim Ciceronianae mentis plane aſſequi velimus, neceſſario ita vertenda ſunt: *Seine Reden enthalten ſoviel Kunſt, ſoviel hiſtoriſche Gelehrſamkeit, und ſoviel Feinheit, daß ſie das Produkt eines Attiſchen Griffels zu ſeyn ſcheinen.* Hoc ſcilicet directe cogitauit Cicero, cum iſta ſcriberet. Sed cum iam ea explicare volumus, et qui ſenſus ſubeſſe iſti velut imagini poſſit, commutatis verbis declarare, tum *orationes Attico ſtilo ſcriptas*, de orationibus ab Attico oratore, et Attico dicendi genere ſcriptis intelligi poſſe dicemus. Verum ex tali loco non debet demonſtrari, apud Ciceronem *ſtilum* ſimpliciter ſcribendi vel dicendi genus (*Stil, Manier, innerer Charakter*

des Ausdrucks und Vortrags) ſignificare. Alia enim verbi ſignificatio, alius eius ſenſus eſt. Sed vulgo Grammatici haec duo mire commiſcent, incertamque et arbitrariam interpretationem omnem reddunt.

Plinii iunioris demum temporibus et ſequentibus mos ille loquendi inualuiſſe videtur, vt *ſtilus* pro ipſa dicendi forma et ratione acciperetur. vid. Lib. 1. epiſt. 8. et 7, 9. vbi variandi gratia eundem *ſermonem* appellat. Certe ita Macrobius Saturn. 5, 1. „*Stili dicendi* duo ſunt, inquit; vnus eſt maturus et grauis, alter huic contrarius, ardens, et erectus et infenſus etc." cf. Auct. Dial. de Oratt. Cap. 39.

Strepitus.

Felici cum acumine Quintilianus Lib. 4, 2. 57. illo verbo vtitur, vt eum apparatum eloquentiae ſignificet, quo ſe orator veluti prodit, et fallendi auditoris conſilium temere exponit. Itaque *artem occultam* ex ſimplicitatis imitatione illi opponit. Hanc artem cum Ciceroni tribuiſſet in loco illo componendo, qui extat in Orat. pro Mil. Cap. 10. „*Milo autem, cum in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus eſt dimiſſus, domum venit, calceos et veſtimenta mutauit, paulliſper, dum ſe vxor, vt fit, comparat, commoratus eſt,*" poſtea haec addit: „Quam nihil praeparato, nihil feſtinato feciſſe videtur Milo! Quod non ſolum rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras et lentum profectionis ordinem ducit, ſed verbis etiam vulgaribus et quotidianis et *arte occulta* confecutus eſt; quae ſi aliter dicta eſſent, *ſtrepitu* ipſum iudicem ad cuſtodiendum patronum excitaſſent." vid. quae ad voc. *ſonitus* dicta ſunt.

Strigoſus.

Proprie dicta vox de equis macie confectis, ad oratorem translata eſt, cuius tenuis, gracilis, et ſubtilis oratio eſſet. Sic Cic. Brut. 16. Lyſias, quamuis in eo ſaepe ſint etiam *lacerti*,) tamen genere toto (*im ganzen genommen*) *ſtrigoſior* dicitur: *der herrſchende Ton und Charakter ſeiner Vorträge iſt der niedere, ſchlichte, affectloſe, wiſſenſchaftliche.* Mox diſerte hoc genus ad *ſubtilitatem* refert, quam aliis in locis Lyſiae propriam dicit. vid. voc. *Subtilis.*

Studio-

Studioſus.

Eloquentiae cultores, quos Cicero *dicendi ſtudioſos* appellare ſolet, ſeriori aetate ſimpliciter et κατ' ἐξοχὴν *ſtudioſi* dicti ſunt. Sic Auct. Herenn. 2, 24. Dial. de Oratt. Cap. 21. Plinius etiam Lib. 3. epiſt. 5. Plinii maioris librum, *Studioſus* inſcriptum, et in ſex volumina diuiſum commemorat, quibus oratorem ab incunabulis inſtituerit, et perfecerit. cf. Lib. 8, 12. et Voſſii de Nat. et Conſt. Rhet. Cap. 1. p. 9. ſeqq. Iidem, quoniam eloquentiae praecepta ex Rhetorum ſcholis hauriebant, *ſcholaſtici* vocantur in Dial. de Or. Cap. 26. vid. ibi Schulz. p. 109. et cf. Quintil. 12, 11. 16. Quamuis, et ipſos Rhetores *Scholaſticos* nominatos eſſe, patet ex Plin. Lib. 3. epiſt. 2. Plura exempla collegit Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 2. p. 158.

Suauitas.

Quemadmodum Graeci τὴν χάριν vel ἡδύτητα vel γλυκύτητα τῆς λέξεως, ita Latini Rhetores *ſuauitatem* in vniuerſum ei dicendi generi attribuerunt, in quo prae ceteris virtutibus elegantia inprimis et concinnitas emineret, quodque magis ad delectandum quam ad docendum vel commouendum verbis ſententiisque comparatum eſſet. His veluti lineamentis diſerte Cicero Partit. Or. Cap. 6. illud genus dicendi adumbrauit: „*Suaue genus erit dicendi, primum elegantia et iucunditate verborum ſonantium et lenium: deinde coniunctione, quae neque aſperos habeat concurſus, neque diſiunctos atque hiantes: et ſit circumſcripta non longo anfractu, ſed ad ſpiritum vocis apto, habeatque ſimilitudinem aequalitatemque verborum, tum ex contrariis ſumta verbis: crebra crebris, paria paribus reſpondeant, relataque ad idem verbum: et geminata atque duplicata, vel etiam ſaepius iterata ponantur, conſtructioque verborum tum coniunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur. Fit etiam ſuauis oratio, cum aliquid aut inuiſum, aut inauditum aut nouum dicas. Delectat enim, quicquid eſt admirabile, maximeque mouet ea, quae motum aliquem animi miſcet, oratio: quaeque ſignificat oratoris ipſius amabiles mores* etc." — Quare etiam Cicero *mediocris* ſeu *medii* generis dicendi propriam virtutem et veluti dominantem *ſuauitatem* eſſe docuit. Nam cum reliqua duo genera vel ſolam tenuitatem et ſubti-

litatem, vel vehementiam et copiam habeant; hoc mediocre ex vtroque genere temperatum, et ſui varietate habitus delectat, et maiori ornandae poliendaeque orationis venia gaudet. Audiamus ipſum Ciceronem, hoc dicendi genus adumbrantem in Orat. Cap. 27. „Vberius eſt aliud, aliquantoque robuſtius, quam hoc humile, de quo dictum eſt; ſummiſſius autem, quam illud, de quo iam dicetur, ampliſſimum. *Hoc in genere, neruorum vel minimum, ſuauitatis autem eſt vel plurimum. Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, plurimumque eſt, in hac orationis forma, ſuauitatis.* Deinde Cap. ſequenti, oratorum, qui in ſingulis illis generibus floreant, veluti characteres quosdam definiens: „Ille ſummiſſus, quod acute et veteratorie dicit, *ſapiens* iam: *medius, ſuauis:* hic autem copioſiſſimus, ſi nihil eſt aliud, vix ſatis ſanus videri ſolet.“ Itaque iam in promtu eſt cauſa, quare Cicero de Or. 3, 7. et alibi, Iſocrateae eloquentiae praecipuam virtutem *ſuauitatem* commemoret. Nam Iſocratis opera omnis in epidictico illo genere, quod non niſi delectationis cauſa comparatum erat, verſabatur, et pleraque non ad iudiciorum certamen, ſed ad voluptatem aurium ſcripſerat. vid. Cic. in Orat. Cap. 12. Neque disſimiles *ſuauitatis* notae ſunt, quibus Plinius Lib. 4. epiſt. 3. Antonini ſermones et ſtilum laudat: „*et loquenti tibi illa Homerici ſenis* (Neſtoris Iliad. α, 249.) *mella profluere, et, quae ſcribis, complere apes floribus et nectare videntur. Hominemne Romanum tam Graece loqui? non, medius fidius, ipſas Athenas tam Atticas dixerim.* — Sed in ſingulis etiam partibus orationis *ſuauitas* tum locum habet, cum praeter res neceſſarias ad fidem faciendam, etiam ea aſſumuntur, quae ornatum et delectationem quandam habent. Quo ſenſu *ſuauis narratio* dicitur Ciceroni Partit. Or. Cap. 9. quae habeat admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus etc. vid. Lex. gr. technol. in γλυκύτης.

Subabſurdus.

In iocis et facetiis *ſubabſurdum* Ciceroni appellatur, quicquid acutam veluti et ſcitam ſtultitiam prodit, et cum per ſe falſum aut contrarium ſit, tamen ita cum

cum inopinato ſale effertur, vt rideatur: *das drollige, naive, ſchnurrige.* Huius vim generis Cicero de Orat. 2, 68. explicare mihi videtur: „Genus hoc leuius, inquit, et, vt dixi, mimicum: ſed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci, *vt vel non ſtultus quaſi ſtulte cum ſale dicat aliquid. Valde haec ridentur, et hercle omnia, quae a prudentibus, quaſi per disſimulationem intelligendi, ſubabſurde ſalſeque dicuntur.* Exempla huius generis, quae Cicero h. l. affert, digna ſunt, quae legantur et iudicentur.

Subitus.

Vt Graeci τὸ αὐτοσχεδιάζειν vel αὐτόθεν, ἐκ τȢ παραχρῆμα, ἐκ τȢ παρατυχόντος λέγειν, ita Latini *ſubitam dictionem* et τὸ *ſubito dicere* iis oratoribus tribuerunt, qui extemporali oratione, et ſine praeuia meditatione repente effuſa vterentur. Sic Cic. de Or. 1, 33. „in iſtis ipſis exercitationibus, etſi vtile eſt, inquit, etiam *ſubito* ſaepe *dicere,* tamen illud vtilius, ſumto ſpatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere.“ Et paucis interiectis, *ſubitas dictiones, ſubitamque et fortuitam orationem,* commemorat, quibus alio quoque loco Cap. 60. *commentationes accuratas* et *meditatas* opponit. *Commentandi* et *commentariorum,* in quibus accuratae meditataeque ſcriptionis notatio exprimitur, ſubitae et extemporali elocutioni contraria, nota et peruulgata exempla ſunt. vid. Clau. Cic. in *Commentari.* cf. Dial. de Oratt. 10. vbi *fortuitae* et *ſubitae dictionis impetus* eodem ſenſu dicitur. vid. omnino quae ad voc. *Extemporalis* notauimus.

Subiectio.

Auctor Herenn. 4, 23. „*ſubiectio* eſt, inquit, cum interrogamus aduerſarios, et quaerimus ipſi, quid ab illis, aut quid contra nos dici poſſit, deinde *ſubiicimus* id, quod dici oportet, aut non oportet, aut nobis adiumento futurum ſit, aut offuturum illis e contrario.“ Simile eſt ſchema *per ſubiectionem,* quod commemorat Quintilianus Lib. 9, 2. 15. hanc vim habens, vt, cum rogaueris alium, non exſpectes reſponſum, ſed ſtatim ſubiicias: *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas.* vid. Lex. gr. techn. in ἀνθυποφορὰ et ὑποφορά. Hanc *ſubiectionem* inter varios argumenta-

mentationis modos enumerat Georg. Trapezunt. Lib. 3. Rhet. p. 28. hac addita interpretatione: „*Subiectio* eſt argumentatio, in qua quaerimus, quid pro aduerſario, aut contra nos dici poſſit, deinde per ſingulas interrogationes propere ſubiicimus rationem, qua id, quod dictum eſt, non ita eſſe oſtendimus.“ Ab ea diſtinguit *ſummiſſionem*, qua nosmet ipſi petimus rationem, quare quidque dicamus.

In luminibus et figuris ſententiarum a Cicerone de Orat. 3, 53. nominatur *rerum, quaſi gerantur, ſub aſpectum paene ſubiectio*. quam Graeci *ἐνάργειαν, ὑποτύπωσιν, διατύπωσιν, ἔκφρασιν* dixerunt. Quintilianus 9, 2. 40. eandem *ſubiectionem ſub oculos* appellans ita definit: *cum res non geſtu indicatur, ſed, vt geſta ſit, oſtenditur, nec vniuerſa, ſed per partes.* Hanc dicendi formam Gellius Lib. 10, 3. Ciceronis loco ei tribuit, in quo vim et affectum oratorium maxime declarauerat, eamque *repraeſentationem* vocat.

Sublimis. Sublimitas.

Apud Rhetores Latinos *ſublimitatis* eius, quam Longinus in *τῷ ὕψει, τῷ διάρματι*, et *τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπιβόλῳ* collocauit, et recentiores aeſtheticae diſciplinae doctores explicare ſolent, (*das Erhabene*) rara mentio eſt, cum de generibus orationis diſputant; ſiue quod in oratore inſtituendo, et in ipſo oratoris artificio, illa virtus non requireretur, quae magis poetica, nec ſatis apta videretur populari intelligentiae, cui nata eloquentia eſſet; ſiue quod rem eandem non ſemper verbo *ſublimitatis*, ſed et aliis exprimerent, in quibus illius veluti partes quaedam et variae formae ineſſent, vt ſeueritatis, vehementiae, acrimoniae, concitationis, elationis, granditatis, magnificentiae, quas virtutes paſſim legimus oratoribus tributas. Nominatim Quintilianus, cum *ſublimia* in oratione commemorat, notare videtur, quae alibi *audacia, grandia, ampla, elata*, et *magnifica* vocat: nam his contraria *praecipitantia* ponit, vt Lib. 12, 10. 73. Quod enim Lib. 10, 1. 119. Trachallum oratorem *ſublimem* appellat, grandiloquum et magnifico grandique vocis ſono dicentem voluit; vt ibidem §. 68. Sophoclis cothurnum et grauitatem et ſonum *ſublimiorem* commemorat, et §. 27. poetarum verbis *ſublimitatem* tribuerat,

tribuerat, *os magna ſonaturum* Horatii Sat. 1, 4. 44. Et Lib. 11, 1. 3. ad virtutem apte dicendi pertinere ait, vt ne *ſublime genus* paruis in cauſis adhibeatur; pro quo alibi paſſim vehemens, et acre, et ſeuerum et concitatum, et graue, vel grande dixit. cf. Georg. Trapez. Rhet. Lib. 5. p. 60. vbi *ſublimis* figura orationis (*ἰδέα λέξεως*) dicitur, quae conſtet ex verborum grauium magna et ornata compoſitione. Quo ſenſu Cic. in Bruto 55. *ſublate* et *ample dicere* iunxit. Et Auſonius in Grypho verſ. 66.

Trinum dicendi genus eſt, *ſublime*, modeſtum,
Et tenui filo.

Cui addimus elegantem locum Saleii Baſſi Carm. ad Piſonem 57. ſeqq. qui trium illorum generum orationis poeticam deſcriptionem habet, ſimilibus metaphorarum coloribus diſtinctam:

Nam tu, ſiue libet pariter cum grandine nimbos,
Denſaque vibrata iaculari fulmina lingua;
Seu iuuat adſtrictas in nodum cogere voces,
Et dare ſubtili viuacia verba catenae,
Vim Laertiadae, breuitatem vincis Atridae.
Dulcia ſeu mauis, liquidoque fluentia curſu
Verba, nec incluſo, ſed aperto pingere flore,
Inclita Neſtorei cedit tibi gratia mellis.

Neque aliam Quintilianus notionem *ſublimitatis* concepit, cum Libr. 6, 2. 19. in morata oratione, quae τὸ ἦθος oratoris, molliores que affectus habeat, dicendi genus poſtulat placidum et mite, non ſuperbum, non elatum aut *ſublime*. Et cum Lib. 8, 3. 13. iudicat in ſuadendo aliquid etiam *ſublimius* poſcere ſenatum, ſignificat genus dicendi paullo ſeuerius et grauius, et ad auctoritatem dignitatemque ſenatus in elocutione etiam accommodatum. — In Platone quoque *ſublimitas* laudatur, a Plinio quidem Lib. 1. ep. 10. et in Dial. de Oratt. 31. vbi *altitudo* vocatur. Sed vtriusque vim Cicero et Quintilianus luculentius explicarunt. Ille in Orat. Cap. 20. „Video, inquit, viſum eſſe nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etſi abſit a verſu, tamen quod *incitatius feratur, et clariſſimis verborum luminibus vtatur*, potius poema putandum, quam comicorum poetarum, apud quos, niſi quod verſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani disſimile ſermonis.“ Quintilianus autem Lib. 10, 1. 81. ita iudicat: „Philoſopho-

rum,

rum, ex quibus plurimum ſe traxiſſe eloquentiae M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem eſſe praecipuum, ſiue acumine disſerendi, ſiue eloquendi facultate diuina quadam et Homerica? *multum enim ſupra proſam orationem, et quam pedeſtrem Graeci vocant, ſurgit: vt mihi non hominis ingenio, ſed quodam Delphico videatur oraculo inſtinctus.*" — Porro Plinius etiam Lib. 1, 16. Saturnino hiſtorico *narrandi ſublimitatem et ſplendorem* tribuit, propterea, quod hiſtoriae ſuae conciones (δημηγορίας) intertexuiſſet; quae cum habere debeant dicendi genus amplius, acrius et copioſius, quam hiſtoriae ſimplicitas deſiderat, ipſi hiſtoriae aliquam grauitatem et maiorem dignitatem concilient. Hanc igitur ille nunc *ſublimitatem*, hunc *ſplendorem* dixit: *der Schriftſteller erhebt ſich aus dem niedern hiſtoriſchen Stil zur höhern Sphäre des Redners; läſst den ruhigen ſimplen Geſchichtston mit dem Geräuſchvollern, erhabenern, ſtärkern Tone des redneriſchen Vortrags abwechſeln.* — Seneca denique in Controu. pag. 395. Bipont. cum *ingentibus ſententiis* plenam Caſſii orationem dicit, nec alium ſenſum, nec aliam metaphoram ſecutus eſſe videtur, quam qui easdem *altas, elatas, ſublimes, grandes* appellauere. Omnino, quae Latini in Rhetoricis *ſublimia* dixerunt, proxime accedere ad vim illorum videntur, quibus Ariſtoteles τὸν ὄγκον, Demetr. Phaler. μεγαλοπρέπειαν aut Hermogenes τὸ μέγεθος tribuerunt. Ex recentioribus inprimis digni ſunt qui conferantur, Bergerus de nat. pulcr. Or. p. 43. 45. et 347. et Werenfelſius Disſ. de Meteor. Or. §. 3. Et hic quidem cum *ſublimitatem* ad recentioris philoſophiae decreta accommodate explicet, in medio tamen relinquens, τὸ ὕψος Longini, et μέγεθος Hermogenis idem ſit, nec ne, „*non ſemper neceſſe eſt*, inquit, *vt res, de qua dicit orator, ſit magna iudicio philoſophorum, qui in pretio rebus ſtatuendo cum vulgo non conueniunt: ſufficit, ſi talis eſt, aut communi hominum opinione, aut apud eos, apud quos dicimus, tum cum diximus, aut ibi, vbi dicimus.*" cf. quoque Caſaub. ad Perſii Sat. 1. p. 56. ſqq.

Subſiſtere.

Quintilianus Lib. 8, 5. 27. in eo loco, in quo vſum et rationem *ſententiarum*, quas νοήματα Graeci dixerunt,

dixerunt, (*Penſeen*, *Sentenzen*, *Reflexionen*, *bons mots*) exponit, denſitatem illarum in oratione ideo reprehendit, quod conciſam orationem faciant, h. e. comprehenſionem illam et contextum, quem oratio bene ſtructa habere debeat, interrumpant et veluti concidant. Qua de cauſa autem id ſententiae faciant, ita enuntiat: „*Subſiſtit* enim omnis ſententia: itaque poſt eam vtique aliud eſt initium;“ hoc eſt, ſententia vnaquaeque per ſe ſola ſubſiſtit, et ſenſum habet ſeparatum a reliquis partibus orationis. Ergo cum ceteris veluti non coit, non coniungitur; vnde conciſa et disſipata membra, vel potius orationis fruſta quaedam oriuntur. — Sed huc quoque pertinet diſcrimen ſubtile illud, quo idem Lib. 9, 4. 94. *ſubſiſtere* et *ſedere* diſcernit. Diſputat ibi, quid interſit, vltima membri vel periodi ſyllaba breuis an longa ſit: quamuis enim vtraque pes ſit, tamen longam quodammodo *ſedere*, breuem *ſubſiſtere*. Nempe in longa ſyllaba clauſulae ſedes firmior eſt et ſtabilior, in breui autem incertior et ſolutior. Quieſcit vterque, et qui ſedet et qui ſubſiſtit: ſed ſedentis certior et firmior et verior, quam ſubſiſtentis quies eſt. vid. quae ad voc. *inſiſtere* dicta ſunt.

Subſurdus.

Vox ſubſurda, qualis ſit ex mente Quintiliani Lib. 11, 3. 82. difficillimum videtur certo pronuntiare. Geſnerus ſuſpicabatur notari eam, quam Cicero Orat. 3, 11. *extra modum abſonam et abſurdam* dixerit; vt eſſet *φωνὴ ἐκμελὴς* Pollucis in Onom. 2, 26. Sed puto tum Quintilianum alterutro verbo potius vſum fuiſſe, quam illo minus vſitato *ſubſurdus*, quod videtur a ſenſu aurium ad ipſam vocis naturam transtuliſſe, quoniam vox nonniſi ad aures pertinet. Itaque propius ad veritatem acceſſiſſe mihi viſus eſt Cauſſinus de Eloq. ſacr. et hum. Lib. 9. Cap. 6. qui confert Pollucis *φωνὴν ἀσαφῆ*, quae, vt Aſpendius Cithariſta, *ſonum intus retineat, nec vocales habeat emiſſiones: die hohle, verſchloſſene, dumpfe, und deswegen wenig hörbare Stimme.* Nam *ſurdus* Latinis non modo is dicitur, qui non audit, ſed et is, qui non auditur, cuiusmodi exempla ex poetis inprimis Lexica copioſa habent.

Neque tamen ſilentio praetermittendus eſt alius Quintiliani locus, e quo fortaſſe illa *ſubſurdi* ſignificatio

catio luculentius etiam illuſtrari poſſit. Is locus eſt Lib. 12, 10. 28. vbi rationem eloquendi Graecam a Latina ita diſcrepare dicit, vt Graecae linguae iucundiſſimas literas, eloquendique dulcedinem quandam, Latinae autem ſonum duriorem tribuat. Itaque in *Zephyris* et *Zopyris*, cum apud Graecos veluti hilarior oratio renideat propter gratiam et iucunditatem, qua literas et vocales et conſonantes eloquantur; contra, ſi Latinis literis illa verba ſcribantur, dicit *ſurdum quiddam et barbarum* effici, et in illarum locum triſtes et horridas literas, vt u pro y, ſuccedere, quibus Graecia careat. Quidni ergo in illo quoque loco, quem ſupra tractauimus, Quintilianus *ſubſurdam* vocem appellauerit eam, quae duriores, craſſiores et fere ruſticos ſonos efficiat, et literarum appellationi ſuaui et tenerae contraria ſit: *die grobe, bäuriſche, derbe Stimme, wobey in der Ausſprache das feine, delicate, und runde verlohren geht.*

Sed procliuiorem me ſentio ad illam priorem ſententiam, vt *ſubſurda voce* obſcuritatem potius et ἀσάφειαν, quam craſſitiem notari exiſtimem: praeſertim cum animaduerterim etiam *ſurdum colorem* Plinio dici, pro minus acuto et ſplendido, Lib. 37, 5. de Smaragdis Cypriis: „ad hoc quibusdam *intercurrit vmbra, ſurdusque fit color:* qui improbatur etiam *dilucidior.*“ Ad hunc locum conſulendus eſt Salmaſius Plin. Exercitt. p. 140. vbi de his ſimilibusque metaphoris, etiam ad vocem humanam traductis, docte disſeritur.

Subtilis. Subtilitas.

Vt accurate vim ſubtilitatis eius, quae ad eloquentiam veterem pertinebat, explicare et definire poſſimus, exordiendum nobis eſt ab illis Rhetorum Latinorum locis, in quibus *ſubtilis dicendi generis* mentio fit. Hic enim tanquam fons eſt, vnde omnis illius virtutis, quae in ſubtilitate ineſt, intelligendae ratio hauritur. Iam illi cum vniuerſe tria oratoris officia ſtatuerunt, vnum probandi, alterum delectandi, tertium flectendi; his totidem etiam genera dicendi, vel elocutionis oratoriae formas reſpondere voluerunt, *ſubtile*, quod in probando et docendo, *medium* quod in delectando, *graue* vel *vehemens*, quod in flectendo et commouendo cerneretur. Hoc igitur inprimis tenendum

dum eſt, veteres in ſubtilitate, ſiue eam orationi, ſiue oratori ipſi tribuerent, eas maxime virtutes cogitaſſe, quae ad probandi docendique artificium neceſſariae eſſent. Quod cum philoſophorum et inprimis Dialecticorum proprium eſſet, etiam *ſubtilitas* illa, qua horum ſollertiam et artem proprie et κατ᾽ ἐξοχὴν ſignificare ſolebant, orationis partibus iis tributa eſt, in quibus tractandis quaſi philoſophum quendam et Dialecticum orator agere videretur. vid. Cic. de Orat. 1, 15. 23. Tuſcul. 3, 23. et 5, 32. Sed vt quis recte probet et doceat, ingenio, et acumine et prudentia, et doctrina opus eſt, elocutionis autem forma ea, quae ad probandum, docendumque accommodata ſit, non graui et vehementi, vel picta et comta, ſed ſedata, humili, moderata, tenui. Vnde idem illud *ſubtile* genus dicendi, variatis nominibus *acutum* etiam, et *tenue*, et *humile*, et *remiſſum*, et *ſedatum* appellari, iisque oratoribus, qui in probando, docendo, disſerendo, rebusque acute videndis et inueniendis excellant, non *ſubtilitas* ſolum, ſed et *acumen* et *tenuitas* tribui ſolet. Ex multis Rhetorum locis, quae huc pertinere poſſint, pauca adferamus, e quibus, quae diximus, comprobemus. Cicero in Orat. 21. „Erit igitur eloquens, inquit, qui in foro cauſisque ciuilibus ita dicet, vt probet, vt delectet, vt flectat. Sed quot officia oratoris, tot ſunt genera dicendi: *ſubtile in probando*, modicum in delectando, vehemens in flectendo.“ Ibidem aptum et decorum eſſe negat, ſi quis de ſtillicidiis, in quibus nonniſi probandi et docendi induſtria opus eſt, verbis ampliſſimis, et locis communibus vtatur, de maieſtate autem populi *ſummiſſe* et *ſubtiliter* dicat. In Bruto 23. duas ſummas in oratore laudes, *vnam ſubtiliter disputandi, ad docendum*, alteram grauiter agendi, ad animos auditorum permouendos, commemorat. Locus autem Ciceronis claſſicus, in quo ſingulas *ſubtilitatis*, et elocutionis *ſubtilis* partes exponit, eſt in Orat. Cap. 23. Abſolutiſſimam *ſubtilis* oratoris imaginem ſiſtit, cuius omnia lineamenta huc redeunt, vt illa ſubtilitas maxime probando, docendo, disſerendo apta ſit, rerum maiorem, quam verborum aut ornamentorum curam habeat, et in omni elocutione verecunda et remiſſa, et tenuis reperiatur. „Talis orator ſummiſſus eſt, inquit, et humilis, conſuetudinem imitans, ab indiſertis re plus,

plus, quam opinione, differens. Itaque eum qui audiunt, quamuis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. Nam *orationis ſubtilitas*, imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimantibus, ſed nihil eſt experienti minus. Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum aliquem oportet, vt, etiamſi illis maximis viribus careat, ſit integra valetudine. Primum igitur eum tanquam e vinculis numerorum eximamus. Solutum quiddam ſit, nec vagum tamen. Verba etiam verbis quaſi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concurſu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, *de re, hominis, magis, quam de verbis laborantis*. Tum remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum: ne calamiſtri quidem adhibebuntur. Sermo purus erit et Latinus: dilucide planeque dicatur, quid deceat, circumſpicietur. Verecundus erit vſus oratoriae quaſi ſupellectilis. Ergo ille *tenuis* orator, modo ſit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priſcis, reliquisque ornamentis et verborum et ſententiarum demiſſior: translatione fortaſſe crebrior. Hoc ornamento liberius paullo, quam ceteris, vtetur hic *ſummiſſus:* nec tam licenter tamen, quam ſi genere dicendi vteretur ampliſſimo. Illam concinnitatem, quae verborum collocationem illuminat his luminibus, quae Graeci σχήματα appellant, adhibet quidem *hic ſubtilis*, ſed paullo parcius, ſunt enim pleraeque aptae huius ipſius oratoris, de quo loquor, parſimoniae. Nam illa, de quibus ante dixi, *huic acuto* fugienda ſunt, paria paribus relata, et ſimiliter concluſa, eodemque pacto cadentia etc. etiam illa ſententiarum lumina aſſumat, quae non erunt vehementer illuſtria. Non faciet rempublicam loquentem, non ab inferis mortuos excitabit. Valentiorum haec laterum ſunt, nec ab hoc, quem informamus, aut expectanda, aut poſtulanda. Erit enim, vt voce, ſic etiam oratione depreſſior." Haec Cicero. Sequuntur etiam in illo loco de actione, de riſu et ioco, huic ſubtilitati apto, praecepta, quae omnia moderationem et tenuitatem et verecundiam commendant. Iam planius intelligemus, quare Cicero Lyſiae, tanquam characterem, *ſubtilitatem* ſemper tribuat, vt de Or. 3, 7. in Bruto 8, 16. in Or. 31.

quare

quare Demoſthenis Leptineam ad orationes eius *ſubtiles* referat in Orat. l. c.: quare orationi ſuae pro Caecina idem dicendi genus ſummiſſum et ſubtile tribuat, Cap. 29. „Tota mihi cauſa pro Caecina, inquit, de verbis interdicti fuit: res inuolutas definiendo explicavimus, ius ciuile laudauimus: verba ambigua diſtinximus." Ergo totius huius orationis argumentum ita comparatum erat, vt Cicero neque grauitatem et vim oratoriam, nec ſuauitatem ex ornatu et elegantia, ſed ſolam adhibere poſſet probandi, definiendi, explicandi docendique ſubtilitatem. Nam cum in orationibus forenſibus ſaepenumero accideret, vt orator rei demonſtrandae, vel aduerſarii confutandi cauſa, ipſe computare, calculos ponere, haereditatem recenſere, et ſimilia, cogeretur, in qua quidem orationis parte neque copiam neque vim neque ornatum oſtendere poterat, ea omnia *ſubtilia* dici ſolent: *trockene, kalte Stellen, welche eher einen Philoſophen, oder Mathematiker, als einen Redner verrathen.* Sic Plinius Lib. 6. epiſt. 33. de oratione, quam Arria apud Centumuiros habuerat: „Sunt in ea multa elata, inquit, multa pugnantia, multa *ſubtilia*. Interuenit enim acribus illis et erectis, *frequens neceſſitas computandi, et paene calculos tabulamque poſcendi*, vt repente in priuati iudicii formam centumuirale vertatur." — Luculentus etiam locus eſt de Orat. 3, 8. vbi Sulpicius *limatus* et *ſubtilis*, hac veluti explicatione quadam addita, dicitur: *rem explicans propriis aptisque verbis, haeret in cauſa ſemper, et quid iudici probandum ſit, in eo mentem orationemque defigit.* Et Lib. 4. Epiſt. ad Diu. 4. cum Sulpicii ſcriptorum *ſubtilitatem* et *elegantiam* iunctim laudat, mihi quidem videtur ita omnem eloquentiae ambitum declaraſſe, vt *ſubtilitate* doctrinam et acumen, quae in rebus cognoſcendis tractandisque cernitur, *elegantia* autem eloquendi ſuauitatem et copiam ſignificaret. Neque adeo *linguae graecae ſubtilitatem elegantiamque*, quam Antonius apud Cic. de Or. 2, 7. Catulo tribuebat, ad ſolum modum eloquendi tenuem, gracilem et vrbanum, cui agreſtis et vaſta pronuntiatio oppoſita ſit, cum Strebaeo referam (*Feinheit, Delikateſſe in der Sprache*) ſed vtramque virtutem ita potius diſtinguendam exiſtimem, vt prior ad eruditam et quaſi θεωρητικὴν linguae ſcientiam, poſterior ad elegantiam quae proprie dicitur, hoc

eſt puritatem, ſuauitatemque eloquendi pertineat. cf. Brut. 35. vbi *elegans et eruditum* orationis genus, eodem ſenſu laudari videtur: (*theoretiſche und praktiſche Sprachfähigkeit*). His addo vnum Ciceronis locum, ex quo intelligatur, quam conſtanter ille ſubtilitatis notionem ſuſceptam retinuerit. Libro 1. de Orat. 5. in recenſu earum rerum, quae oratori futuro ſcitu neceſſaria ſint, haec quoque ponit: „Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque, et eruditio libero digna, celeritasque et breuitas et reſpondendi et laceſſendi, *ſubtili venuſtate atque vrbanitate coniuncta.* Rectiſſime quidem Erneſtius in Clau. Cic. docuit *ſubtilem venuſtatem* nunc eſſe, quae non emineat vno aliquo loco, vt lumina verborum, et ſententiarum, ſed quae per totam orationem aequabiliter fuſa, non niſi ab intelligentibus et peritis intelligatur. Nos autem illis etiam reſpondeamus, qui fortaſſe illius explicationis cauſam rationemque requirant. Nempe a *ſubtili venuſtate* in illo loco *celeritas* et *breuitas reſpondendi et laceſſendi* non aliter, atque alibi facetiae a dicacitate, diſtinguitur. Iam vero dicacem aliquem et breui celerique dicto acutum ſaepe ſola natura, ſaepe caſus temeritas efficit: (*der ſchnelle, überraſchende Witz, das Bonmot iſt oft nur das Werk einer natürlichen Anlage, einer augenblicklichen Stimmung, einer localen Veranlaſſung*) verum vt quis eam venuſtatem et vrbanitatem adhibeat, quae ſit per totam orationem aequabiliter fuſa et apta, *ſubtilitate*, h. e. acumine et ingenio literis, artibus, doctrina ſubacto opus eſt: *Feinheit des Witzes, der Laune, des Scherzes, welche einen ganzen Vortrag charakteriſirt, ſetzt Studium, Geiſt, Kunſt, und Wiſſenſchaft voraus.*

Neque vero huius Ciceronianae rationis, quam ſupra demonſtrauimus, diſſimilis Quintiliani diſciplina eſt. Libro 10, 1. 78. Lyſiam *ſubtilem* appellans, hoc addit: „quo nihil, ſi oratori ſatis ſit *docere*, quaeras perfectius.“ Eodem modo Lib. 12, 10. tria dicendi genera, *ſubtile*, grande vel robuſtum, et medium vel floridum appellat; quorum haec ratio ſit, vt primum *docendi*, ſecundum mouendi, tertium delectandi officium praeſtet. Eadem genera deinde ita eloquitur, vt primo *acumen*, ſecundo *grauitatem*, tertio *lenitatem* tribuat, et illud quidem *acumen in docendo verſari* notet.

Quo

Quo pertinet illud etiam, quod a Fauorino de Lyſia et Platone dictum refert Gellius N. A. 2, 5. „Si ex Platonis oratione verbum aliquod demas muteſque, de *elegantia* tantum detraxeris: ſi ex Lyſiae, de *ſententia.*" — Praeter haec, quae hactenus de *ſubtilitatis* notione disputauimus, omnino legendus eſt Manutius in doctiſſimo Commentario ad Cic. Ep. Lib. 4, 4. cf. quae nos ad vocc. *grauis, grandis, tenuis, acutus,* et in Lex. gr. techn. ad voc. *ἰσχνὸς,* et *ἀφελὴς* animaduertimus.

Reſtat vt declaremus, aeuo Senecae ita videri immutatam paululum rationem loquendi, vt *ſubtilitas* diceretur illa quoque virtus declamatoris, qua efficiebat, vt ſingulae controuerſiae quaeſtiones, de quibus dicturus erat, notae et apertae auditoribus eſſent, ne inſidias iis facere, aut aliquid callide disſimulare videretur. Sic enim Seneca Lib. 1. Controu. praef. p. 67. Bipont. Latronis Portii, facundiſſimi declamatoris, *ſubtilitatem* interpretatur: „Antequam dicere inciperet, ſedens, quaeſtiones eius, quam dicturus erat, controverſiae, proponebat; quod ſummae fiduciae eſt. Ipſa enim actio multas latebras habet, nec facile poteſt, ſi quo loco *ſubtilitas* deſuerit, apparere, cum orationis curſus iudicium audientis impediat, dicentis abscondat. At vbi nuda proponuntur verba, ſi quid aut numero, aut ordine excidit, manifeſtum eſt." Et paullo poſt: „Neſcio, inquit, an maximum vitium *ſubtilitatis* ſit, nimis ſe oſtendere. Magis nocent inſidiae, quae latent. Vtiliſſima eſt disſimulata ſubtilitas, quae effectu apparet, habitu latet." Quamuis et in hoc verbi vſu nonnulla illius primarii fontis, quem in principio monſtraui, veſtigia deprehendo. Nam ſi quis ita eſt accuratus, ſollicitus et religioſus, vt nihil disſimulet, vt ſedulo caueat, ne quid lateat, vel inſidiarum et calliditatis ſuſpicionem habeat, ſed operam potius det, vt ſint plana et definita et manifeſta, quae dicat, is vel hoc ipſo, quod oratoriam calliditatem et *τέχνην* reſpuens, nudam veritatem et euidentiam et rectam rationem philoſophorum ritu amplectitur, *ſubtilitatis* laude dignus videatur.

Speramus fore, vt, qui haec legerint, iam melius, quae vis *ſubtilitati* a veteribus tributa ſit, intelligant, quam qui ad Schelleri praecepta ſtili latini (Prooem.

 §. 11.)

§. 11.) confugerint, cuius diſputatione nihil inconſtantius eſt, nihil indoctius.

Succus.

Quam vim *ſuccus* habeat, ſi de virtute oratoris dicitur, patet e Ciceronis de Orat. 2, 22. vbi, cum Periclem in iis oratoribus numeraſſet, qui fuiſſent acuti, ſubtiles, breues, et ſententiis magis quam verbis abvndantes, eidem mox *ſuccum* tribuit, hoc eſt, orationem eam vim et formam, quae magis illa ſententiarum grauitate, veritate et vbertate excelleret, quam verborum cincinnis quibusdam ornata ſpecie externa deciperet. Vnde et ſimili metaphora alii *oſſa* et *nervos* eidem orationis generi tribuere ſolent. Gellius adeo Lib. 18, 4. *cutem* et ſpeciem ſententiarum, *ſanguini* et *medullae* verborum opponit. Et Cicero ad Attic. 4, 16. in alia quidem re, „amiſimus, inquit, omnem non modo *ſuccum* et *ſanguinem*, ſed etiam colorem et ſpeciem priſtinam ciuitatis.“ cf. quae ad voc. *color* dicta ſunt. In Bruto 9. „*Succus* ille, ait, et *ſanguis* incorruptus vsque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua *naturalis* eſſet, *non fucatus* nitor.“ In imagine autem oratoris *ſubtilis*, quem et tenuem, acutum, ſummiſſum appellat, et qui, quamuis ab ampliſſima grauitate abſit, tamen imbecillitate careat, hoc etiam veluti lineamentum quoddam adpinxit Orator. Cap. 23. „etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen *ſuccum* aliquem oportet, vt, etiamſi illis magnis viribus careat, ſit tamen *integra valetudine*.“ vid. voc. *Sanus*. Inprimis autem huc pertinet elegans locus Quintiliani Lib. 10, 2. 12. de imitatione: „Iis, quae in exemplum aſſumimus, ſubeſt natura, et vera vis: contra omnis imitatio ficta eſt, et ad alienum propoſitum accommodatur. *Quo fit, vt minus ſanguinis ac virium declamationes habeant, quam orationes; quod in illis vera, in his aſſimulata materia eſt.*“

Sufflatus.

Auctor Herenn. 4, 10. figuram ſ. genus dicendi *ſufflatum* appellat, quod grauitatem vitioſe excedit, vt tumor oriatur, in elocutione. Nam vt corporis bonam habitudinem, inquit, tumor imitatur ſaepe, ita grauis oratio ſaepe imperitis videtur ea, quae turget et

et inflata eſt, cum aut nouis aut priſcis verbis aut duriter aliunde translatis, aut grauioribus, quam res poſtulat, aliquid dicitur: *Schwulſt, Bombaſt.* Graeci ὀγκώδη, ὑπέτυφον ἑρμηνείαν, nominatim autem Proclus in Chreſtomath. apud Photium τὸ ἐπηρμένον εἶδος, nominarunt. Idem eſt *inflatum* et *corruptum* genus dicendi, quod Cicero Brut. 55. amplo oratori cauendum praecipit. Hi ſunt *ſufflati* et *tumidi*, qui pro vberibus fallunt, vt ait Gellius N. A. 7, 14.

Suffocatus.

Vox *ſuffocata* Quintiliano 11, 3. 51. vocatur, quae, dum vltra vires vrgetur, maiore niſu claritatem amittit. Ei affinis eſt *eliſa*, vnde ſonus erumpit immaturo gallorum cantui non disſimilis: *die überſchrieene, kreiſchende Stimme.*

Summiſſus.

Summiſſum dicendi genus, quod et lene, et temperatum et remiſſum appellatur, ad vitam et mores maxime accommodatum, ſignificationem habet affectuum mitiorum, (ἠθῶν) timoris, doloris, humanitatis, probitatis, oppoſitumque eſt contentioni, aſperitati oratoriae, quae ad τὰ πάθη et vehementiores affectus exprimendos adhibetur. vid. Cic. Or. 2, 13. Eodem ſenſu *ſuppreſſus* oratione dicitur, qui illo ſummiſſo et tenui orationis genere vtitur, apud Cic. Or. 25. Elegans inprimis locus eſt Cic. l. c. Cap. 8. vbi Demoſthenem in oratione pro Cteſiphonte, per gradus quosdam orationis ad ſummam contentionem procedere dicit. Itaque primum gradum ita definit, vt ſit *ſummiſſus*, h. e. tranquillior, ſedatior, et voce, et actione, et genere dicendi. Vnde *ſummiſſa* vox, qua leniter dicitur Cap. 17. Et Plinius Lib. 3. epiſt. 13. „Non affectanda ſunt, inquit, ſemper elata et excelſa. Nam vt in pictura lumen non alia res magis quam vmbra commendat, ita orationem tam *ſummittere*, quam *attollere* decet.“ Cui ſimillimum Quintiliani praeceptum eſt Lib. 8, 3. 21. „Non augenda ſemper oratio, ſed *ſubmittenda* nonnunquam eſt. Vim rebus aliquando et ipſa *verborum humilitas* adfert.“ vid. vocc. *Subtilis, Tenuis.*

Superlatio.

Gr. *ὑπερβολὴ*, oratio ſuperans veritatem, augendi minuendiue cauſa. Sic Auct. Herenn. 4, 33. Eandem eſſe, quae Lib. 1, 6. *exſuperatio* dicitur, opinatus eſt Graeuius, cuius ad illum locum adnotatio conferenda eſt. Cicero de Or. 3, 53. *veritatis ſuperlationem* et *traiectionem* vocat, eandemque formam in Orat. 40. his verbis deſignat: *ſaepe ſupra rem feret, quam fieri poſſit.* Et de Orat. 2, 66. cum docere vult, ſaepe facetiis et riſui hyperbolen quoque ſeruire, „*valde ridentur*, inquit, *etiam illa, quae minuendi aut augendi cauſa ad incredibilem admirationem efferuntur.*

Quintilianus Lib. 8, 4. 29. „Scio, inquit, videri poſſe quibusdam ſeriem amplificationis *hyperbolen* quoque: nam et haec in vtramque partem valet: ſed quia excedit hoc nomen (ſcil. amplificationis, et vltra aliquid ſignificat) in tropos differenda eſt.“ cf. Cap. 6, 68. vbi *ementientem ſuperiectionem* interpretatur, quoniam omnis hyperbole mentitur, non ita tamen, vt mendacio fallere velit. Tum eſt hyperbole virtus, cum res ipſa, de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum eſt, non poteſt.“

Supinus.

Qui in oratione circumducenda, verbis dilatanda, periodisque circumagendis modum excedit, quem iam Graeci ὕπτιον dixerant, vt in Lexico gr. techn. copioſe docuimus, apud Latinos Rhetores *ſupinus* dicitur. Itaque Quintilianus Lib. 10, 2. 17. „*otioſi* et *ſupini*, inquit, ſi quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuiſſe.“ Nouimus et hodie multos, cum doctrinae, tum latinitatis etiam fama ſatis celebratos, qui in periodis per plures, non dico, verſus, ſed paginas extenſis ita ſibi placent, vt illis legendis nec mens ad intelligendum, nec memoria ſufficere poſſit. Hos homines, vere ſupinos, et *ὑπνηλὲς*, *ἀναβεβλημένες* et *νωθρὲς*, quos Graeci vocant, hortamur, vt incipiant arti ſuae diffidere, et Quintilianum audiant. cf. Dial. de Oratt. Cap. 18. et inprimis Cap. 22. vbi vitia antiquitatis, quibus Ciceronis orationes laborent, ita deſcribuntur: „Lentus eſt in principiis, longus in narrationibus, *otioſus circa exceſſus*, tarde commo-

commouetur, raro incaleſcit etc." Atque eodem ſenſu Georg. Trapez. Lib. 5. Rhet. p. 83. *dormientem* et *ſomniculoſam orationem* (τὸ ὑπνηλὸν, ὕπτιον aut ἀναβεβλημένον τῆς ἑρμηνείας) *celeritati*, h. e. γοργότητι, vel τάχει τῆς λέξεως, opponit.

Supploſio.

Supploſio pedis, terram vehementer concutientis, pars actionis oratoriae, et παθητικῆς quidem, quam ſaepe Rhetores commemorant. cf. Cic. Orat. 1, 53. 3, 59. Brut. 38. Quintil. Lib. 10, 7. 26. 11, 3. 128. Fuſius de hoc genere disputauit Creſollius Vacc. Autum. Lib. 2. Sect. 1. p. 375. ſqq. cf. Senec. Epiſt. 75. vbi *ſupplodere pedem, manum iactare, attollere vocem*, vt oratoriae contentionis propria, iunguntur.

Suſpendere.

Quintilianus Lib. 11, 3. 35. ad *dilucidam pronuntiationem* inter alia et hoc requirit, vt obſeruemus, quo loco ſermo *ſuſpendendus* vel ſuſtinendus ſit, et quo *deponendus*. Iam illud *ſuſpendere* hanc vim habet, vt interuallis et moris quibusdam, verborum inciſis et interiectionibus a ſe inuicem distractorum, coniunctionem ſignificemus. Sic in Virgilianis: *Arma, virumque, cano, Troiae qui primus* etc. Hic poſt *virumque*, ſuſpendendus eſt ſermo, quoniam ea vox ad ſequentia pertinet: item poſt *Italiam*, quia interiectio, *fato profugus*, ſequitur. Cum autem venerimus illuc: *atque altae moenia Romae*, tum *deponitur* ſermo, quia integra ſententia finita eſt, h. e. finitur ſpiritus, longior fit mora, et ſequentia noua reſpiratione exordienda ſunt. Nam in priori genere diſtinctionis, quae fit *ſuſpendendo* et *ſuſtinendo*, vel ſine reſpiratione immorari debemus, vel ſaltem occulta, id quod *ſurripere ſpiritum* Quintilianus hoc loco appellat. Eodem ſenſu Lib. 11, 3. 46. *depoſitionem* ſententiae commemorat, cum ad finem ſententia non illa quidem plane eodem tenore profertur, ſed nec praecipitatur, verum moderato quodam flexu et inclinatione *deponitur*. cf. §. 38.

Suſpicio.

Suſpicio, vel *ſuſpiciones* a Rhetoribus dicuntur, cum accuſator, in narratione inprimis, rei facta vel

dicta omnibus modis ſuſpecta facit, quantum fieri poteſt, ſi forte ex aliqua tali vel leuiſſima macula, illius culpa augeri poſſit. Itaque apud Auct. Herenn. 2, 2. hoc praeceptum legitur: „In cauſa coniecturali narratio accuſatoris *ſuſpiciones interiectas et diſperſas* habere debet, vt nihil actum, nihil dictum, nusquam ventum aut abitum, nihil denique factum ſine cauſa putetur. Defenſoris narratio ſimplicem et dilucidam expoſitionem debet habere, *cum attenuatione ſuſpicionis.*" — Deinde vero etiam in conſtitutione coniecturali proprie *ſuſpiciones* dicuntur argumenta et περιστάσεις quae ad factum probandum vel arguendum proferuntur vel ex rebus vel perſonis. v. Cic. Inuent. 2, 12. 13.

Alia *ſuſpicio* eſt, quam in controuerſiis figuratis, ſ. coloratis, quas Graeci ἐσχηματισμένας, et χρώματα dixerunt, Quintilianus commemorat Lib. 9, 1. et 2. vbi ait genus illud eſſe cauſae, in quo *per quandam ſuſpicionem*, (ὑπόνοιαν Graeci vocant, vt docuimus in Lex. gr. technol.) quam non dicimus, accipi volumus aliud latens, et auditori quaſi inueniendum. Vnde Seneca Controu. Lib. 2, 9. *ſuſpicioſam* actionem vocat, quam rectae et apertae opponit. Et Lib. 3. Controu. 16. *Fuerunt et alii*, inquit, *qui non quidem palam dicerent, ſed per ſuſpicionem et figuras.* vid. quae ad voc. *Figura* diſputauimus, et Creſoll. Theatr. Rhet. p. 311.

Suſtentatio.

A Celſo Rhetore, teſte Quintiliano 9, 2. 22. *ſuſtentatio* dicta eſt, figura quaedam orationis, ſ. ſchema, quo, cum diu ſuſpendimus iudicum animos interrogando et dubitando, deinde aliquid inexſpectatum ſubiicimus, quod multo ſit peius et improbius iis, quae antea reprehenderamus. Eſt ſpecies quaedam *communicationis*, quam Graeci ἀνακοίνωσιν et ἰδιωτισμὸν dixerunt, coniuncta cum *inopinato*, quod παράδοξον appellatur. Ex illo loco hauſit, vt et alibi, Iulius Rufinian. p. 29. cum παράδοξον et ὑπομονὴν, *ſuſtentationem* et *inopinatum* coniungit. Hoc ſchema, inquit, ſuſpendit ſenſum, deinde ſubiicit aliquid contra exſpectationem auditoris, ſiue magnum, ſiue minus, et ideo *ſuſtentatio* et *inopinatum* dicitur. Cum autem nonnunquam dicendum ſit, *nobis ipſis aliquid inexpectatum* accidiſſe, fuerunt Rhetores, qui et hoc peculiare Schema facerent. His ſe accedere negat Quintilianus l. c.

Tardus.

T.

Tardus.

Vox tarda, lenta et molliter remiſſa, *das Adagio im Vortrage, in Rückſicht auf Stimme.* Sic Cic. Or. 3, 57. — *Tardum* ſermonem *traiectione* ſ. hyperbato effici, notat Quintil. 8, 2. 14. *ſchleppend, nachhinkend.* — *Tarda principia* Cicero de Or. 2, 53. commemorat, vbi praecipit, vt ne orator, ſiue contentione ſiue lenitate vti velit, ſtatim aſſiliat ad vtrumuis hoc dicendi genus, ſed pedetentim accedat. vid. *Spiſſus*. Antea quoque Cap. 50. eadem metaphora *ſerpere* orator dicitur, qui pedetentim ad cauſam tractandam accedit. — *Tardos* in dicendo, qui verba lente adnumerant, et, vt Martialis ait Lib. 8. epig. 7. *horis decem verba novem dicunt*, Seneca Epiſt. 40. *ſtillare verba*, ſimili atque ſignificantiori etiam metaphora, dixit. De hoc tarditatis vitio, quicquid veteres ſenſerint, congeſſit Creſollius Vacat. Autumn. Lib. 3. p. 546. ſq.

Tenuis.

Genus dicendi *tenue*, in vtramque partem Rhetoribus latinis dici ſolet. Vbi cum laude commemoratur, illum notat elocutionis characterem, qui *ἰσχνὸς* Graecis vocatur (cf. Trapezunt. Lib. 5. Rhet. p. 76. ex Hermogene hoc genus explicans) habetque venuſtatem et elegantiam ſedatiorem, moderatioremque, et ab elato, vehementi, graui, amplo, acri dicendi genere abhorret. Putidum foret, ſingula Rhetorum loca recenſere, in quibus hanc vim illa vox habeat. Nam haec quidem vis perpetua diſciplinae Rhetoricae conſuetudine firmata reperitur, vt docuimus cum alibi, tum ad voc. *Grandis*, *Grauis*, *Subtilis*. Suffecerit igitur vnum alterumque locum, inprimis perſpicuum et claſſicum, attuliſſe. Sic Cicero in Orat. 9. „Pericles, ait, ſi *tenui genere* vteretur, nunquam ab Ariſtophane poeta fulgere, tonare, et permiſcere Graeciam dictus fuiſſet." Scilicet hoc, fulgere, tonare, grauitatis tantum et vehementiae eſt, tenuitatique contrarium. vid. Lex. gr. techn. in *ἐπιστράπτεσθαι*. et quae congeſſit Creſoll. Vacat. Aut. Lib. 1, 10. p. 75. Paullo poſt *tenuis* et *inornatus* iunctim commemoratur, ob moderationem illam, qua quis magis docendo, quam con-

cinnando aut inflammandis animis occupatur. Quo ſenſu etiam Lyſias ſubtilis et elegans dicitur, quae quaſi tenuitatis illius ſpecies et adiunctae virtutes ſunt. cf. Quintil. 2, 16. 19. et 12, 10. 65. vbi idem dicendi genus *gracile* et *ſubtile* dicitur: plane vt apud Gellium N. A. 7, 14. vbi et Critolai, cui *χαρακτῆρα ἰσχνὸν*, *gracilem* antea deſcriptum, tribuit, oratio *ſcita* et *teres* ita vocatur, vt vtramque hanc virtutem ad illud genus retuliſſe videatur. His addendus eſt locus Cic. de Or. 3, 52. in quo *tenui* orationis characteri hoc tamen tribuitur, vt ſine neruis et viribus non ſit. Nempe ſi hoc eſſet, tum contrarium tenuitati huic vitium *ieiunitatis* haberet. — Inprimis autem, vbi de Atticae orationis gratia et virtute ſermo eſt, vt apud Quintil. 12, 10. *tenuitas*, quae et cum gracilitate et ſubtilitate iungitur, ineſt in ſuauitate iſta et quaſi teneritate, qua lingua Attica in compoſitione vniuerſa et ſingularum literarum ſono ceteras linguas antecellere credebatur, v. c. Latinam, in qua magis pinguetudo quaedam et robur, aſperitasque ineſſet; *die Zartheit, die Delikateſſe der Attiſchen Sprache und Mundart.* Capta eſt in his ſimilitudo gratiae et pulcritudinis muliebris, quae gracilitatem et ſubtilitatem quandam corporis et membrorum deſiderat, pinguetudine autem et craſſitudine obruitur. Quo ſenſu Lib. 9, 4. 17. Lyſiae dicendi *textum tenue* et *rarum* tribuiſſe videtur, ita tamen, vt ad artificioſae compoſitionis penuriam, et ſimplicitatem quandam coloris referat. Nam in tali texto laxiora veluti vincula ſunt, ſolutioresque numeri, quam in oratione compoſita et *contexta* et *vincta*, vt Quintilianus appellat, in qua omnia fluunt et cohaerent, et verba de verbis trahuntur, quae omnis forma tenui et raro texto oppoſita eſt.

Tenuis vox, commemorata Quintiliano 11, 3. 32. haud dubie eſt, quam *exilem* alibi vocat, Graeci *ἰσχνὸν*, *die zarte, dürſtige, kraftloſe Stimme.* Quae eodem in loco commemoratur *inanis vox*, difficile dictu eſt, quanam ratione ab illa diuerſa ſit. Valere tamen poſſit Geſneri interpretatio, *in qua nihil ſit praeter conatum*, h. e. quae id ſonis non praeſtat, quod hiatu et conatu dicentis promittere videtur. cf. quae in eandem ſententiam copioſius ad voc. *inanis* diximus.

Tepi-

Tepidus. vid. *Mediocris.*

Teres.

Ob notionem venuſti decoris, elegantiae et laeuitatis, quam animo adfert, quicquid tornatum et tereti forma elaboratum cernitur, Ciceroni *aures teretes*, exquiſita translatione, appellantur, quae illius venuſtatis et gratiae verbis et elocutioni adiunctae facilem acutumque ſenſum habent. Haec certe talia cogitauit Cicero, cum Orat. 8. *aures teretes* et *religioſas* dicebat. vid. voc. *religio.*

Orationis *teretis*, quam et *plenam* appellat Cic. Orat. 3, 52. praeclara explicatio extat in Claue Cic. „*Ducta metaphora eſt a membris corporis humani ſucculentis, et hinc teretibus, quae in primis pulcra ſunt: vnde teretia brachia, teretes ceruices laudantur.* Teres *igitur* oratio *eſt, quae habet copiam rerum, et verborum, et ornamentorum, neque tamen nimiam, ne tumor conſequatur, quo accedente, vt membrum in corpore, ſic oratio tumida et deformis fit.*“ cf. Cic. Or. 23. quem locum ad voc. *ſubtilis* expreſſimus. Nam in iſta ſubtilitatis Atticae, vel elegantis tenuitatis imagine, eadem fere lineamenta adumbrata videmus. vid. Caſaubon. ad Perſii Sat. 5. p. 368. Ceterum a metaphora illa, quam *tornus* ſuppeditabat, *tornatum* etiam et *detornatum* in oratione dictum eſt, quicquid ex breuitate vel acumine ſententiarum vel concinnitate quandam veluti rotunditatem trahat, ex qua ſimul concinnandi et acute dicendi cura vel affectatio appareat. Ita Gellius N. A. 9, 8. ſententiam eiusmodi Fauorini *detornatam pauciſſimisque verbis incluſam* appellat. vid. quae ad hunc locum Gronouius in notis disputat, et cf. quae nos in Lex. gr. techn. ad ἔντορνος, et ἀποτορνεύειν diximus.

Teres vox, quam disputationibus aptam iudicat Quintil. 11, 3. 64. ſine dubitatione eſt, quam volubilem, expeditam, celeremque alibi appellare Rhetores ſolent. Nam quicquid teres, h. e. rotundum eſt, celerius mouetur; et ipſae disputationes, cum interrogando reſpondendoque abſoluantur, ingenii acuminisque quandam celeritatem deſiderant, quam non niſi ipſa vocis celeritas aſſequi vel exprimere poteſt.

Teſti-

Teſtimonium.

Ciceroni in Topicis Cap. 19. eſt omne id, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. Haec argumentatio enim, in teſtimonio poſita, *expers artis* vocatur, ex diſciplina Graecorum, qui πίστεις ἀτέχνυς appellarunt, latiori quidem ſenſu, vt in Lex. gr. techn. ad voc. πίστις oſtendimus. Quamuis et Cicero ad res illas externas pleraque refert, quae Graeci illi ad fidem faciendam apta iudicarent. cf. Partit. Orat. Cap 2. vbi *teſtimonium* in diuinum et humanum diſtinguitur, et ad vtrumque non ſolum oracula, auſpicia, ſed et ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quaeſita, referuntur.

Tinnulus.

Vox Quintilianea, ex Lib. 2, 3. 9. vitium notans eorum ſcriptorum, qui κακοζηλίᾳ ducti, compoſitionis concinnitatem, numeros et ornatus ambitioſe ſectantur. vid. quae in Lex. gr. techn. ad κώδωνας diximus. Huc et *tinnitus* Gallionis pertinent, commemorati ab eodem Quintil. 3, 1. 21. et repetiti ab Auct. Dial. de Oratt. Cap. 26. vbi vid. Schulzius.

Tonare. vid. *Tenuis.*

Torquere.

In contentionis oratoriae parte ea, quae in continuatione cernitur, qualis vox dicentis eſſe debeat, docturus Auctor Herenn. 3, 14. ita praecipit: „Cum autem contendere oportebit; quoniam id aut per continuationem, aut per distributionem faciendum eſt: in continuatione, adaucto mediocriter ſono vocis, verbis continuandis, *vocem quoque iungere oportebit, et torquere ſonum*, et celeriter cum clamore verba conficere, vt vim volubilem orationis vociferatio conſequi poſſit.“ Si veriſimile eſſet, auctorem, cum paullo antea *vocem a ſermone ſerio ad liberalem iocum torquendam*, h. e. inclinandam, immutandam, praecepiſſet; paucis verſibus interiectis, *torquere ſonum*, alio ſenſu, aliaque metaphora dixiſſe, de duplici fere metaphora cogitari poſſet, quarum altera ducta a fune torto, arctioris cohaerentiae, et longioris nexus notionem adferret, altera, qua iaculum, telum, haſta *torqueri* dicitur, acrioris conatus et impetus ſignificationem haberet.

ret. Sed ea eſt membrorum totius loci concinnitas, vt, quem antea *adauctum ſonum* dixerat, eundem mox praecipere videatur, *torquendum* eſſe, h. e. cum aliquo impetu et laterum viribus inclinandum, inflectendum, immutandum.

Torrens.

Torrens dicendi ratio eſt, quae perpetuam, et nunquam intermiſſam concitationem et impetum habet. Sic Quintil. 3, 8. 60. vbi. poſtquam in cauſis ſuaſoriis vel conſultatione initio furioſo exclamandum eſſe negaſſet, ita pergit: „Cur autem *torrens*, et *vbique aequaliter concitata* ſit in ea dicentis oratio, cum vel praecipue moderationem rationemque conſilia deſiderent?“ Mox etiam *impetum dicendi* commemorat, tumultuoſum, turbidum: quae omnia ad eandem metaphoram ſeruandam pertinent. cf. Lib. 12, 10. 61. vbi grauis et vehemens orator deſcribitur, *qui ſaxa deuoluat, et ripas ſibi faciat, multus et torrens, iudicem vel nitentem contra, ferat, cogatque ire, qua rapit.* Sic et Macrob. Saturn. 5, 1. Ciceroni abundans, *torrens*, copioſus eloquentiae tenor tribuitur, idemque mox dicitur *fluere* et *redundare.* Capite autem 13. *torrentis orationis ſonitus* commemoratur, vt apud Auſon. Profeſſ. 1, 17. *torrens dicendi copia.* cf. 21. 20. Legenda inprimis eſt plena ſimilium metaphorarum epiſtola Senecae 40. vbi, cum rapidam nonnullorum dicendi volubilitatem, immoderatumque impetum reprehendiſſet, orationis vim ita definit: habeat magnas vires, moderatas tamen: *perennis ſit vnda, non torrens.* Iam obſcurum non erit, quo ſenſu *torrens* Iſaeus Iuuenali Satyr. 3, 74. et Homerus Sidonio Apollin. Carm. 23. dictus ſit.

Tractatio. Tractare.

Cicero de Orat. 1, 12. ſin. orationis *tractationi* diſerte hoc tribuit, vt oratio grauis, ornata, et hominum ſenſibus mentibusque accommodata fiat ſtudio et artificio oratoris. Haec enim propria fere eſt oratoris tractatio, cum ſit commune multis, vt de variis rebus vulgari modo et exiliter dicatur. In genere autem *tractatio* de omni inuentorum et excogitatorum apta expoſitione dicitur, quam ἐργασίαν Graeci vocarunt: *Verarbeitung, Ausführung, Behandlung des Stoffes, Ausarbei-*

arbeitung. Sic Cicero de Or. 2, 41. „nequaquam ſatis eſt, inquit, reperire quid dicas, niſi id inuentum *tractare* poſſis. Tractatio autem varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem, qui audiat, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate etc." Nempe rudia plerumque et cruda ſunt, quae reperimus: orator iam tractat, manum adhibet, format, fingit. cf. Orat. Cap. 35. Iam intelligi poterit, quid ſit, quod Cicero in Bruto 55. de Cotta iudicat:" Nihil erat in eius oratione, inquit, niſi ſincerum, nihil niſi ſiccum et ſanum: illudque maximum, quod, cum contentione orationis flectere animos iudicum vix poſſet, nec omnino eo genere diceret, *tractando tamen impellebat*, vt idem facerent a ſe commoti, quod a Sulpicio concitati," hoc eſt, ſuo dicendi modo, docendo, perſuadendo, argumentando, inſinuando, idem ille efficiebat, quod Sulpicius vehementior orator ſola contentione ſua, et ſuo impetu dicendi repente efficere poterat: *Sulpitius beſtürmte die Herzen: Cotta beſtimmte ſie, ohne jene gewaltſamen Mittel, zu denſelben Geſinnungen und Entſchließungen.* Vt, cum ventus pileum de capite deturbat, ſol radiis lente immiſſis vrget, vt ſponte caput nudemus: ventus contentione, ſol *tractando* idem efficit. — Valde affine huic *tractandi* artificio eſt, quod ad iucunditatem refert Quintilianus 10, 1. 110. Ciceronem laudans: „Cui tanta vmquam iucunditas affuit, vt ipſa illa, *quae extorquet, impetrare eum credas*, et cum transuerſum vi ſua iudicem ferat, tamen ille *non rapi videatur, ſed ſequi.*" Neque minus elegans acumen eſt Senecae Epiſt. 100. quo eandem rem expreſſiſſe videtur: „Si me interrogas, maior ille eſt, *qui iudicium abstulit* (quod ipſum fit tractando) *quam qui meruit* (quod cura dictionis, et fingendi ſtudio, ſaepe etiam opprimendo, irruendo, oppugnando fieri ſolet.)

Claſſicus locus, vnde exquiſita *tractandi* vis intelligi poſſit, mihi viſus eſt Quintiliani 10, 1. 19. vbi de lectione recte moderanda haec praecipit: „Repetamus autem et *tractemus*, et vt cibos manſos et prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita et veluti confecta, memoriae imitationique tradatur." Quod igitur in digeſtione ciborum mandendo et liquefaciendo praeſtatur, id in lectione *tractando* efficitur, dum

repeti-

repetimus animo, quae legimus, eorumque vim et ſenſum omnem ita percipimus, vt, quod aiunt, in ſuccum et ſanguinem vertamus.

Simili quodam ſenſu, at peculiari tamen, eodem *tractandi* verbo vtitur Auctor Herenn. 4, 42. Ibi ad expolitionem hoc refertur, vt eandem rem commutate dicere poſſimus. Ea commutatio fieri dicitur tripliciter, verbis, pronuntiando, et *tractando*, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, ſi ſententiam traiiciemus ad ſermocinationem, aut ad exſuſcitationem. Ex qua quidem interpretatione patet, *tractare* nunc nihil eſſe aliud, niſi ſententiam aliquam variis formis, σχήμασι, efferre, quod ipſum Graeci τὸ σχηματίζειν dixerunt. Nam res et ſenſus manet, forma mutatur, id quod *mutatione figurare* orationem dicit Quintilianus 10, 1. 12. Ceterum alienum eſt, quod Geſnero ad Quintil. 9, 2. 37. in mentem venerat, huic loco Quintiliani obſcuro lucem ex illa *tractandi* notione illuſtranda accendi poſſe. Neque recte mihi vir idem ſummus ſtatuere videbatur, cum exiſtimaret *tractationem* a Cicerone in Partit. Or. Cap. 5. dici eandem, quam *declinationem* et *tractum verborum* appellet Quintil. 8, 3. 31. Nam cum Cicero duplex verborum diſcrimen fieri docet, *natura* et *tractatione*, haec tractatio, quoniam naturae opponitur, nunc vniuerſam verborum immutationem ſignificat, quae artis ope et ingenio quodam oratoris, vt tropis, figuris, aliisque formis ornantibus, efficitur. Hunc ſenſum Cicero in ſequentibus ipſe declarat. Nam *naturae* tribuit, vt alia verba ſint ſonantiora, grauiora, leuiora, nitidiora: *tractationi* autem, vt varie transferantur, immutentur, inflectantur etc. vid. *Tractus.*

De *tractatoribus*, quo nomine aliquo tempore Sophiſtae et oratores appellati ſunt, vid. Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 2. p. 160.

Tractus.

In tarda pronuntiatione, *tractum* verborum commemorat Cic. de Or. 2, 50. quam et *haeſitationem* dicit. Sermo eſt autem de ea tarditate et haeſitatione, quam timor quidam oratoris, intimo cauſae ſuae ſenſu, et periculi cogitatione affecti, efficeret, ita tamen, vt hic ipſe affectus animos audientium recte et vtiliter permoueret. — Quintiliano autem Lib. 8, 3. 32. *tractus*

ctus verborum dicitur de ea productione, qua verba deriuata extenduntur, et ſyllabis creſcunt, vt *ſullaturit*, *παραγόμενα* Graecis dicta. Ab illo tractu leui nota diſtinguit *declinationem*, quae fit deriuatione ex primitivis, vt *beatitas*, et *beatitudo*. — Quo ſenſu idem Lib. 4, 2, 118. *elocutionum tractus* dixerit, ad voc. *Ductus* notauimus. Ab vtraque vero ſignificatione diuerſa eſt etiam, qua pro omni orationis habitu et veluti corpore, *tractum* dixit Lib. 9, 4. 61.

Traductio.

Figura verborum, *repetitioni*, tanquam generi, ſubiecta ſpecies, quae facit vt, cum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat, ſed etiam concinniorem orationem reddat. Sic Auctor Herenn. 4, 14. hoc vſus exemplo: *Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non poteſt colere.* Ex eodem genere exornationis, iudice eodem Rhetore, eſt, cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo: *Cur eam rem tam ſtudioſe curas, quae multas tibi dabit curas?* item: *amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari.* Graecorum igitur eſt *ἀνταναάκλασις* a Cicerone in Orat. 39. ita ſignata: *cum continenter vnum verbum non in eadem ſententia ponitur.* — Quintilianus 9, 3. 70. poſtquam vim *ἀντανακλάσεως* expoſuiſſet. *aliter quoque*, inquit, *voces eaedem diuerſa in ſignificatione ponuntur, aut productione tantum vel correptione mutatae, quam Cornificius* traductionem *vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum.* Denique et pro metonymia, qua totum pro parte ponitur, dixiſſe videtur Cicero de Orat. 3, 42.

Traiectio.

Traiectio in alium, a Cicerone inter lumina orationis vel figuras ſententiarum notata de Orat. 3, 53. videtur eſſe, quae et *remotio*, graece *μετάστασις* dicitur. Eandem videtur ſignificare in Orat. 39. *in eo ipſo, in quo reprehendatur, culpam in alium conferat;* quam Aquila Rom. p. 16. *transmotionem* appellat. Ita, cum Antonius Ciceronem belli ciuilis cauſam fuiſſe dixiſſet, hic, *tu, tu*, inquit, *Marce Antoni, princeps C. Caeſari perturbare omnia cupienti, cauſam belli contra patriam inferendi dediſti.*

Quintilianus autem Lib. 8, 2. 14. *traiectionem* appellat, quam ὑπερβατὸν Graeci dicunt. Ciceroni *transgreſſio* appellata eſt: quamuis idem *traiicere verba* ita dixit, vt eadem illa τȢ ὑπερβάτȢ forma intelligi debeat. Sic in Orat. 69. aliquoties, et luculento in loco.

Denique Cicero de Or. 3, 53. veritatis ſuperlationem et *traiectionem* commemorans, quae minuendi augendique cauſa fiat, haud dubie ὑπερβολὴν Graecorum expreſſit. vid. *Superlatio*.

Transgreſſio.

Graecorum ὑπερβατὸν, figura, quae verborum perturbat ordinem peruerſione aut traiectione. Sic Auctor Herenn. 4, 33. cf. Cic. Orat. 3, 54. Quintilianus Lib. 8, 6. 62. huius tropi, cum virtute adhibiti, hanc cauſſam reddit: „Fit enim frequentiſſime aſpera et dura et diſſoluta et hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur, et vt quodque oritur, ita proximis, etiamſi vinciri non poteſt, alligetur. Differenda igitur quaedam, et praeſumenda, atque, vt in ſtructuris lapidum impolitiorum, loco, quo conuenit, quidque ponendum." — Itaque Cicero etiam l. c. verborum *concinnam* transgreſſionem dicit, h. e. quae fit cum virtute, et ad concinnitatem orationis adiuuandam. — „Cum autem, Quintilianus pergit, illa ordinis perturbatio fit in duobus tantum verbis, ἀναστροφὴ dicitur, latine *reuerſio*, vt in *mecum*, *tecum*, *quibus de rebus*. Poetae etiam *diuiſionem* verborum et *transgreſſionem* facere ſolent, vt in his: *Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni;* quod genus ab oratione alienum eſt." — Notat etiam Quintilianus, hyperbaton oratorium pro figura potius quam tropo habendum eſſe, quoniam non ſignificatio, ſed ſola ſtructura orationis mutatur: illud autem poeticum genus in tropis numerari poſſe, quia mutet ſignificationem et naturam dictionis. Haec nempe ſubtiliora ſunt. Nam, niſi quis cauillatione vtatur, is in figuris numerandam eſſe illam transgreſſionem fateatur neceſſe eſt. In hanc ſententiam etiam ipſe inclinat Quintilianus Lib. 9, 1. 6. „*In hyperbato*, inquit, *eſt mutatio ordinis: ideoque multi tropis hoc genus eximunt. Transfert tamen verbum aut partem eius a ſuo loco in alienum. Horum nihil in figuras cadit. Nam et propriis verbis et ordine collocatis fieri figura poteſt. Nomine*

mine fateor eſſe communia haec, et ſcio quam multiplicem habeant, quamque ſcrupuloſam diſputationem. Nihil enim refert, quo modo appelletur vtrumlibet eorum, ſi, quid orationi proſit, apparet. Ego quidem, non ex hoc ſolum, ſed et aliis ex locis coniectura ducta, Quintilianum ſemper exiſtimaui valde illo multorum eruditorum vitio laboraſſe, quod recentiores verborum architecti *egoiſmum* dicunt. Vbi enim aliorum Rhetorum ſententias, iis, quae ipſe aliquando ſtatuerat, contrarias commemorat, quamuis illos non poſſit erroris conuincere, tamen alienae ſententiae commemorationem cum ſuae commendatione tam callide miſcet, vt non cauillatum eſſe, ſed argumentis pugnaſſe credant, qui animum non aduertunt. — Libri eiusdem Cap. 3, 24. *hyperbaton*, non illud, quod inter tropos eſſe voluerunt, ſed ἀποστροφῆς figurae ſimile, commemorat, quod hanc vim habeat, vt non ſenſus mutetur. ſed forma eloquendi, vt in his: *Decios, Marios, magnosque Camillos, et te, maxime Caeſar.* Sed nonne iſta putida ſubtilitas eſt, quae in ipſis figuris figuras indaget? Satis erat in illiusmodi exemplis apoſtrophen agnoſcere; cur etiam hyperbaton, in conſtructione inprimis verborum bona et ſimplici? Ergo Quintilianus, tanquam ipſe minutias iſtas faſtidiens, addit: *qui tam parua momenta nominibus discreuerunt,* μετάβασιν *vocant.* Ceterum hyperbati culpam ab eo quoque contrahi, qui longiori parentheſi conſtructionis grammaticae ordinem egreſſus ſit, intelligi poteſt ex Plinii Lib. 8. epiſt. 7. vbi in tali loco ſe ipſum hyperbati commiſſi accuſat. De hac dicendi forma conferri etiam vtiliter poteſt Bergerus de nat. pulcrit. Orat. p. 185.

Tranſitio.

Hanc Auctor Herenn. Lib. 4, 26. in exornationibus ſeu figuris ſententiarum commemorat, ita quidem eius vim definiens: *oſtendit breuiter, quid dictum ſit, proponit item breui quid ſequatur.* Neque aliam ſignificationem habere videtur illa figurae deſcriptio Ciceroniana Lib. 3. de Or. 53. *propoſitio, quid ſis dicturus, et ab eo, quod eſt dictum, ſeiunctio.* Hoc enim in omni tranſitu fieri ſolet; quem tamen ad figuras referendum eſſe negat Quintil. 9. 2. 61.

Trans-

Tranſlatio.

Quadruplicem huius vocabuli vſum in diſciplina Latinorum Rhetorica deprehendimus. Primum in eo loco, qui de ſtatibus, ſeu cauſae conſtitutionibus exponit, *translatio* appellatur pars conſtitutionis legitimae, ex qua controuerſia naſcitur, cum aut tempus differendum, aut accuſatorem mutandum, aut iudices mutandos reus dicit. Sic Auctor. Herenn. 1, 12. Idem Lib. 2, 12. „in *translationibus*, inquit, quaeritur primum, num aliquis eius rei actionem, petitionem, aut perſecutionem habeat, quam non oporteat: num alio modo, tempore, loco, num alia lege, alio quaerente, aut agente." Huius conſtitutionis, quam Graeci μετάληψιν vocarunt, Hermagoras inuentor exiſtimabatur, quia, iudice Quintil. 3, 6. primus eam animaduerterit, et in numerum conſtitutionum retulerit. — Cicero, qui quatuor cauſarum conſtitutiones ſtatuit Lib. de Invent. 1, 11. *translatiuam* conſtitutionem, quam quartam facit, appellat, cum aut quem, aut quicum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quaeritur, aut omnino aliquid de commutatione aut infirmatione actionis agitur, quia actio, vt ait Cap. 8. *translationis* aut *commutationis* indigere videtur. cf. Lib. 2, 19. vbi hoc genus conſtitutionis, cum locis ſuis, vberius explicatur. Ceterum idem hoc cauſae genus, Cicero l. c. obſeruat, raro incidere propterea, quod et praetoriis exceptionibus (παραγραφαῖς) multae actiones excludantur, et ita ius civile Romani conſtitutum habeant, vt cauſa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Illis exceptionibus contrarium eſt, quod *iudicium purum* Cicero l. c. Cap. 20. appellat, εὐθυδικία Graecorum, de qua vid. Lex. gr. technol. in μετάληψις. — Quintilianus Lib. 7, 5. quatuor iſta conſtitutionum genera ita deſcribit: „Qui neque feciſſe ſe negabit (per ſtatum coniecturalem ſ. infitialem) neque aliud eſſe, quod fecerit, dicet, (per ſtatum finitiuum) neque factum defendet (per ſtatum qualitatis) neceſſe eſt, *in ſuo iure conſiſtat*, in quo plerumque eſt *actionis quaeſtio.*" Alibi, quam nunc actionis quaeſtionem dicit, *translationem* cum aliis Rhetoribus appellauit, vt Lib. 3, 6. 68. 83. item Lib. 5, 13. 8. Eius disceptationis duas formas facit, *intentionem*, quae eſt actoris vel petitoris, et *praeſcriptio-*

 nem,

nem, quae eſt rei, cum is ſe exceptione quadam contra totam actionem munit. Haec Graecis παραγραφὴ dicta eſt, de qua in Lex. gr. technol. ad voc. μετάληψις plura disputauimus. cf. Sulpic. Victor Inſt. Rhet. p. 262. Pith. vbi hunc locum ex Graecorum, Zenonis maxime, diſciplina tractat; Georg. Trapez. Lib. 1. Rhetor. p. 11. Ald. et Voſſ. Inſt. Orat. Lib. 1. pag. 170. ſq.

Translatio criminis eſt modus defendendi, vel culpae amoliendae in cauſa iudiciali, *cum feciſſe nos non negamus, ſed aliorum peccatis coactos feciſſe dicimus*, vt cum Oreſtes ſe defendit, in matrem crimen confert. Sic Auctor Herenn. 1, 15. Eſt illa pars eius generis quae *remotio criminis*, Graecis μετάστασις dicitur. vid. Cic. de Inu. 1, 11. Quintilianus Lib. 7, 4. 13. „Si defenſio neque per ſe ipſam, inquit, neque adhibitis auxiliis dabitur, proximum eſt, *in alium transferre crimen*. cf. Aquila Rom. p. 155. Ruhnk. vbi μετάστασιν, *transmotionem* quidem interpretatur, ſed ab ea diſtinguit, quae ſpeciem quandam ſtatus qualitatis ſignificet. vid. *Transmotio*, *Remotio*, et μετάστασις in Lex. gr. technol.

De *translatione temporum*, quam Quintil. 9, 2. 41. τῇ διατυπώσει ſubiicit, iam in Lex. gr. technol. ad voc. μετάστασις diximus.

Reſtat vt de *translatione* ea, quam μεταφορὰν Graeci vocarunt, potiores Rhetorum ſententias tradamus. Ciceronis quidem locus claſſicus eſt Lib. 3. de Orat. 38. ſqq. vbi *transferendorum verborum* originem et rationem praeclare exponit. „*Translatio* verbi, inquit, inſtituta eſt inopiae cauſa, frequentata delectationis. Quod enim declarari vix verbo proprio poteſt, id translato cum eſt dictum, illuſtrat id quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo poſuimus, ſimilitudo. Ergo hae translationes veluti mutuationes ſunt, cum quod non habeas, aliunde ſumas. In translationibus fugienda eſt 1) disſimilitudo 2) videndum, ne longe ſit ſimile ductum (quam *duram* metaphoram appellat Quintil. 8, 6. 17.) 3) fugienda omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahit ſimilitudo (*humiles*, *ſordidas*, *deformes* metaphoras vocat Quintil. l. c.) 4) ne ſit in translatione maius, quam res poſtulat, nec minus. 5) ne ſit verbum anguſtius

anguſtius id quod transfertur, quam fuiſſet illud proprium. Durior metaphora mollienda eſt propoſito ſaepe verbo, v. c. *vt ita dicam.*" Alio in loco Orator. Cap. 27. Cicero a *translatis* diſtinguit *mutata*, ita vt illa ad metaphoram, (quam de vtroque genere promiſcue Ariſtoteles dixit) haec ad tropos pertineant. „*Translata* dico, inquit, quae per ſimilitudinem ab alia re, aut ſuauitatis, aut inopiae cauſa, transferuntur; *mutata*, in quibus pro verbo proprio ſubiicitur aliud, quod idem ſignificat, ſumtum ex aliqua re conſequenti. Hanc hypallagen Rhetores, metonymiam Grammatici vocant." (vid. Quintil. 8, 6. 23.) *Translatio continua* ibidem dicitur, quam Graeci *ἀλληγορίαν* appellarint; de qua vid. Quintil. 8, 6. 14. Talis eſt in illis Terentii Eunuch. Act. 1. Scen. 2. „Quae vera audiui, taceo, et *contineo optume;* Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt. *Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo.*" Itaque interpres ad h. l. haec notat: *ἀλληγορεῖ* ſeruus, qui modo dixerat eadem metaphora, *contineo optume.* Quam vim et vſum oratorium translationes illae habeant, Cicero in Orat. 39. breuiter ita monet: *Ex omni genere frequentiſſimae translationes erunt, quod eae propter ſimilitudinem transferunt animos et referunt, ac mouent huc et illuc: qui motus cogitationis, celeriter agitatus, per ſe ipſe delectat.*

Ex Quintiliano pauca delibemus. Libr. 8, 6. „incipiamus, inquit, ab eo tropo, qui cum frequentiſſimus eſt, tum longe pulcherrimus, *translatione* dico, quae *μεταφορὰ* Graecis dicitur. *Transfertur* enim nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium eſt, in eum, in quo aut proprium deeſt, aut translatum proprio melius eſt: idque facimus, aut quia *neceſſe* eſt, aut quia *ſignificantius* eſt, aut quia *decentius.*" Mox ſimili genere loquendi *arceſſita* nominat, quae plerumque *translata* vocare ſolet. Ibidem etiam notat metaphoram breuem eſſe ſimilitudinem, eoque diſtare, quod illa comparatur rei quam volumus exprimere, haec pro ipſa re dicitur. Tum in ſequentibus et ipſam vim metaphorae, et vitia exponit atque exemplis illuſtrat. Aliis in locis paſſim ea commemorat, quae eidem cognoſcendae ſeruire poſſint, vt Lib. 1, 5. 71. „*translata* ſunt, inquit, cum alium natura intellectum, alium loco praebent." Et Lib. 8, 6. 19. „Translatio per-

mouendis animis plerumque et ſignandis rebus ac ſub oculos ſubiiciendis reperta eſt.“

Aliud denique technologiae genus eſt, quo *translatum exordium* Ciceroni de Inuent. 1, 18. dicitur, quod aliud conficit, quam cauſae genus poſtulat; vt ſi quis docilem faciat auditorem, cum beniuolentiam cauſa deſideret. Quintil. 4, 1. 71. *quod aliunde trahitur.*

Translucidus.

Elocutionem *translucidam* et verſicolorem Quintilianus Libr. 8. prooem. vocat eorum, qui muliebri quodam et effeminato cultu verborum orationem coment, nimia ornatus et decoris affectatione peccantes. In vtraque voce, Geſnerus ad h. l. bene docuit, metaphoram ſumtam eſſe partim ex veſtibus Cois et pellucidis, in quibus matronae eadem omnibus in theatro publicent, quae det adultera in cubiculo etc. quam ideo *ventum textilem*, et *nebulam lineam* Petronius appellauerit Cap. 55. partim ad variandorum cumulandorumque colorum in cultu muliebri affectationem pertinere: vnde *maculoſam* orationem idem Petronius dixerit Cap. 2. *üppiger, buntſchäckiger Coquettenputz.* cf. Berger de nat. pulcr. or. p. 11. et inprimis p. 18. vbi *maculoſam* orationem eſſe dicit eam, quae meretricias artes, h. e. infectam medicamine faciem, et colorem arte compoſitum imitata, et colorata, formae commendationem a pigmentis varii generis arceſſat. Quo ſenſu etiam Quintilianus Lib. 10, 1, 33. Demetrio Phalereo *verſicolorem veſtem* tributam eſſe tradit, hoc eſt, elocutionis genus nimis pictum, et crebris luminibus diſtinctum. cf. Cic. de Or. 2, 23. et in Orat. 27.

Transmotio.

Ex graeco μετάστασις translato vocabulo Aquila Rom. p. 16. inter figuras *transmotionem* numerat, *cum rem a nobis alio transmoueamus.* Exemplum adfert ex Demoſthene pro Cteſiphonte: *cum bellum Phocenſe conflatum eſſet: et non per me; nondum enim ego ad rempublicam adceſſeram.* Sed ſimul adnotat, non eſſe illam μετάστασιν confundendam cum illa, quae ſit ſpecies quaedam eius ſtatus, quem qualitatis, vel ex accidenti ſecundum Hermagoram appellent. De hac dictum eſt ad voc. *Tranſlatio*, et *Remotio.* Iulius Rufinianus ad

σχήματα

σχήματα λέξεως referens *μετάστασιν variationem* aut *tranſitum* latine dici tradit, eique hanc vim tribuit, vt a loquentis perſona ad perſonam tranſitum faciamus, ratione aliqua, vel affectu. Ibidem cum *ἀποστροφῇ* confert, et inter vtramque hoc intereſſe dicit, quod *μετάστασις* perſonarum multiplicata variatio ſit, et ab alia ad aliam, et deinceps gradatim tranſeatur, at in apoſtrophe commutatio ſit perſonae fere vnius.

Tranſſumtio.

Hoc verbo Quintilianus 8, 6. 37. interpretatur Graecorum *μετάληψιν, quae ex alio in aliud velut viam praeſtet,* dicitque tropum rariſſimum, maxime improprium, et Graecis frequentiorem. Addit etiam hanc in metalepſi naturam eſſe, vt inter id, quod transfertur, ſit medius quidam gradus, nihil ipſe ſignificans, ſed praebens tranſitum. *Hunc tropum*, inquit, *magis affectamus, vt habere videamur, quam vt vllo in loco deſideremus.* cf. Lib. 6, 3. 52. vbi pro *congiariis, heminaria per metalepſin* dicta eſſe notat. Voſſius etiam Inſtitt. Orat. Lib. 4. p. 161. *μετάληψιν* anguſtius tractat pro ea metonymiae ſpecie, qua ex conſequentibus intelligatur antecedens, vſus maxime auctoritate Donati ad Terent. Andr. Act. 3. ſc. 2. Scilicet putidior, quam opus erat, Donati et ſimilium Grammaticorum in troporum diſcriminibus concidendis opera eſſe ſolebat. Ita, cum Terentius l. c. Scen. 3. haec dicit: *iubeo Chremetem ſaluere*, Donatus *μεταληπτικῶς iubeo* pro *volo* dictum docet. vid. quae in Lex. gr. techn. ad *μετάληψις* diſſeruimus.

Triſtis.

Nec fontem nec ſenſum haec metaphora obſcurum habet. *Triſte* et *ſeuerum* dicendi genus iungitur Cic. Brut. 30. vt *triſtes* et *horridae* literae, quibus *hilarior* oratio et *dulcior* opponitur apud Quintil. 12, 10. 27. vid. voc. *Horridus.* Plinius Lib. 2. epiſt. 5. cum dixiſſet, ſe, vt auribus adoleſcentium aliquid daret, orationi ſuae poeticas quaſdam locorum deſcriptiones interſeruiſſe, ita deinde ſe excuſat: „Quod tamen, ſi quis extiterit, qui putet nos *lautius* feciſſe, (Cortius h. l. *laetius* reponi volebat, Geſnero tamen contra dicente) quam orationis *ſeueritas* exigat; huius, vt ita

 dixerim,

dixerim, *triſtitiam* reliquae partes actionis exorare debebunt." *Ernſthafte, für das Nachdenken und für geſetztere Empfindungen geſchriebene Stellen, im Gegenſaſatze von ſolchen, die die Phantaſie mit angenehmern und lachendern Gegenſtänden beſchäftigen und unterhalten.* cf. ad voc. *hilaris* adnotata.

Tropus.

Seruato nomine Graeco, τροπὸς vel τροπή, quod alii Rhetores *immutationem*, *tranſlationem*, etiam *motum*, interpretati ſunt, Quintilianus Lib. 8, 6. *tropus* eſt, inquit, verbi vel ſermonis a propria ſignificatione in aliam rem cum virtute mutatio. Deinde notat, quosdam gratia *ſignificationis*, alios *decoris* aſſumi, eſſe alios in verbis propriis, alios in translatis: verti et mutari non modo formas verborum, ſed et ſenſuum et compoſitionis. Nempe ſenſuum forma mutatur v. c. in allegoria et aenigmate: compoſitionis autem in hyperbato et anaſtrophe. Itaque reprehendit eos auctores, qui non alios crediderint tropos, quam in quibus verbum pro verbo poneretur. Talis eſt ex Graecis Alexander περὶ σχημ. p. 574. Ald. qui ita ſtatuit: ὁ μὲν τρόπος περὶ ἓν ὄνομα γίνεται ἀρετή, quem locum laudavimus in Lex. gr. techn. ad voc. τροπή.

Tumidus, Tumor.

Huius metaphorae apud Quintilianum duplex hic vſus eſt, vt *tumorem* vel ingenio, vel orationi tribuat. Prior illa et rarior eſt, et fere Quintiliano propria in Rhetoricis. Nam in rebus aliis alii quoque tumere vel turgeſcere dicunt, quae nimio motu exultant, exuberant, feruent. Illi ergo quos Libr. 2, 8. 9. *ingenio tumidos* dicit, ingenia ſunt iuuenum luxuriantia et feruida eiusmodi, quae, vt Geſneri verba ſeruem, facile vel imagines concipiunt iuſto maiores, vel ſimilitudines ſectantur nimium disſimiles, vel alia orationis meteora captant: *wild aufbrauſende, phantaſiereiche Köpfe.* His *aridi, ieiuni, ſteriles* contrarii ſunt, qui inopia virium et ſpiritus laborant. In illis *frenis*, in his *calcaribus* opus eſt. Omnis locus, egregia metaphorarum continuatione inſignis, dignus eſt, quem coniunctim adponamus: „Omnino ſuperuacua erat doctrina, ſi natura ſufficeret. An ſi quis *ingenio* corruptus ac *tumidus*,

dus, vt plerique ſunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur? *aridum* atque *ieiunum* non alemus, et quaſi veſtiemus? Nam ſi quaedam detrahere neceſſarium eſt, cur non ſit adiicere conceſſum? Neque ego contra naturam pugno. Non enim deterendum id bonum, ſi quod ingenitum eſt, exiſtimo, ſed augendum, addendumque quod ceſſat. An vero clariſſimus ille praeceptor Iſocrates, cum de Ephoro atque Theopompo ſic iudicaret, vt *alteri frenis alteri calcaribus opus eſſe* diceret, aut in illo *lentiore tarditatem*, aut in illo paene *praecipiti concitationem* adiuuandam docendo exiſtimavit? cum alterum alterius natura miſcendum arbitraretur." —

Huic *tumidorum* generi affines ſunt illi, qui ſublimitatem orationis ambitioſe conſectantur, quosque Graeci ὀγκώδεις, ὑπερόγκους, μετεώρους dixerunt. De his vid. Quintil. 2, 3. 9. vbi κακοζηλίᾳ hoc tumoris vitium tribuendum eſſe putat. coll. Lib. 12, 10. vbi de Aſianorum oratorum tumore et abundantia magna cum metaphorarum varietate diſputat. Harum numerum Latini Patres nonnulli, quorum loca Creſollius Theatr. Rhet. 3, 26. p. 367. attulit, ita auxerunt, vt *ſpumam*, *fumum*, *veſicam*, *phaleras* iſti orationis tumori et redundantiae exprobrarent. Quamuis iam *ſpumoſum* ſic dixerat Perſius Sat. 1. vbi vid. Caſaub. p. 138. cf. Lex. gr. technol. in ὄγκος et οἰδεῖν; et quae ſupra ad voc. *inflatus*, *ſufflatus* notauimus.

Ingenioſe dicta ſunt illa, quibus Seneca *tumoris* illius e regione exilitatis poſiti excuſationem abſoluit, Controuerſſ. Lib. 4, 25. p. 285. ed. Bipont. „*Illi, qui tument*, inquit, *et abundantia laborant, plus habent furoris, ſed plus etiam corporis. Semper autem ad ſanitatem procliuius eſt, quod poteſt detractione curari: illi ſuccurri non poteſt, qui ſimul et inſanit, et deficit.*" Sed his recte opponi poſſunt illa Quintiliani ex Lib. 2, 3. 9. *Tumidos et corruptos et tinnulos, et quocunque alio cacozeliae genere peccantes, certum habeo, non virium, ſed infirmitatis vitio laborare: vt corpora non robore, ſed valetudine inflantur; et recto itinere lapſi plerumque deuertunt.* In quo quidem loco, tacere non poſſum, mihi ſemper viſum eſſe pro *lapſi* reponendum *laſſi*, quod in libris ſcriptis et editis nonnullis lectum, ni fallor, contextus omnis ratio flagitat. Quintilianus docere

 vult,

vult. eos qui a recta dicendi ratione ad tumorem et affectationem declinent, non virium abundantia, ſed imbecillitatis vitio peccare. Hoc illuſtrat 1) corporis tumore, qui non roboris ſed valetudinis documentum eſſe ſoleat; 2) exemplo eorum, qui a recto itinere devertant. Nempe magnum beneficium eſt iter facientibus, recta via, quoniam et munita ſatis, et breuiſſima eſt. Si qui ergo ab ea declinant, profecto id non animi vel varietatis, ſed potius laſſitudinis cauſa faciunt. Ita demum hoc exemplum cohaeret cum ea ſententia, quam commendare Quintilianus volebat,; adeoque neceſſario legendum eſt ſic: *et recto itinere* (vel *a recto itinere*) *laſſi plerumque* deuertunt: *wenn der Wanderer die gerade gebahnte Straſse verläſst, ſo iſt er gewiſs matt, und will ſeitwärts einkehren.* Geſnerus, qui illud *lapſi* defendit, ita locum explicat, vt cum conſilio Rhetoris hoc exemplum non recte conſentiat: „*recto itinere lapſi,* h. e. qui a via regia quacunque de cauſa aberrarunt, *deuerti ſolent;* et doctores illi, qui quod ad rem pertinent, non inueniunt, quaerunt deverticula.“ Sed de hoc genere deuertendi nunc nullus Quintiliano ſermo erat. Hic ſenſus, quem Geſnerus dedit, pertineat potius ad alium locum Quintiliani Lib. 10. 1. 29. vbi poetas dicit libertate verborum et licentia figurarum vtentes, patrocinio aliquo iuuari, quod alligati ad certam pedum neceſſitatem, non ſemper propriis vti poſſint, *ſed depulſi a recta via neceſſario ad eloquendi quaedam deuerticula confugiant.* Sed Geſnerum etiam illud decepiſſe videtur, quod omnem illam Quintiliani ſententiam ad ſolos doctores et praeceptores retulerit, de quorum delectu dicere Rhetor inſtituerat. Immo vero eſt ille locus quidem communis, ad omnem eloquentiae rationem pertinens. Quodſi vero illud *lapſi* retinere velimus, ſaltim *erroris* notionem tenere debebimus: *wenn der Wanderer von der geraden Straſse auf Nebenwege geräth, ſo iſt gewiſs immer Unwiſſenheit und Verirrung die Urſache davon.* Omnino Quintilianus in locis eiusmodi communibus nimiae breuitatis et concinnitatis ſtudioſus, interpretationem difficiliorem reddit, e contextu tutiſſime expediendam. — De tumida Veterum, inprimis Sophiſtarum dictione cf. inprimis Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 3, 23. p. 324. ſqq.

Tumul-

Tumultus.

Vt Graecis θόρυβος et θορυβεῖν, ita Latinis Rhetoribus *tumultus* de *applauſu* et *conclamatione ſtrepituque* applaudentium et collaudantium dictus eſt: nam tum aſſurgentes, excurrentes, exultantes, conclamantes commemorare ſolent. vid. Quintil. 2, 2. 12. et 4, 2. 37. vbi et *vociferatio* iungitur. Non exiguum aut breuem hunc acclamantium tumultum et ſtrepitum fuiſſe, ex eo intelligitur, quod oratores, auditoribus ita tumultuantibus, ſilere oportebat, donec ſtrepitus receſſiſſet. Quo pertinent *morae laudantium* a Quintiliano commemoratae Lib. 11, 3. 126. 131. et conſuetudo oratorum quorundam ineptorum, qui inter illas laudationum moras aut in aurem alicuius loquerentur, aut cum ſodalibus iocarentur, aut nonnunquam ad librarios ſuos ita reſpicerent, vt ſportulam dictare viderentur: vel *ſilentio laudem poſcerent;* quos reprehendit Fabius l. c. §. 121. Patet etiam e Quintil. 8, 3. 3. ſummum admirationis popularis iudicium *plauſum*, qui et *fragor* appellatur, leuioris autem *acclamationem* fuiſſe. Ciceronem enim dicit in cauſa Cornelii hoc aſſecutum eſſe, vt populus Romanus admirationem ſuam *non acclamatione tantum*, ſed etiam *plauſu* confiteretur. Et mox *veluti mente captos, et quo eſſent in loco, ignaros, erupiſſe in hunc voluptatis affectum* iudicat. Ex quo loco, plauſum, qui proprie ad ſcenam pertineret, non niſi in ſummo auditorum affectu oratori tributum eſſe, intelligitur.

Turpis.

Turpe cauſae genus (τὸ αἰσχρὸν, τὸ ἄδοξον Gr.) dicitur, cum aut honeſta res oppugnatur, aut defenditur turpis. Sic Auct. Herenn. 1, 3. cf. Quintil. 4, 1. 40. vbi et *infames* eae cauſae dicuntur. vid. Gell. N. A. 17, 12. et quae nos ad vocc. *conſiſtere* et *humile* diximus. — *Turpe* genus argumentationis, ideoque vitioſum, Ciceroni de Inuent. 1, 49. eſt, quod aut eo loco, in quo dicitur, aut eo homine, qui dicit, aut eo tempore, quo dicitur, aut iis qui audiunt, aut ea re, qua de agitur, indignum, propter inhoneſtam rem, videtur.

Tympana.

Quintilianus in loco grauiſſimo Lib. 5, 13. 17. qui declamationum mollium et inertium cum virili, graui, et

et robuſta eloquentia comparationem habet, aetatis ſuae hominibus etiam hoc exprobrat, quod, dum oratorem ſtudeant effingere, non *arma*, ſed *tympana* dent eloquentiae. Iam vt *armis* eam dicendi rationem ſignificauit, quae neruis et robore et interna quadam vi, et grauitate virili inſtructa pugnat: ita illis oppoſita *tympana*, quae effeminatorum Deae Phrygiae ſacerdotum, Bacchantiumque mulierum inſtrumenta erant, tribuit eloquentiae declamatoriae illi, quae ad ſolam voluptatem compoſita, neruis careret. cf. Lex. gr. technol. in *τυμπανίζειν*, et Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 26. p. 359. qui minus accurate Quintilianum in illo loco *inflato nimis oratori* tympana orationis tribuere ſtatuit. cf. Ouid. Art. Am. 1, 505. ſqq. ex quo loco patebit, modeſtum et neglectum cultum opponi ornatui illi, quo Cybeles ſacerdotes molles et effeminati vti conſueuerint.

V.

Vanus.

Vana vox, qualis eſſet, nemo interpretum explicauit ad Quintil. 11, 3. 32. Omnes lectionem ſollicitant: Burmannus *vaſtam* coniiciebat: alii *variam*, alii *rauam* volebant. Mihi vix dubium eſt, Quintilianum notionem vitii illius mentis humanae, quod et arrogantiae et tumoris nomine venit, ad vocis illam conformationem transtuliſſe, quae ſimilem in auribus ſenſum efficit. Nouimus multos, ſingulari verecundia et modeſtia homines, quos is, qui minus cognitos habet, ex ſolo vocis ſono, vanos iudicet. Nempe in his, ex faucium vel oris vitio aliquo, vox oritur eiusmodi, quam in aliis affectus prauitas gignit. Ita alia vox *vani*, alia vox *vana*, quamuis eadem ſono, erit. Quintilianus autem in illo loco non vitia mentis, ſed faucium et oris deſcribit. Fortaſſe idem vocis vitium in mente habuit Cicero, cum Lib. 3. de Or. 11. *verba inflata et quaſi anhelata grauius* reprehenderet. vid. voc. *Inanis*.

Varius, Varietas.

Orationis *varietati* Rhetores Graeci et Latini tantum tribuere ſolebant, vt, quem iudicaſſent *varie dicere*, eius

eius ſimul artificium in dicendo, et ſuauitatem et copiam ſe laudaſſe exiſtimarent. vid. quae dicta ſunt in Lex. gr. techn. ad voc. *ὁμοειδὲς, προσκορὲς, μονότροπος, ποικίλλειν*, et *ὁμολογία*, quo nomine vitium illi varietati contrarium appellatur. His addamus locum Demoſthenis ex Orat. *πρὸς* Ἄφοβον Ψευδομαρτ. p. 844. Reisk. Tom. II. vbi, cum adoleſcens diceret, argumenti ſui ſimplicitatem hoc modo declarat: *καὶ ταῦτ' εἰ μὲν ἐδεῖτο λόγȣ τινὸς, ἢ ποικιλίας, ἔγωγε κατώκνȣν ἂν, τὴν ἐμαυτȣ̃ καταμεμφόμενος ἡλικίαν· νῦν δὲ ἁπλῶς δεῖ διδάξαι, καὶ διηγήσασθαι τὰ τȣ́τῳ πεπραγμένα περὶ ἡμῶν*, hoc eſt, *quae res ſi copia aut ornatu quoque orationis indigeret, ego aetate impeditus, dicere de iis dubitarem: nunc vero ſimpliciter et nude facta narratione me ea exponere oportet, quibus ille me male habuit.* Et propriam et translatam *varietatis* ſignificationem explicuit Cicero de Fin. 2, 3. his verbis: „*Varietas* Latinum verbum eſt: idque proprie quidem de disparibus coloribus dicitur: ſed transfertur in multa disparia, varium poema, *varia oratio*, varii mores, varia fortuna.“ Itaque a Cicerone de Or. 1, 12. *varie et copioſe dicere*, eiusdem perfecti oratoris proprium commemoratur, cuius propriam antea in eadem re *grauitatem, iucunditatem ornatumque* orationis iudicauerat. Sic *tractatio varia* argumenti, vel rerum inuentarum, commendatur Cic. de Or. 2, 41. *ne aut cognoſcat artem qui audiat, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate.* Similiter Lib. I. de Inuent. 41. vbi de tractandis argumentis exponit: „*Variare*, inquit, orationem magnopere oportebit: nam omnibus in rebus ſimilitudo ſatietatis eſt mater. Id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipſis diſtinguere conuenit orationem, hoc eſt, tum inductione vti, tum ratiocinatione. Deinde in ipſa argumentatione non ſemper a propoſitione incipere, nec ſemper quinque partibus abuti, neque eadem ratione partitiones expolire.“ — Huc pertinet inprimis, quod Quintilianus 4. 2. 117. de figuris praecipit, quibus in narratione vti poſſimus: „Figurae, inquit, eſſe debent non illae poeticae, et contra finem loquendi auctoritate veterum receptae, ſed quae *varietate taedium effugiant, et mutationibus animum leuent, ne in eundem caſum, ſimilem compoſitionem, pares elocutio-*

cutionum tractus incidamus." Et Libr. 9, 3. 3. vna in re maxime vtilem figurarum vſum exiſtimat, „vt quotidiani et ſemper eodem modo formati ſermonis faſtidium leuet, et nos a vulgari dicendi genere defendat. Quo ſi quis parce, et cum res poſcet, vtetur, velut *adſperſo quodam condimento iucundior* erit: at qui nimium affectauerit, *ipſam illam gratiam varietatis* amittet."

Actionem variam Cicero de Or. 3, 17. dicere videtur, qua orator vultum et geſtum et vocem ad rerum varias affectiones accommodat, et variat, ne fiat vniſonus, vel vniformis. De hac varietate Quintil. 11, 3. „*Ars variandi*, inquit, cum gratiam praebet, et renouat aures, tum dicentem ipſa laboris mutatione reficit. Illud vero maximum, quod ſecundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda vox eſt, ne ab oratione diſcordet. Vitemus igitur illam, quae Graece μονοτονία vocatur, vna quaedam ſpiritus ac ſoni intentio; non ſolum ne dicamus omnia clamoſe, quod inſanum eſt, aut intra loquendi modum, quod motu caret; aut ſubmiſſo murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio; ſed vt iisdem partibus iisdemque affectibus ſint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut ſententiarum natura, aut depoſitio, aut inceptio, aut transitus poſtulabit."

Vaſtus.

Vaſtitatem orationi modo vt vitium, modo ſenſu bono in Rhetoricis tribui animaduertimus. Vitioſe *vaſta oratio* eſt, quam Graeci χαύνωσιν dicunt, quae vel ex crebro vocalium os dilatantium et aperientium vſu, et concurſione, vel ex aſperitate conſonantium iniucundas voces reddit. Priori ſenſu eſt apud Auct. Herenn. 4, 12. *Conſtructio verborum conſeruabitur, ſi fugiemus crebras vocalium concurſiones, quae vaſtam et hiantem orationem reddunt.* Poſteriori apud Cicer. Or. 45. „Quomodo enim veſter *Axilla*, *Ala* factus eſt, niſi fuga *literae vaſtioris?*" Graeci prius illud vitium pronuntiationis etiam πλατειασμὸν vel πλατυστομίαν appellare ſolebant: neque abſimile illi eſt, quod Cicero de Orat. 2, 22. *oris prauitate*, et *verborum latitudine* notauit. vid. de omni hoc genere docte diſputantem Creſol-

Creſollium Vacat. Autumn. Lib. 3. p. 543. ſq. Quare et *vaſti* iidemque agreſtes in motu corporis dicuntur, quorum oris et corporis conformatio illa elegantia et venuſtate et dignitate caret, quibus excellere actio et pronuntiatio oratoria debet. Sic Cic. de Or. 1, 25. vbi eadem de cauſa Q. Varius, *vaſtus* et *foedus* appellatur, quod tantis corporis, vultus, oris, vocisque vitiis natura laborabat, vt in eo genere perfectus orator eſſe non poſſet.

Bono autem ſenſu Emporius Rhetor, cuius libellus de Ethopoeia editus eſt a Pithoeo p. 278. *vaſtum* orationis characterem vocat, quem alii vulgo grandem, vel grauem, vel auſterum et robuſtum, Graeci *ἁδρὸν*, dixerunt. Ergo hos characteres vel figuras (*ἰδέας*) ita enumerat: *vaſtam, humilem, temperatam*, Aſianam, Atticam, Rhodiam. vid. vocc. *grandis*, et *grauis*.

Vendibilis.

Orator *vendibilis* Cic. Brut. 47. eſt probabilis ex omni parte, h. e. qui in omni ratione dicendi ad favorem, captum, et vtilitatem populi ſe comparare ſolet. cf. de Finib. 1, 4. vbi ſcripta *vendibiliora*, hoc eſt, ad vſus ciuium comparata, opponuntur *vberioribus*, h. e. grauiorem quandam et generoſiorem vtilitatem, ad vitam, mores, et ſalutem hominum habentibus.

Venus. Venuſtas.

Quibus dicendi generibus partibusue orationis Graeci *ἀφροδίτην, χάριτες, χάριν, ἡδονὴν* tribuerant, eorundem Latini *venerem, venuſtatem, gratiam* laudare ſolent. Paucis exemplis opus erit, vt vis harum metaphorarum cognoſcatur. Quintilianus Lib. 4, 2. 116. narrationem omni, qua poteſt *gratia* et *venere* exornandam putat. Lib. 6, 3. 18. *venuſtum* dicit eſſe, quod cum *gratia* quadam *et venere* dicatur. Et Lib. 10, 1. 79. Iſocratem iudicat omnes *veneres* dicendi ſectatum, quoniam ſe non iudiciis, ſed auditoriis comparaſſet. Manifeſtum eſt genus illud dicendi *ἐπιδεικτικὸν* deſcribi, cuius indolem et virtutes explicuit Cic. Orat. 11, 12. eo modo, vt exinde luculentiſſime illius gratiae et *venerum* vis intelligi poſſit. Vnde et Dionyſius Halic. Iſocratem *κομψεύεσθαι* dixit, et *κομπικὸν*, et *πανηγυρικώτερον μᾶλλον ἢ δικανικώτερον* appellat. Idem Quintil. l. c.

l. c. §. 10. quam *gratiam* dixerat, mox *venerem* vocat, h. e. nitidam illam elegantiam, quam Graeci in comoedia aſſecuti erant. Illius virtutis veluti ſpecies et partes variae ſunt, quas *ſuauitatem* et *iucunditatem* appellant. De illa copioſius ſeparatim diximus. Hanc autem Quintilianus l. c. Xenophonti ita tribuit, vt ab ipſis *Gratiis* ortam ſtatuat. cf. quae ad voc. *dulcis* diximus et cf. Gellius N. A. 19, 9. Elegans etiam Horatii locus eſt Art. poet. 320. ſq. in quo, quae a rerum, argumenti, tractationisque praeſtantia ſeparat, et ad elocutionis externa ornamenta refert, *venere*, *arte*, *pondere*, contineri ſignificat:

Interdum ſpecioſa locis morataque recte
Fabula, *nullius veneris*, *ſine pondere et arte*,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam *verſus inopes rerum*, *nugaeque canorae*.

Iam propter illam iucunditatem et ſuauitatem, quam in *venuſtate* cogitamus, eadem etiam pro facetiis, et iocandi vrbanitate et dulcedine dicitur, cumque his rebus varie iungitur. Ita Cicero pro Flacco 31. *venuſtatem* et *facetias*, deinde pro Domo 34. ſermonem *venuſtum* et *vrbanum* iungit. cf. de Or. 1, 5. de Offic. 1, 36. et Orat. 18. vbi *venuſtas* in vultu, non difficili ſenſu, a dignitate diſtinguitur: *Anſtand und Würde neben einem gefälligen Mienen- und Geberdenſpiele*.

Verecundus.

Cicero de Or. 3, 41. „*Verecunda*, inquit, *translatio* eſſe debet, vt deducta in alienum locum, non irruiſſe, atque vt precario, non vi veniſſe videatur: *die leichte, natürliche, ungezwungene Metapher.* vid. *Irruere.* — *Principia* autem *verecunda*, quae in Or. 36. deſiderat, ſunt ſedata moderataque oratione tractanda. Ipſe enim Cicero, veluti explicandi cauſa, *non elatis incenſa verbis*, addit.

Veriſimilis.

Narrationem *veriſimilem* Auctor. Herenn. 1, 9. vocat, *ſi, vt mos, vt opinio, vt natura poſtulat, dicemus.* Haec tria, in quibus rebus inſint, copioſius explicat Cicero de Inuent. 1, 21.

Veritas.

Haec etiam loquendi conſuetudo, quae vſu *veritatis* conſtabat, ex Graecorum technologia in libros Latinorum rhetoricos deriuata videtur. Illi enim τὰ ἀληθῆ, et ἀληθεύσεις, hoc eſt, *veras et forenſes cauſas*, τοῖς πλάσμασι, quae fictae ſunt vel ad oſtentationem vel ad declamandi exercitationem, opponere ſolebant. Sic apud Auctor. Herenn. 4, 22. *in veritate dicit* is, qui veram cauſam tractat, in foro, in iudiciis, non fictam, vt ſit in declamationibus ſcholaſticis. Ibidem, *eiusmodi ſtudia*, inquit, (ſcil. figurarum, de quibus modo locutus erat) *ad delectationem, quam ad veritatem, videntur accommodatiora*. Craſſus apud Cic. de Or. 1, 34. *commentatio*, inquit, *incluſa in veritatis lucem proferenda eſt;* quam ſententiam ipſe explicat his verbis: *educenda dictio eſt ex hac domeſtica exercitatione et vmbratili, medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in caſtra atque in aciem forenſem*, h. e. ex declamatoribus fiamus oratores. Libro autem 2, 19. Graecos Rhetores homines *veritatis expertes*, non ſine acutae ambiguitatis ſignificatione, appellat, quod nullum vſum forenſem habuerint. Et Libr. 3. 56. oratores dicit *veritatis actores*, imitatores autem veritatis, hiſtriones, noto ſenſu. Vnde et totum genus dicendi illud, quod ἐπιδεικτικὸν nominatur, quoniam abeſt a contentione forenſi, *veritati* cauſarum opponitur in Orat. 12. — Quintilianus Libr. 2, 10. „Sint ipſae materiae, quae ſingentur, ait, quam ſimillimae *veritati*, et declamatio, in quantum maxime poteſt, imitetur eas *actiones*, in quarum exercitationem comparata eſt.“ Totus hic Rhetoris locus ita conformatus eſt, vt declamatio cum *veritate* h. e. veris actionibus et forenſibus comparetur. cf. Lib. 3, 8. 58. et 10, 5. 17. vbi *falſam rerum imaginem*, et *inania ſimulacra* declamationibus illis tribuit; et Lib. 12, 11. 15. Sic et paſſim Aurel. Auguſt. Princ. Rhet. inprimis p. 296. vbi materiam ſcholaſticam, *veritati* opponit. vid. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 92. et Caſaub. ad Perſii Sat. 1. pag. 129. vbi *verum plorare* τῷ *de nocte paratum plorare*, hoc eſt, veritas affectus, ficto et falſo dolori oppoſitus, docte explicatur.

Veſtibulum.

Hoc verbo, facili intellectu metaphora, Cicero Orat. 15. eam partem orationis deſignat, in qua ora-

tor aditum quaſi ad cauſam munit, auditoresque occupat, et inſtruit, vt quae ſequantur, rectius animos afficiant: quae omnes etiam principiorum vel exordiorum virtutes eſſe ſolent. Quare ibidem *aditum* quoque *ad cauſam*, et *primam aggreſſionem* appellat, quam circumſpicere orator debeat, poſtquam, quid dicturus ſit, cogitauit, et inuenit.

V i b r a r e.

Vibrans oratio, eſt incitata, verbisque volucris, qualem dicit Cicero in Bruto 95. Aſiaticis oratoribus propriam fuiſſe, ibidemque *curſum* appellat. Eodem ſenſu *breues vibrantesque* ſententiae Archilocho iunctim tribuuntur a Quintil. 10, 1. 60. Alio loco Lib. 12, 9. 3. reprehendit eos, qui ſe ab vtilitate cauſae cupidine praeſentis laudis abduci patiantur, ſemper aequo in campo vires ſuas populariter explicare velint, adeoque *vibrantibus concitatisque ſententiis*, vt miſſilibus, vtantur. E contrario ſuadet, vt et inſidiis et occultis artibus tum rem gerant: quae non, dum fiant, laudentur, ſed cum facta ſint. Mox et *dicendi iactationem* illam appellat. Sic et Petron. Arb. commemorat controuerſiam *ſententiis vibrantibus pictam*, quam alio loco idem *maculoſam orationem* dixerat. vid. voc. *translucidus*. cf. Berger. de nat. pulcr. p. 20. vbi intelligit ſententias argutas, et tanta circumfuſas luce, vt ab aliis exceptae, oculorum, mentis, ingenii aciem praeſtringant.

V i n c i r e.

Omnis concinnitas vel numerus orationis, quoniam in verbis et ſententiis ſiue ex iunctura, ſiue ex lege et ordine quodam oritur, inque his rebus vinculorum, et adſtrictionis, quae diſſolutioni et ἀταξίᾳ contraria ſit, notio valet; Rhetores Latinos, vt varia illa concinnitatis genera ſignificarent, metaphoris a *vinciendo* ductis ſcite vſos eſſe reperimus. Itaque *vincire ſententiam modis et forma*, orator dicitur, cum ſententiae et orationi numerum quendam et rhythmum conciliat, vt, verſuum inſtar, pedibus adſtricta eſſe videatur. Sic Cicero de Orat. 3, 42. in loco elegantiſſimo, in quo exponit, quomodo fiat, vt orator, numero ſententiis addendo, aliquid verſus et metri poetici ſimile gignat, ipſos tamen verſus non faciat. Locum ipſum ad voc.

numerus

numerus illuſtrauimus. Quare et Cap. 48. definita poetarum pedes *vincula* dicuntur. cf. Orat. 23. et Quintil. 10, 1. 29. vbi *alligatos* ad pedum certam neceſſitatem poetas dicit; et Ouid. Pont. Ep. 4, 8. 73. *numeris verba coercere.* — *Verba* autem *vinxiſſe* arte quadam dicuntur Thraſymachus et Gorgias apud Ciceronem in Orat. 13. cum illorum quendam orbem fingerent, et concinnitatem eam, quae in pariter relatis, ſimiliter aut pariter cadentibus, vel paribus contrariis eſſe ſolet. Alio loco de Orat. 3, 47. ſimili metaphora *illigare ſententiam verbis* dixerat. Et cum in Orat. 50. veteres dicuntur ſententias aut parum *vinxiſſe*, aut parum *expleſſe*, illud prius ad verborum in vna periodo comprehenſionem, cui conciſa, minuta, vel membratim elata oratio oppoſita eſt, poſterius ad illam periodi perfectionem pertinet, qua nec curta, nec redundans in aliqua parte ſit: vnde et *completus* verborum ambitus dicitur; vt Cap. 13. Theodorus *praefractior*, *nec ſatis rotundus* opponitur Iſocrati, qui *mollioribus numeris ſententias expleuerit.* cf. Brut. 37. et in Orat. 25. vbi in eadem re *deuincire* dicit. — Neque disſimilis Quintiliani diſciplina eſt, qui Lib. 9, 4. 19. *vinctam* et contextam orationem, h. e. periodicam, *ſolutae*, qualis in ſermone vulgari et epiſtolis eſſe ſolet, opponit, quae laxiora veluti verborum membrorumque vincula habeat, quam ratio dicendi oratoria poſtulet. Eodemque ſenſu Lib. 11, 2. 39. proſam *vinctam* a disſoluta diſtinguit. Ad hanc metaphoram etiam illud pertinet, quod Caligula, narrante Suetonio Cap. 53. Senecae orationem, in minuta membra conciſam, ſine vinculis, ſine comprehenſione, *arenam* eſſe *ſine calce* dicebat. Nam haec calcis dos eſt praecipua, vt arenam, et lapides, quibus interiecta eſt, vinciat, et copulet.

Violatio.

Georgio Trapezuntio Lib. 3. Rhet. p. 29. *violatio* dicitur genus aliquod argumentationis, in quo ex adverſariorum ratione non id, quod ipſi volunt, ſed quod pro nobis eſt, ſequi demonſtremus. Ibidem notat rectius fortaſſe latine *violentum* dici, quoniam Graeci *τὸ βίαιον* dixerint. vid. Lex. gr. techn. in *βίαιος*.

Virgo.

Cicero, plane diuinus ille in metaphoris apte quaerendis adhibendisque, in loco elegantiſſimo Orat.

 19.

19. in quo, quid inter eloquentiam oratoris et inter orationem philoſophorum, ſophiſtarum, hiſtoricorum, et poetarum, discriminis interſit, docet, philoſophorum quidem orationem *caſtam*, et *verecundam* et *virginem incorruptam* appellat. Nam cum antea eandem dixiſſet *mollem, vmbratilem*, quae partim ornatum ſtudioſe apparatum reſpueret, partim vero etiam ab omni affectuum grauiorum vel ſignificatione vel excitatione abhorreret, illa *caſtitatis* et *virginitatis* commemoratione ſententiae ſuae perſpicuitatem egregie abſoluit. Cum hoc loco iungendus eſt alius, ſimilis metaphorae vſu inſignis Cap. 23. vbi ſummiſſi et ſubtilis oratoris velut lineamenta quaedam adumbrans, „*vt mulieres*, inquit, *eſſe dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipſum deceat; ſic haec ſubtilis oratio etiam incomta delectat. Fit enim quiddam in vtroque, quo ſit venuſtius, ſed non vt appareat. Tum remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum: ne calamiſtri quidem adhibebuntur. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris, omnia repellentur: elegantia modo, et munditia remanebit.*"

V i s.

Vis oratoris, quae latiſſimo ſenſu dicitur, vt Graecorum δεινότης, quibusnam in rebus inſit, luculentiſſime explicauit Cicero de Or. 2, 17. ſub finem. Alio loco Cap. 27. vim oratoris virtutemque in eo ponit Antonius, non vt quid dicendum ſit, videat, ſed potius vt, quae dicenda ſunt, ornate, copioſe, varieque dicat: vnde et *vis oratoris* totus ambitus dicitur illarum rerum, quae in oratore deſiderantur, et alibi officia oratoris appellari ſolent. vid. voc. *officia*. Itaque, vt Graeci Rhetores, inprimis Hermogenes, δεινότητα illam propriam Demoſthenis virtutem laudarunt, ita eidem oratori *vim*, proprio quodam nomine, tribuunt Latini, vt eſt apud Cic. de Or. 3, 7. et Orat. 6. qui locus inprimis huc pertinet. — Alia *vis* eſt, quam idem ille Antonius ad mentes mouendas, concitandasque requirit. Ea eſt, quod πνεῦμα ἐναγώνιον, τόνον, ἰσχὺν etc. Graeci dixerunt. vid. quae in Lex. gr. techn. ad vocc. πνεῦμα et δεινότης dicta ſunt. Idem *impetus dicendi* vocatur Cic. pro Deiot. Cap. 2. Seneca Controu. Lib. 2. praef. *oratorium robur*. et *pugnatorium mucronem* appellat. Poetae latini, ad exemplum Graecorum,

eorum, de quo in Lex. gr. techn. in *ἐπιστρέπτεσθαι* diximus, in ea re *grandinem, nimbos, fulmina* adhibent, vt Saleius Baſſus, cuius locum ad voc. *ſubtilis* attulimus. *Vim terroremque* in Pericle laudat Cicero Brut. 11. isque eſt ille ipſe, qui fecit, vt aculeos in animis eorum, a quibus auditus eſſet, relinqueret, quemadmodum paullo antea Cap. 9. dixerat. Elegans locus eſt Quintiliani Lib. 2, 12. 11. in quo, quid inter *vim* et *violentiam* interſit, disputatur. Illa eſt oratorum doctorum, haec declamatorum, furentium et clamantium. Hinc et *vires κατ' ἐξοχὴν* dicuntur, quaecunque orationem validam reddunt, vt *δείνωσις, φαντασία, ἐξεργασία, ἐνέργεια,* quas formas Quintilianus adfert Lib. 8, 4. 88. Quo ſenſu Hermogenes Demoſtheni *τῶν ἐπιχειρημάτων δυνάμεις* tribuit. vid. Lex. gr. techn. in *δύναμις,* et cf. Cic. de Legg. 1, 2.

Viſcera.

Cauſae *viſcera,* Rhetoribus illae ipſae res dicuntur, quibus tota cauſa continetur. His nempe opponuntur ea, quae non ad ipſam cauſam pertinent, ſed extrinſecus quaeruntur. Sic Cicero de Or. 2, 78. principia ſ. exordia orationis *ex ipſis viſceribus cauſae* ſumenda eſſe, praecipit. *Ita,* inquit, *et momenti aliquid afferent, cum erunt paene ex intima defenſione deprompta, et apparebit ea non modo non eſſe communia, nec in alias cauſas poſſe transferri, ſed penitus ex ea cauſa, quae tum agatur, effloruiſſe.*

Viſiones.

Quas *φαντασίας* Graeci appellarunt, Quintilianus Lib. 6, 2. 30. *viſiones* dicit, per quas imagines rerum abſentium ita repraeſentantur animo, vt eas cernere oculis, et praeſentes habere videamur: *das Talent einer lebhaften Imagination, Einbildungskraft.* Has viſiones, inquit, quisquis bene conceperit, is in affectibus erit potentiſſimus. vid. Lex. gr. techn. in *φαντασία.* Hinc euidentia quoque illa proficiſcitur, quam Graeci *ἐνάργειαν* vocarunt. Easdem *imagines rerum* appellat Quintil. 10, 7. 15. cf. Berger. nat. pulcr. or. p. 104.

Vitioſus.

Quintil. 8, 3. 55. *vitioſum* omne verbum appellat, quod neque intellectum iuuet, neque ornatum. Eſt is

 locus,

locus, vbi de vitiis elocutionis exponit. cf. voc. *Bonus*, et *Malus.*

Vmbra.

Dupliciter, ad orationem accommodate, metaphora haec a Cicerone inprimis adhibetur. Primum enim *vmbra* ita *ſoli* opponitur, vt illa ſignificentur exercitationes, quae domi, et a philoſophis et Rhetoribus in ſchola fieri ſolebant: vnde *vmbracula* commemorantur eruditorum, de Legg. 3, 6. et Theophraſti Rhetoris in Bruto Cap. 9. *vmbratilis*que et mollis oratio philoſophorum in Orat. 19. — *Sole* autem contentiones illae, quae fiunt publice, in foro, in iudiciis, veluti in aprico pugnantium. cf. Brut. 9. de Legg. l. c. et pro Murena 14. vbi *vmbra ſoli cedere* dicitur, hoc eſt, rei militari iuris ſcientia et ceterae artes, quae in otio et tranquillitate tractari ſolent. Quamobrem etiam in Bruto Cap. 8. cum Iſocratem dicere vellet nunquam oratorem publicum fuiſſe, ſed ſcribendo et docendo maxime operam dediſſe, hanc ſententiam ita expreſſit: „*Forenſi luce* caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo eſt poeta conſecutus.“ Quintiliani claſſicus locus de eadem re et forma dicendi, extat Lib. 10, 5. vbi, inter alia, haec praecipit: „adoleſcentes non debent nimium in falſa rerum imagine (vid. *veritas*) detineri, et inanibus ſimulacris: vsque adeo, vt difficile ab his digreſſos ſit aſſuefacere, ne ab illa, in qua prope conſenuerint, *vmbra*, vera discrimina, *velut quendam ſolem*, reformident.“ Non disſimili metaphora Graecos *σκιαμαχίαν* dixiſſe, in Lex. gr. techn. in *πλάσμα* commemorauimus. Quibus addo locum Nicephori ad Syneſ. de Inſomn. *ἡ μελέτη σκιαγραφία τίς ἐστι, καὶ προγύμνασμά τινος ἔργου. ὁ δὲ τὴν σκιὰν τοῦ ἔργου διηνεκῶς ὡς ἔργον ἀσκῶν. ἔλαθεν ἀντ᾽ ἀληθείας ψεῦδος κρατῶν, καὶ πονῶν μάτην.*

Deinde cum in picturis *vmbrae* dici ſoleant loca obſcurioribus coloribus ita veluti tecta, vt, qui ſint in illorum vicinia lucidiores colores, eo illuſtriores appareant, et acrius emineant: hinc in oratione Cicero *vmbram* dixit de locis minus illuſtratis et ornatis, quae hanc vim habeant, vt ceterorum ornatus et venuſtas et vis eo magis excellat. Ita de Orat. 3, 26. „Habeat tamen illa in dicendo admiratio et ſumma laus (ſermo ſcil.

ſcil. eſt de genere dicendi magnifico) *vmbram* aliquam et receſſum, quo magis id, quod erit illuminatum, extare et eminere videatur.“ — Nam, vt in pictura, ita maxime etiam in oratione ad varietatem iucundam hoc pertinet, vt non omnia iisdem veluti coloribus picta ſint, ſed variis, qui vmbram et lucem habeant, diſtinguantur. „Omnibus enim in rebus, Cicero ibidem ait, voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt: quo hoc minus in oratione miremur, in qua vel ex poetis vel oratoribus poſſumus iudicare concinnam, ornatam, feſtiuam ſine intermiſſione, ſine reprehenſione, ſine varietate, quamuis claris coloribus picta ſit, non poſſe in delectatione eſſe diuturna.“

V n c t u s.

Vt, qui ſe vngunt, ex veterum quidem moribus, elegantiam ſectantur, ita luculenta metaphora *vnctam* conſuetudinem loquendi Cicero in Bruto 20. appellat, quae elocutionis quandam elegantiam, ſuauitatem, nitoremque adſciuiſſet. Sermo ibi eſt Ciceroni de antiquioribus oratoribus, non autem antiquiſſimis, adeoque iam ab illo antiquitatis ſqualore et horrore vacuis. His ergo nihil vnguento et ſplendore aptius tribui poterat: *iam erat*, inquit, *vnctior quaedam ſplendidiorque conſuetudo loquendi.*

V o c a l i s. V o c a l i t a s.

Vocalis orator, Ciceroni dictus eſt, qui voce et lingua potius valet, quam ceteris virtutibus oratoriis; in Bruto 69. vbi hunc ſenſum totius loci contextus confirmat. Sic Plinius Lib. 4. Ep. 7. Regulum narrat, cum librum de vita filii per totam Italiam prouinciasque dimiſiſſet, publice ſcripſiſſe, *vt a decurionibus eligeretur* vocaliſſimus *aliquis ex ipſis, qui legeret eum populo.* Quo ſenſu iam Demoſthenes Aeſchinem εὔφωνον vocauerat, Coron. p. 320. ed. Reisk. Ac *vocales* etiam *magiſtros* appellatos eſſe, qui artem pronuntiandi alios docerent, Voſſius de Rhet. nat. et conſtit. Cap. 21. incertum quo ex fonte, adnotauit.

In ſingulis verbis *vocalia* dicuntur, quae ſunt, vt Cicero ait in Orat. 44. *quam ſuauiſſimis vocibus*, h. e. ſonora, bene ſonantia, apud Quintil. 8, 3. 16. cf. Cur. Fortunat. p. 71. Pith. vbi verba ſonantia Lucilium εὔ-

φωνα appellaſſe notat, hoc eſt, veluti *vocalia*. Vnde et Quintil. 1, 5. *vocalitas* dicta, quae Graecis *εὐφωνία* nominata eſt; cuius in eo delectus eſt, vt inter duo, quae idem ſignificant, et tantundem valent, quod melius ſonet, malis. — Difficilius autem dictu videatur, quasnam Seneca Controu. Lib. 3. praef. *ſententias vocales* nominauerit. Locus omnis eſt hic de Albutio: „Sententiae ſimplices, apertae, nihil occultum, nihil inſperatum afferentes, ſed *vocales* et *ſplendidae*." In quo quidem loco duplex conſtruendorum verborum modus adhiberi poteſt. Si ita intelligamus, vt vocales et ſplendidae ſententiae opponantur iis, quae nihil occultum, nihil inſperatum afferant, ſententiarum ſignificantiam et perſpicuitatem deſcribi exiſtimabimus. Sin ſtatuamus loci ſenſum hunc eſſe, vt Seneca dicat, ſententias Albutii, quamuis ſimplices et apertas, tamen etiam *vocales* et *ſplendidas* fuiſſe, in promtu eſt *vocales* dici numeroſas, concinnas, et apta illi numero vocis ſuauitate et grauitate elatas. Atque haec poſterior explicandi ratio vera nobis videtur. Nam paullo antea haec dixerat: „ſplendor orationis (ſcil. in Albutio erat) quantus neſcio an in vllo alio fuerit. Non lexis magna, ſed phraſis. Dicebat enim citato et effuſo curſu." Quae omnia ad *εὐφωνίας* ſ. vocalitatis, grauitatem et dignitatem quandam pertinent.

Volucris.

Cicero in Brut. 95. genus aliquod orationis Aſiaticum commemorat, „non tam ſententiis frequentatum, quam *verbis volucre atque incitatum:* quali eſt nunc Aſia tota, nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornato et faceto genere verborum: in quo fuit Aeſchylus Cnidius, et meus aequalis Mileſius Aeſchines. In iis erat *admirabilis orationis curſus*, ornata ſententiarum concinnitas non erat." Illud vir aliquis doctus in Muſeo Conziano verterat: *die Aſiatiſche Flug- und Windproſe.* cf. quae ad voc. *curſus* dicta ſunt.

Vrbanus. Vrbanitas.

Quintiliano 6, 3. 17. *vrbanitas* dicitur, ſermo in verbis et ſono et vſu proprium quendam guſtum Vrbis prae ſe ferens, et ſumta ex conuerſatione doctorum tacita eruditio. vid. quae diximus in Lex. technol. graec.

graec. ad voc. πολιτικός. Alio loco §. 103. ex Domitii Marſi libro de Vrbanitate, hanc definitionem affert: „Vrbanitas eſt virtus quaedam in breue dictum coacta, et apta ad delectandos mouendosque homines in omnem affectum, maximeque idonea ad reſiſtendum, vel laceſſendum, prout quaeque res ac perſona deſiderat.“ In qua quidem definitione Fabius breuitatis inprimis commemorationem reprehendens, deinde ex ſua ſententia *vrbanitatem* eſſe cenſet, in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque ſenſu neque verbis, neque ore geſtuue poſſit deprehendi, vt non tam ſit in ſingulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Graecos Atticiſmus ille redolens Athenarum proprium ſaporem. Vnde et Lib. 11, 3. 25. vbi de pronuntiationis virtutibus praecipit, *os vrbanum* dicit, in quo nulla neque ruſticitas, neque peregrinitas reſonet. Et Plinius Lib. 7. epiſt. 25. de Terentii Iunioris, qui ſe in agros ſuos ex vrbe receperat, oratione ſententiam ferens, „quam terſa omnia? inquit, quam Latina? quam Graeca? Athenis viuere hominem, non in villa, putes.“ Huc etiam *vrbanitatis color* pertinet, quem Cicero in Bruto Cap. 46. commemorat.

Iam, cum illa vidimus, quaeri non debet, quare Cicero aliique ad facetias quoque et leporem iocandi *vrbanitatem* retulerint. Itaque ille pro Coelio Cap. 3. contumelia, inquit, ſi facetius iactatur, *vrbanitas* nominatur: *ſinnreicher Spott, ſeine Satyre.* cf. de Fin. 2, 3. et de Orat. 1, 5. Hinc et *vrbani ſales* commemorantur ad Diuerſ. 9, 15. et alio loco pro Domo Cap. 34. homini faceto *ſermo vrbanus et venuſtus* tribuitur. In Bruto autem Cap. 38. notat, in Craſſo cum grauitate iunctum fuiſſe facetiarum et *vrbanitatis* oratorium, non ſcurrilem, leporem. E quibus illud quoque planum eſt, quod Quintil. 8, 3. 40. *vrbane dicta*, grauiter dictis opponit. Nempe haec ſeueritatem quandam habent, quam reuereri ſolemus, illa hilaritatem et elegantiam, qua delectamur.

Vſitatus.

Auctori Herenn. 4, 12. verbum *vſitatum* dicitur, quod verſatur in ſermone et conſuetudine quotidiana. Quare Cicero de Orat. 3, 38. *inuſitata* ſunt, inquit,

priſca fere et vetuſta, et ab vſu quotidiani ſermonis iam diu intermiſſa. Hinc et illa *praeſentia* dicuntur apud Gellium N. A. 1, 10. eodemque ſenſu Macrobius Saturn. 5, 10. ſimplicitatem et *praeſentiam* orationis iunxit. Horatius Art. poet. 234. *dominantia* dixit. Oppoſita iſtis ſunt *noua*, *obſoleta*, *exculcata*, *inſolentia*, *incognita*, *inaudita*, *inuulgata*, quae omnia genera commemorat Gellius 11, 7. cf. Senecae Controu. Excerpt. Lib. 4. p. 414. Bip. Easdem *exoletas*, et *reconditas* voces dixit Sueton. Aug. 86. vbi et *antiquarii* commemorantur, qui talibus verbis, priſcis maxime, vti ament.

V ſ u s.

Latinis Rhetoribus *vſus* praecipua loquendi conſuetudine dictus eſt, quam χρείαν Graeci appellauerant, commemoratio alicuius orationis vel facti, vel vtriusque ſimul, celerem ſ. breuem habens demonſtrationem, quae vtilitatis alicuius cauſa plerumque profertur. Ita deſcripſit ex Hermogene Priſcianus in Proexercitt. Rhet. p. 323. Pith.

V u l g a r i s.

Vulgare exordium, ideoque vitioſum, Auctori Herenn. 1, 7. dicitur, quod in plures cauſas poteſt accommodari. vid. Cic. de Inuent. 1, 18. et Quintil. 4, 1. 71. — *Vulgare* genus argumentationis, Ciceroni de Inu. 1, 48. illud eſt, quod in aliam quoque rem non probabilem, ſi nunc conceſſum ſit, transferri poſſit. — In elocutione *vulgare* et protritum dici ſolet, quod elegantia in delectu et compoſitione caret. vid. Gellius N. A. 12, 2,

V u l t u s. V u l t u o ſ u s.

Vultus in diſciplina Rhetorica eſt conformatio oris certa, habitu quodam animi definita, eiusdemque varias affectiones exprimens: *Miene*, *Geberde*, *Ausdruck im Geſichte.* vid. Cic. in Orat. 17. et 18. Ibidem quod *vultuoſum* dicitur, nolim cum Erneſtio in Claue, de *triſti* et *ſupercilioſa oris conformatione* intelligere, quae explicatio certe arbitraria et nimis anguſta eſt, neque vllo Ciceronianae mentis veſtigio nititur, quod ille in hoc loco impreſſerit. Omnino vetat, ne quid *ineptum* in vultu, aut *vultuoſum* ſit. Ergo prius illud eo vale-

re puto, vt ne orator vultu eo vtatur, qui rebus aut affectibus ſuis, ceterisque *περιστάσεσι* non conueniat, niſi quis forte *ineptum* pro arguto nunc dici malit, de quo ſenſu ad voc. *aptus* diximus; poſterius autem, ne nimius ſit in vultus mutationibus declarandis: *das outrirte, übertriebene Mienenſpiel, die Grimaſſe.* Ita ſcripſeram meo quodam ſenſu ductus, prius quam, inſpecto Geſneri Theſauro, eandem ſummi viri ſententiam reperirem, qui et iudicabat Nonium 2, 917. anguſte nimis *triſtem* interpretari *vultuoſum.* Nempe, quod vitii genus ex *argutiis digitorum*, et *articulo ad numerum cadente*, geſtus oratoris habet, idem in facie *vultuoſa* eſſe exiſtimandum eſt. Hi oratores, qui vultuoſum genus actionis ſequuntur, proprie dicuntur *os ducere*, fere vt nos: *Geſichter ſchneiden.* Sic Cicero in Orat. 25. vbi praecipit, quomodo orator ſubtilis et tenuis et elegans ſe gerere in actione debeat, „vultu tamen multa conficiat, inquit, non illo, quo dicuntur *os ducere*, ſed illo, quo ſignificant ingenue, quo ſenſu quidque pronuntient.“ Eodemque ſenſu Quintilianus 10, 3. *torquere vultum* ridiculum eſſe contendit, niſi cum ſolus ſit orator: quod vitium exprobraſſe Zenoni Stoico, qui ei *πρόσωπον συνεσπασμένον* tribuerent, auctor eſt Diog. Laertius, quem laudauit Creſoll. in Vacatt. Autumn. Lib. 2. Cap. 7. p. 215. vbi et confert, quod *στόμα διέλκειν*, *os ducere*, et *immodice aperire*, Graeci dixerunt. Simile quid eſt in illis apud Ouid. Pont. Ep. Lib. 4, 8. 13.

Heu mihi! ſi lectis vultum tu verſibus iſtis
Ducis, et affinem te pudet eſſe meum.

Maxime autem perſpicue, quid ſit illud *vultuoſum*, etiam Quintilianus docebit, qui Lib. 9, 3. 101. vbi de recto figurarum vſu exponit, „ſed ne hae quidem, quae recte fiunt, inquit, denſandae ſunt nimis. Nam et *vultus mutatio*, *oculorumque coniectus*, multum in actu valet: ſed ſi quis *ducere os exquiſitis modis*, et *frontis ac luminum inconſtantia trepidare* non deſinat, rideatur.“ Et mox, metaphoram ab actione ſumtam ſeruans, *rectam* orationis *faciem* requirit, hoc eſt, non rigidam, ſed naturae ſequacem, quae ipſa illi vultuoſae contraria eſt. — Huc et pertinet locus Quintil. e Libr. 11, 3. fin. vbi, cum geſtus actionisque argutias commemoraſſet, comoedo magis, quam oratori aptas

quoniam

quoniam actione, non imitatione conſtet oratio, „non immerito igitur, inquit, reprehenditur pronuntiatio *vultuoſa*, et geſticulationibus moleſta, et vocis mutationibus reſultans;“ quod in Demoſthene reprehendens Aeſchines τερατεύεσθαι eum τῷ σχήματι dixit in Orat. περὶ παραπρεσβ. Breuius etiam Gellius N. A. 1, 5. ſimili vocis inclinatione *manus* Hortenſii *argutas* et *geſtuoſas* commemorat, h. e. quae geſticulationibus modum excedebant. vid. voc. *argutus* et cf. Creſoll. Vac. Autumn. Lib. 2. Sect. 18. p. 338. Quod ſi quis autem grammaticam rationem deſideret, idem ille Gellius 4, 9. ex Nigidio tradit, „omnia iſtiusmodi inclinamenta, vt *vinoſus*, *mulieroſus*, *verboſus*, *moroſus*, *famoſus*, nimium et praeter modum ſignificare, et idcirco in culpas cadere.“ His addimus vocem *actuoſus*, quam plane iſto modo adhibuit Cic. de Orat. 3, 26. Iam, vt *vultuoſus* in omni actione, quae quidem vultu maxime et ore efficitur, nimius eſt; ita, qui in contrarium torporis et inertiae et tarditatis vitium incidit, Ciceroni *contuens* dicitur, hoc eſt, vno ſemper oculorum obtutu vtens, nihilque oculos mouens. Sic de Orat. 3, 59. „Animi omnis actio, et imago animi, vultus eſt, indices oculi. Nam haec eſt vna pars corporis, quae, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes et commutationes poſſit efficere. Neque vero eſt quisquam, qui eadem, *contuens*, efficiat.“ Sic enim interpungendus hic locus, neque ſollicitandus, quod factum eſt a nonnullis, qui verba, *eadem contuens*, male iungebant.

Per methaphoram quoque *vultus* mentio fit, vbi *varietas rei* commemoranda eſt, quoniam haec propria eſt vultus natura et vis, vt variandis ſenſibus affectionibusque ſeruiat. Itaque Quintilianus 9, 2. 63. *actioni varios veluti vultus* tribuit, cum orator variis orationis formis et commutationibus iudicem tenet, vt cum ſe ipſe corrigit, ſe aliqua ignorare fingit, vel deponit apud memoriam iudicis, vel eadem repoſcit, et quae his ſimilia ſunt. vid. *Geſtus* et *Flexus*.

AD-

ADDENDA.

Ad voc. *numerus* pag. 269. poſt lin. 14. ſequentia, quae vna cum ſchedula, in qua ſcripta erant, exciderunt, adde: „Sed commemorandum etiam videtur, quo ſenſu *virtus numeroſa* a poeta ita dici potuerit, vt *numerum* illum, quem *ἀριθμὸν* Graeci dixerunt, ſignificaret. *Piſo*, inquit, *non, vt multi ambitioſi, turba et magno numero clientum, rudium indoctorumque hominum, gaudet; delectatur potius multitudine hominum elegantium, doctorum, ſapientium, quibuscum viuat et conuerſetur.* Quemadmodum igitur, ſi prior illa interpretatio valeat, declamantis vox in verbo *numeroſa*, ita, ſi poſterior haec eligatur, in verbo *virtus* intendenda et imprimenda erit."

INDEX I

SCRIPTORVM ILLVSTRATORVM ET EMENDATORVM

Ammianus Marcellin. p. 40.
Aquila Romanus 8. 19. 22. 37. 42. 60. 61. 71. 89. 223. 400.
Apuleius 324.
Ariſtophanes 184. 211. 280.
Ariſtoteles 46. 291.
Auctor Dial. de Oratt. 12. 33. 37. 47. 56. 235. 252. 353. 350. 370. 377.
Auſonius 216. 379. 397.
Catullus 214.
Curius Fortunatianus 11. 16. 29. 39. 78. 218. 253. 298.
Demetrius Phaler. 2. 94. 97. 291.
Demoſthenes 143.
Diogenes Laert. 6.
Dionyſius Halic. 49. 118. 313. 415.
Florus 2.
Gellius 5. 6. 26. 31. 38. 47. 56. 84. 171. 177. 200. 201. 214. 221. 236. 249. 253. 257. 266. 274. 288. 292. 299. 313. 324. 325. 337. 340. 351. 362. 364. 371. 378. 387. 394. 395. 426. 428.
Georgius Trapez. 11.
Hermogenes 10.
Horatius 17. 47. 101. 139. 311. 315. 337. 416. 426.
Iſocrates 250.
Iulius Rufinianus 10. 15. 22. 71. 76. 222. 297. 298. 312. 331. 332. 355. 360. 392.
Iuſtinus 78.
Iuuenalis 21. 149. 299. 397.
Lampridius 300.
Lucianus 216.
Lucretius 169. 180. 228. 241.
Lycurgus 23.
Macrobius 56. 139. 222. 223. 237. 352. 264. 273. 299. 333. 348. 374. 397. 426.
Ouidius 48. 58. 219. 294. 314. 427.
Perſius 21. 344. 409.
Plautus 171.
Plinius 47. 83. 89. 96. 98. 115. 139. 148. 149. 159. 177. 183. 196. 246. 280. 300. 302. 305. 343. 348. 355. 362. 371. 379. 380. 382. 385. 389. 407.
Pollux 316. 381.
Propertius 337.
Rutilius Lupus 22. 312.
Saleius Baſſus 176. 177. 178. 207. 294. 304. 337. 379.
Scholiaſt. Demoſth. 105. 218.
Seneca 7. 27. 33. 35. 39. 40. 42. 44. 45. 46. 48. 66. 67. 96. 100. 161. 169. 197. 202. 207. 209. 215. 235. 237. 261. 270. 296. 350. 387. 388. 389. 391. 392. 393. 397. 398. 409. 420.
Sidonius Apollin. 82. 370. 397.
Silius Ital. 2.
Spartianus 46. 97.
Statius 294.
Suetonius 27. 45. 56. 67. 74. 97. 299. 304. 344. 419. 426.
Sulpicius Victor 11. 15. 20. 53. 88.
Valerius Flaccus 294.
Valerius Maximus 5.
Velleius 147. 342.

INDEX

INDEX II

VERBORVM GRAECORVM AD TECHNOLOGIAM RHETORICAM PERTINENTIVM ET PASSIM EXPLICATORVM

A

ἀγανάκτησις 213. 229.
ἀγχίστροφον 352.
ἀγωνεῖσθαι 15.
ἀγῶνες 89. 168.
ἄδοξον 198.
αἰτιολογία 322. 328 333.
αἴτιον 321.
ἀληθὴς λόγος 346.
ἀλληγορία 281. 227. 405.
ἀλλοίωσις 258.
ἀλυσμὸς 5.
ἄλυτος λέξις 131.
ἀμφίδοξος 136.
ἀναγκαῖα 260.
ἀνάγωγος φωνὴ 337.
ἀναβεβλημένη 199.
ἀναδίπλωσις 81. 231.
ἀνακεφαλαίωσις 182.
ἀνακοίνωσις 69.
ἀνακοπαὶ 10. 224.
ἀναλογία 309.
ἀνάμνησις 150.
ἀνανέωσις 298.
ἀνασκευάζειν 113.
ἀνασκευὴ 113.
ἀναστροφὴ 401.
ἀνεπίφατος 131.
ἄνεσις 222.
ἀνθίζουσα oratio 235.
ἀνθυποφορὰ 9.
ἀντανάκλασις 400.
ἀνταπόδοσις 326.
ἀντέγκλημα 234. 328.
ἀντεισαγωγὴ 71.
ἀντιζευγμένον 217.
ἀντίθετον 96.
ἀντικατηγορία 76.
ἀντιμεταβολὴ 70.
ἀντινομία 242.
ἀντιπροβολὴ 222
ἀντίστασις 71. 222.
ἀντιστρέφοντα 324.
ἀντιστροφὴ 97. 331.
ἀντίφρασις 272.
ἀντονομασία 263.
ἀξίαι 125.
ἀξίωσις 125.
ἀπαρίθμησις 126.
ἀπλοῦς περίοδος 57.
ἀποβρέχειν τὸν κάλαμον εἰς νοῦν 158.
ἀποδείξεις 306.
ἀπόδοσις 80.
ἀποκλίνειν τράχηλον 55.
ἀποπλάνησις 213.
ἀποσιώπησις 223. 333.
ἀποστροφὴ 37.
ἀπόφασις 222. 333.
ἄρσις 90.
ᾀσματοκάμπτεις 211.
ἀσύνδετον 364.
ἀσύνδετος λέξις 131.
ἄτεχνοι πίστεις 307.
αὔξησις 1.
αὐτοσχεδιάζειν 377.
ἀφέλεια 315.
ἀφελὴς 149. 158.
ἄφοδος 327.
ἀφορισμὸς 332.
ἀφροδίτη 415.

B

βαρύτης 5.
βεβηκὼς ῥυθμὸς 137.
βραχυλογία 40.

Γ

γλυκύτης 139. 375.
γνώμη 349.
γοργότης 53.

δέησις

Δ

δέησις 270.
δεινότης 275. 420.
δείνωσις 222.
δημηγορίαι 78.
διαβαίνειν 93.
διαβολὴ 100.
διαγραφὴ 112.
διαίρειν 143.
διαίρεσις 72. 134. 279.
διακοπὴ 353.
διαλλαγὴ 83.
διαλογισμὸς 355.
διάλυσις 60. 131.
διαπόρησις 136.
διασκευὴ 109.
διάστασις 17.
διαστολὴ 353.
διασυρμὸς 201.
διατύπωσις 108. 113. 203 378.
διεζευγμένον 127.
διέξοδος 327.
δικαιολογικὴ στάσις 261.
διορισμὸς 332.
διώκων 16.
δραστήριον 6.
δριμύτης 5.
δυσπαρακολούθητον 269.

E

ἐγκαθίσματα 10.
ἐγκωμιαστικὸν 109.
εἰκὼν 202.
εἰρομένη λέξις 60. 90. 92. 283.
εἰρωνεία 129.
ἐκδρομὴ 106.
ἐκκεκαθαρμένη φωνὴ 316.
ἐκλογὴ 143.
ἐκλύειν 363.
ἔκφρασις 112. 156. 378.
ἐκφώνησις 152.
ἐλευθερία 242.
ἔλλειψις 114. 221.
ἑλληνίζειν 315.
ἑλληνισμὸς 237.
ἐμπαθὲς 6 262.
ἔμφασις 293. 357.
ἔμψυχος λόγος 346.
ἐναγώνιον 6. 262.
ἐναγώνιος λόγος 76.
ἐναντιότης 96.
ἐνάργεια 112. 151. 378. 421.
ἐναρμόνιος λόγος 308.
ἔναυλος ἁρμονία 308.
ἐνδιάθετος λόγος 346.
ἐνδιάσκευος διήγησις 156.
ἐνέργεια 109. 293.
ἐνθύμημα 29. 351.
ἔντεχνοι πίστεις 29. 307.
ἐξεργάσματα 10. 224.
ἕξις 162.
ἐξουθενισμὸς 160.
ἐπαγγέλλεσθαι 308.
ἐπαγωγὴ 213.
ἐπαναφορὰ 194. 327. 330.
ἐπαναδίπλωσις 186. 212.
ἐπάνοδος 327.
ἐπανόρθωσις 98.
ἐπεισοδιοῦν 106.
ἐπιβολὴ 330.
ἐπίζευξις 230.
ἐπίδειξις 109.
ἐπιδιήγησις 259.
ἐπιδιόρθωσις 98.
ἐπίθετα 24.
ἐπίθετοι ἀρεταὶ 260.
ἐπιθεράπευσις 314. 329.
ἐπίλογος 79. 282.
ἐπιστροφὴ 97. 324.
ἐπίτασις 222.
ἐπιτίμησις 269.
ἐπιτροπὴ 281.
ἐπιτροχασμὸς 280.
ἐπιχειρήματα 29.
ἔργα ῥήτορος 272.
ἐργασία 161. 397.
ἐρώτημα 319.
ἐρώτησις 336.
ἐσχηματισμένος λόγος 215.
ἐτυμολογία 264.
εὐγλωττία 162.
εὐθυδικία 403.
εὐήκοον 46.
εὐκατάστροφα 97.
εὐκολία 162.
εὔμετρον 266.
εὔπορος 227.
εὔροια 162.
εὔρυθμον 266.
εὐφημισμὸς 146. 168.
εὐφωνία 424.
ἔφοδος 217.

Z

ζεῦγμα 127. 328.
ζήτημα 316.

H

ἡδονὴ 139. 415.
ἠθοποιΐα 203.
ἦθος 14.
ἦχος 364.

Θ

θεραπεία 329.
θέσις 90. 316.
θόρυβος 411.

I

ἰδέαι 170 188.
ἰδιότης 310.
ἱλαρὸς λόγος 194.
ἰδιωτισμὸς 69.
ἰσόκωλον 70.
ἰσχνὸν 149. 201.
ἰσχνὸς χαρακτὴρ 36. 393.
ἰσχνότης 154.
ἰσχνοφωνία 154. 190. 292.
ἰσχνοφώνοι 21.
ἰσχὺς 261.

K

καθαρῶς γράφειν 315.
κακιζοτεχνία 45.
κακοζηλία 14. 203.
καλλιγραφεῖν 195.
καλλωπίζειν 195.
καμπὴ 2 97.
κάμπτειν 211.
κατακλᾶσθαι 179.
καταπεπλασμένον 287.
καταπεπτωκυῖα oratio 199.
κατάπληξις 269.
κατασκευάζειν 113 221.
κατασκευὴ 221.
κατάστασις 105
κατάφασις 222.
κατάχρησις 3
κατεσραμμένη λέξις 60.
κατεσραμμένον 97.
κεφάλαιον 48.
κινδυνεύειν 280
κλέπτειν τὸν ἀκροατὴν 351.
κλιμακωτὸν 189.
κλίμαξ 189. 221. 230.
κλίσις 102
κοινότης 331.
κόμματα 210.
κρινόμενον 231.
κρίσις 37.
κρότος 364.
κύκλος 56.
κύρια ὀνόματα 311.
κῶλον 254.

Λ

λαμβδακισμὸς 6.
λαμπρότης 368.
λειότης 285
λεπτολογία 112.
λευκὸν 45.
λευκότης 369.
λήκυθοι 284
λιτὴ λέξις 285.
λογικὴ σάσις 238 322.
λογοδαίδαλοι 26. 110.
λύειν 131.
λύσις 83.

M

μακρολογία 249
μεγαλοπρέπεια 250. 380.
μέγεθος 251. 380.
μέγεθος φωνῆς 190.
μειλίγματα 329.
μειρὸς 101
μειρακιεύεσθαι 237
μείωσις 146. 160. 270.
μελετᾶν 102.
μελέτη 253.
μερισμὸς 135
μεσόζευγμα 127.
μέσος χαρακτὴρ 253.
μεσότης 253.
μεταβολὴ 129. 1,6. 205.
μετάθεσις αἰτίας 234.
μετάληψις 407.
μετάνοια 98.
μετάσασις 329 400. 404. 406.
μεταφορὰ 404.
μετωνυμία 263.
μίμησις 2‑3.
μνήμη 254.
μονόκωλος περίοδος 57.
μονοτονία 414.
μυκτὴρ 5
μυκτηρισμὸς 228.

N

νεανιεύεσθαι 237
νοήματα 348. 350.
νομικὴ σάσις 238. 3‑2.

Ξ

ξηρὸν 32.

O

ὄγκος 380.
ὀγκώδης ἑρμηνεία 3 9.
ὁδοποιεῖν 320
οἰκονομία 129. 276.
ὁμοιόπτωτον 42.

ὁμοιοτέλευτον 42. 113.
ὁμοίωσις 153. 360.
ὁμότονον 90.
ὁμωνυμία 17.
ὀνοματοποιΐα 165. 263.
ὀρθοέπεια 156.
ὀρθὸς 325.
ὁρισμὸς 58. 105.
ὅρος 104.
ὀσία 119.

Π

παθοποιΐα 15.
πάθος 14.
παλιλογία 10. 230. 331.
παράβασις 106. 151.
παράβολα 280.
παραβολὴ 62. 153. 360.
παραγόμενα 165. 400.
παραγραφὴ 403
παραδιαστολὴ 132.
παράδοξον 11. 208.
παράλειψις 271. 299.
παρὰ προσδοκίαν 208.
παρασκευὴ 297. 298.
παρατροπὴ 10. 106.
παρέκβασις 106. 151. 307.
παρεκδρομὴ 106.
παρεμπτώσεις 126.
παρενθέσεις 126. 222.
παρηγμένον 102. 112.
παρήχησις 22.
παρονομασία 22.
παῤῥησία 242. 243.
παρῳδὴ 203.
παρωνυμία 22.
πείθειν 283.
πεπυκνωμένη λέξις 301.
περιβάλλειν 57.
περιβολὴ 57.
περιεργία 272.
περίοδος 18.
περιουσία 3.
περισσολογία 56.
περιστάσεις 10. 58. 261.
περιφερὴς 58.
περίφρασις 18. 56.
πεῦσις 336.
πηλικότης 234. 319.
πικροφωνία 5.
πῖνος 370.
πίπτειν 41.
πίπτουσα oratio 199.
πίστεις 148. 306.
πλάσμα 188.
πλατειασμὸς 154. 273. 292. 414.
πλάττειν φωνὴν 288.
πλατύνειν 93
πλατύτης 20
πληροῦν μεταφορὰν 206.
πλοκὴ 98 230 324.
πνεῦμα 75. 261. 366. 420.
ποιεῖν 161.
ποιότης 187. 319.
πολύπτωτον 41 132.
πολυσύνδετον 131.
πομπὴ 368.
πραγματικὴ στάσις 261.
πρέπον 25 103.
πρεσβυτικὸν 302.
προβολὴ 222.
προγυμνάσματα 304.
προδιόρθωσις 99. 297.
προέκθεσις 310.
προέζευγμα 127.
προθεραπεία 297. 298. 329.
πρόθεσις 310.
προκατάληψις 22. 297.
πρόληψις 22. 271. 297.
προοίμιον 304.
προπαραίτησις 111.
προπαρασκευὴ 298.
προσαπόδοσις 322. 326.
προσωποποιΐα 213.
προϋπεργασία 297.
πρόφασις 310.
πτώσεις 41.
πῦσμα 319.

Ρ

ῥωβικοὶ 6.
ῥώμη 261.

Σ

σεμνότης 5.
σημεῖα 359.
σκιαμαχία 422.
σκότος 45.
σοφιστεύειν 308.
στάσις 86
στηριγμοὶ 10. 224.
στοιχεῖα 248
στοχασμὸς 84.
συγγνώμη 76. 111. 234.
σύγκρισις 7 . 308.
σύγχυσις 256.
σύλληψις 99.
συλλογὴ 182. 323.
συλλογισμὸς 63. 71.
σύμβολον 264.

συμπλο-

συμπλοκὴ 72. 80.
συναγωγὴ 182.
συναθροισμὸς 60. 83. 280.
συναίρεσις 72.
συναλοιφὴ 72. 85. 95.
συνάφεια 60. 72. 92. 131.
συνεζευγμένον 127. 217.
συνεκδοχὴ 221.
συνέπεια 72.
συνεστραμμένη λέξις 301.
συνέχεια 92.
συνέχον 91. 172.
σύνθεσις 73.
συνθετὰ ὀνόματα 11.
συνιστάναι 85.
συνοικείωσις 132.
σύνταξις 73. 97.
σύντομος 57.
συνωνυμία 61. 70.
συστρέφειν 93.
συστροφαὶ 2. 97.
σφοδρότης 5.
σχέσις 9.
σχετλιασμὸς 152.
σχήματα 65 189.
σχηματίζειν 170. 399.

Τ

τάξις 128. 276.
ταυτολογία 61. 230.
τάχος 53.
τεκμήρια 359.
τεχνίται 34.
τεχνογράφοι 34.
τολμηρὰ 280.
τόνος 261.
τοπικὴ 118.
τοπογραφία 112.
τόποι 249.
τριβὴ ἄλογος 229.
τροπὸς 206. 408.
τροχερὸς ῥυθμὸς 138.

Υ

ὕλη 359.
ὑπαλλαγὴ 255. 263.
ὑπερβατὸν 401.
ὑπερβολὴ 390. 481.
ὑποδιαίρεσις 279.
ὑπόζευξις 127.
ὑπόθεσις 53. 317.
ὑποθέσεις ἠθικαὶ 15.
ὑποκορισμὸς 111. 146. 168.
ὑποκρίνεσθαι 16.
ὑπόκρισις 31. 309.
ὑπομερισμὸς 135.
ὑπόνοια 392.
ὑπόσχεσις 308. 310.
ὑποτύπωσις 151. 156. 202. 378.
ὑπότυφος ἑρμηνεία 389.
ὑποφορὰ 309.
ὑπτία oratio 199. 390.

Φ

Φαντασίαι 151. 421.
Φεύγειν 16.
Φράσις 146.

Χ

χαίνειν 192. 414.
χαρακτὴρ 188.
χαρακτηρισμὸς 203.
χαριεντισμὸς 194. 209.
χάρις 375. 415.
χάριτες 415.
χλευασμὸς 201.
χρεία 426.
χρῶμα 65. 284.

INDEX III

VERBORVM LATINORVM EXTRA ORDINEM LITERARVM PASSIM EXPLICATORVM.

A

abiecta oratio 199.
abiicere 294. 295.
abruptum verbum 281.
abſciſſa oratio 40.
abſciſſio 296.
abſurdus 3
acclamatio 411.
actuoſus 428.
acumen 227.
acuta vox 59.
adfictio 22.
adipata dictio 272.
aditus ad cauſam 305. 418.
adiunctio 127.
adiunctum 217.
adnexio 127
adſtricta oratio 186.
adſtrictus numerus 266.
aenigma 228.
aequabile gen. dic. 240.
affecta oratio 15.
affligere rem 1.
aggreſſio 305.
agreſtis vox 337. *libri, Muſae* 338.
allenare 81. 113.
altitudo 379.
ambigui 253.
ambitus 75. 281.
amoenitas 139.
amplificatio 1 212.
amputata 216.
amputatae ſententiae 2.
analogia 360.
anceps argumentum 324.
anguſta litera 291.
anhelata verba 214.
anhelatum 21.
anteoccupatio 271.
anticipatio 271.
antiquarii 426.
appellationes 97.
aperta verba 252.
apologia 329.
arceſſitum 23.
aridi 153
arma eloquentiae 412.
ars orandi 320.
arx eloquentiae 327.
aſcenſus 189. 221.
aſſumere. aſſumta 260.
aſſumti loci, 248.
attenuatus 193. 215.
attritus 37.
auctoritas 232.
aucupium 18.
auſterum 191.
auxilia 89.

B

biceps argumentum 324.
bona verba 289.

C

caecata oratio 53.
caeſa 210.
caldi dalamatores 27.
caneſcens oratio 301.
canorum 308.
cantilena 147.
capita 247.
captata 24.
caro 234.
caſtus ſermo 315.
celeris diſtributio 54.
certae voces 173.
circuire 57. 326.
circuitus 281.
circumciſa oratio 40.
circumductiones 281.
circumfluens oratio 142.
circumiecta oratio 58.
circumlinire 287.
circumſcripti ſyllogiſmi 149.
circumſcriptio 281.
circumtonſa oratio 161.
ciuilis narratio 260.
clamoſus orator 371.
coaceruatio 280.
collectio 323.
collectiua quaeſtio 322.
colluctatio cum verbis 80.
commentari 377
commiſeratio 85
compoſiti affectus 15.
compoſitio 11.

comprehenſio 79. 221. 281.
compreſſio verum 301.
conciones 107.
conciſio 210.
conciſum orationis genus 282.
concitati affectus 15.
concluſio 282.
concurrens os 80.
concurſatio 371.
conduplicatio 187.
confeſſa 252.
confictio perſonae 312.
confuſa oratio 126.
confuſio 256
coniugatum 102.
connexum 72. 131. 224.
conqueſtio 67.
conſecutio 319.
conſultatio 107. 317.
conſummatio 83.
conſurgere 211.
contenta vox 222.
contentio 354 355.
continuatio 75
continuatio verborum 208. 281.
contractio orationis 301.
contracta oratio 186.
contueri 428.
conuerſiones 2.
criſpum 56.
cultus 263 277.
cultus orator 197.
cumulus 282.
cura 4.
curata vox 4.
curſus orationis 219.
curtum enthymema 149.
cutis ſententiarum 388.

C

decor 263.
deducta oratio 57.
deductio 231.
deflexio 146.
deformatio 312.
degreſſoria narratio 260.
deliciae 110 180.
delumbare ſententias 217.
denominatio 263.
deponere ſermonem 391.
depreſſa 199. *vox* 212.
depulſio 222.
deriuatio 146.
deſignatio 134.
deſinere 42.
detornata ſententia 395.
detorquere orationem 169. 215.
dicere 117.
dictiones 123.
dictum 52.
diffluens 129.
digredi 152.
dilatare literas 240.
diſceptatio 107.
diſcere cauſam 53. 104.
diſcriminatio 132.
diſcurſus 371.
diſiunctus 129.
diſpoſitio 135.
diſputare 123.
diſquiſitio 232.
diſſipata oratio 176.
diſſipatus 363.
diſſolutus 178.
diſtrahere voces 85.
diſtributio 135.
diuertere 152.
dolare 293.
dolor 346.
domicilia 247.
domicilium verbi 311.
dominantia verba 311.
dormiens oratio 391.
duplicatio 81
duritas verborum 191.

E

effiguratio 312.
effrenatio 242.
effundi 98
egreſſio 152 327.
eleuatio 201.
eliſa vox 389.
ementiens ſuperiectio 390.
eneraes oratores 262.
enodes Elegi 177.
enumeratio 282.
erecta vox 96.
exaggeratio 20. 84.
exarſio 152 371.
exilitas orationis 33.
exilitas vocis 273.
exire 152.
exornatio 1. 195.
expreſſae literae 269.
exſangues 153.
exſanguis oratio 32.
exſpatiari 152.
exſuperatio 390.
euacuatio 113.
euerſio 327.

 F *fabri-*

F

fabricatio 161.
facetiae 338.
faces dicendi 27.
facies cauſae 184.
facta oratio 4.
falſae voculae 173.
felicitas vocis 251.
fictio perſonae 312.
fides orationis 307.
figurae extemporales 159.
figuratio 204.
filum 359. *orationis* 91.
finis 105.
finitio 105.
flexus 166.
flores orationis 235.
florida oratio 273.
floridum gen. dic. 175.
fluens oratio 129.
fluentes elegi 138 177.
fluentia dicendi 100.
fluere 138.
fragor 411.
fragoſa oratio 224.
frequentamenta 47.
fucata oratio 161.
fuſa vox 95. *periodus* 191.

G

geſtuoſa manus 31.
geſtus orationis 167.
gradatio 221.
greſſus orationis 189.

H

haeſitatio 399.
habitus or. 189.
hebes 227. *oratio* 9. *literae* 6.
humilitas verborum 389.

I

iactatio 236.
iaculatio 339.
ictus ſententiarum 7.
ieiuna dictio 301.
ieiunitas 394
illuminare orat. 250.
illuſtrare 155.
illuſtratio 151.
illuſtris ſententia 157.
imitatio 204
immutationes 167. 255.
impexa antiquitas 196.
implicatio 334.
implicatum 93.
impolitus 77.
imputare literas 158.
inanes Rhetores 215.
inardeſcere 27.
inauditiunculae 47.
incerti 253.
inciſiones 210.
inconſiſtentia 85.
incrementum 308.
inculta orat. 129. 176.
indignatio 20.
ineptiae 25. 110.
ineptus 426
infames cauſae 411.
infitialis ſtatus 84.
inflatum 21.
infuſcata vox 46.
ingreſſus 305.
inhaeſio 69.
innata 24
inops 3. 153. 186. *in cauſis* 227.
inſignia 175.
inſiti loci 248.
inſtitutiones 304.
inſtructum ſententiis 26.
intellectio 227.
interclufio 222.
interiectio 127.
interius currere 219.
interpoſitio 222.
interpretatio 81.
interruptio 223 333.
inuerſio 206. 281.
iteratio 331.
iudicare 226.
iuncta oratio 233.
iuuenari 237.

L

laborare 224.
laetitia 193.
laetitia pinguis 273.
latinitas 143.
latitudo platonica 20.
latitudo verborum 414.
latrare 100.
laudationes 109.
legales quaeſtiones 318.
libidinoſa eloquentia 237.
ligatio 127.
limata oratio 149.
liquida oratio 186. 315.
lis 233.
loquacitas 147.
loquentia 147.
loqui 117.
lucidum genus orat. 23.

lumina

lumina 175.
lux 250.
luxuriari 273.

M

maculae 64.
maculoſa oratio 406.
manufacta oratio 161.
materiae officiorum 272.
medulla verborum 388.
membrum 34.
menſura 179.
mirabile 12.
mites affectus 15.
modi cauſarum 170. 188.
modicum gen. orat. 253.
modus 257.
moeſtitia orat. 191.
moleſtia 32.
mollis vox 258.
mollitia ceruicum 54.
mollitudo 141.
morae laudantium 411.
morales cauſae 15.
mores 15.
mucro pugnatorius 7.
mutilus 192.

N

negligenter dicere 277.
nerui orationis 388.
nitor 196.
notae 247.
notatio 142. 264
nuda verba 300.

O

oblata 24
obliquae ſententiae 169.
obticentia 333.
obſcurare ſyllabas 158.
obtuſa vox 59.
odorifera 175.
opera eloquentiae 147.
opera oratoris 272.
oppreſſae literae 269.
opprimere ſyllabas 158.
orare 275.
orator 324.
orbis 56. 281.
originatio 264.
ornare 155.
oſſa orationis 388.
oſtenſio 109.
oſtenſionales milites 109.
oſtentatio 109.

P

palaeſtra 196.
percuſſiones 208.
permanens vox 172. 270.
perplexae cauſae 270.
perpolire 293.
perturbata oratio 126. 83.
pigmenta 66.
pinguetudo 154.
pinguis oratio 273.
piperata dicta 169.
plana 199.
planum os 83.
plena oratio 395.
plauſus 411.
pleonaſmus 84.
poenitentia dicti 99.
polita oratio 4. 161.
pompa 344.
poſitio 316.
poſitio nominis pro nomine 263.
praecipites ſententiae 280.
praepinguis vox 273
praeſentia orationis 426.
praeſidia 89.
praeſtructiua narratio 298.
praeſumtio 271.
praetermiſſio 299.
prauitas oris 238. 414.
preſſus oris 302.
procurſio 371.
productio ſpiritus 75.
profeſſores 308.
proluſio 305.
promtus ſermo 308.
pronominatio 263.
pronunciatio 16.
prooemiari 305.
propoſitum 317.
pulegium 196.
purgatio 329.

R

raſae fauces 181.
ratiocinatio 150.
rationales quaeſtiones 318.
recta facies 427.
recta oratio 169. 215.
redundare 98.
refractariolum dicendi genus 35.
regiones 247.
remedia 66.
remis propellere orationem 117.
remota narratio 260.
remoti loci 248.
reperta 260.

repetita

repetitâ narratio 259.
reponere ceruicem 55.
repraeſentatio 378.
reſidere 111.
reſupina vox 212.
reuerſio 401.
Rhythmus 267.
rixari 224.
robuſtum gen. dic. 190.
rotunda diſtributio 54.
rudimenta dicendi 304.
ruta 196.

S

ſalebroſa oratio 82.
ſalubritas 342.
ſanguis 342. 361.
ſapientia 103.
ſapor vernaculus 64.
ſcala 189.
ſcanſiones 208.
ſcholaſtici 375.
ſedere 381. *auribus* 345.
ſenatoriae literae 16.
ſenectus literata 302.
ſenex oratio 301.
ſententioſum 30.
ſeparatio 353.
ſermo 89.
ſeuerae voces 173.
ſimulatio 130.
ſolida vox 270.
ſollicitus 356.
ſollicitudo 44.
ſolutio linguae 363.
ſolutum 89
ſolutus numerus 266.
ſomniculoſa oratio 391.
ſophiſta 324.
ſordentia verba 371.
ſordida vox 46.
ſqualida praecepta 263.
ſqualor 196.
ſuada 284.
ſuadela 284.
ſubdolum principium 218.
ſubinſertio 127.
ſubiunctio 127.
ſubnexio 127.
ſubrauca vox 185.
ſummiſſa vox 96.
ſummiſſio 324. 378.
ſupellex 352
ſupplantare verba 21.
ſuppreſſus orator 389.
ſurdus 382.
ſurripere 351.
ſyllogiſmus 323.

T

taciturnitas 333.
tarditas 101. *cogitandi* 8.
temeritas 160.
temperatum gen. or. 253.
tendiculae literarum 18.
tenebrae 250.
tenor vocis 216.
tepidum gen. or. 253.
textum 91. *tenue* 394.
tincta ſenſu verba 158.
tornata oratio 395.
tornus 337.
tortuoſum 93.
tracta oratio 94.
traductio 255.
translatio 16.
transmotio 400.
triſtis 4. *oratio* 194. *antiquitas* 196. *literae* 197.
tropus 166.
tueri vocem 270.
tumultus 372.
turba 83.

V

vacuum 209.
vagari 178.
valens orator 197.
varia actio 170.
varietas vocum 257.
vela orationis 117.
vellere verba 52.
veſtibulum 305.
veſtire orationem 264.
vigor orationis 7.
vilis oratio 4.
volubilitas 100.
vrbanitas 274.
vultus orationis 189.

10257

LaL.D
E714kx

Ernesti, Johann Christian Gottlieb
Lexicon technologiae Latinorum rhetoricae.

BORROWER

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

FOR USE IN
LIBRARY ONLY

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED